



The Institute of Mediaeval Studies
LIBRARY
Toronto, Ontario

HISTORIAE
ECCLESIASTICAE
COMPENDIVM
PRAELECTIONIBVS PVBLICIS ACCOMMODATVM

AB

Henrico Guilielmo Wouters

ECCLESIAE CATHEDR. LEODIENSIS CANONICO, S. THEOLOGIAE DOCTORE
IN VNIVERSITATE CATH. LOVANIENSI HIST. ECCL. PROFESSORE

EDITIO NOVISSIMA CVM ADDITAMENTIS ET NOTIS

CVRA AC STVDIO

Bibliothecae Catholicae Scriptorvm

Interroga patrem tuum, et annuntiabit
tibi; maiores tuos, et dicent tibi.
DEVTERON. XXXII, 7.

TOMVS II
PRAECIPVA HIST. ECCLES. FACTA COMPLECTENS
a Pontificatu s. Gregorii VII
usque ad nostram aetatem

NEAPOLI
APVD OFFICINAM EIVSDEM BIBLIOTHECAE CATHOLICAE SCRIPTORVM
Via *vulgo dicta* s.-Giovanni Magg. Pignatelli, Palazzo Fibreno
MDCCCLXXI

AVVERTENZA


The Institute of Mediaeval Studies
LIBRARY
Toronto, Ontario

HISTORIAE ECCLESIASTICAE

EPOCHA SEPTIMA

A PONTIFICATV S. GREGORII VII VSQVE AD INNOCENTIVM III, AN. 1198

PROOEMIVM

Ordinatissimam utriusque potestatis, sacerdotii et imperii, concordiam, quae sub Leone Pp. III et Carolo M. fuerat composita, principum dissidiis, magnatum ambitionibus, bellisque civilibus disruptam, cladesque ingentes inde tum rerum publicarum securitati et prosperitati tum Ecclesiae paci, disciplinae, splendori, iuribusque illatas, in praecedenti epocha conspeximus. Ad reparanda grassantia mala ordo christianae societatis erat componendus, Ecclesiae libertas et iura vindicanda, cleri disciplina reformanda, principum saecularium in res sacras audacia, quae erat plurium malorum causa, reprimenda. Haec autem non sine grandibus laboribus, neque sine luctationibus multiplicibus effici poterant.

Divina providentia ad incipiendum tantum opus destinavit Gregorium Pp. VII, qui magna vitae sanctitate, grandi animi fortitudine et constantia praeditus, vindicandae Ecclesiae libertati et restituendae disciplinae diligentissimam simul ac strenuam operam navavit. Eius vestigiis inhaesere qui ei in summo pontificatu successerunt. Hi etiam ad s. Gregorii exemplar reformandis abusibus, vindicandis ecclesiasticis libertatibus et iuribus contra imperantes civiles, et liberandae societati christianae ab iniustis oppressionibus strenue adlaborarunt; ad liberandos etiam Christianos in Oriente a dira mahumethanorum servitute, ad recuperandam Terram sanctam, ad reprimendas istorum infidelium progressiones, et conservandam ab eorumdem tyrannide Europam, excitarunt bella sacra seu expeditiones, dictas *crucialas*. Et tamen haec ipsa RR. Pontificum de Ecclesia et societate merita a nonnullis historicis vix laudata, quandoque improbata fuerunt.

RR. Pontificum exemplo excitati plures etiam episcopi conservando Fidei deposito et restituendae disciplinae adlaborarunt, multasque synodos ad id coëgerunt. Institutum monasticum splendorem atque incrementum grande cepit fundatis novis Ordinibus Cisterciensium, Carthusianorum, Praemonstratensium, Carmelitarum, aliorumque. Durante hac epocha quoque instituti sunt celebres Ordines equestres s. Ioannis Hierosolymitani, Templariorum et Teutonicorum. Floruerunt etiam viri, eruditionis laude conspicui, qui aut catholicam doctrinam contra emergentes errores propugnarunt aut Ecclesiae iura defenderunt aut res gestas litteris consignarunt.

1. *S. Gregorius VII, Pontifex* (*an.* 1073) —Alexander Pp. II XI° calendas maias 1073 ad meliorem vitam transiit. In eius locum summis omnium Cardinalium suffragiis, cleri populique assensu et applausu electus fuit Hildebrandus, Hetruscus, e monacho Cluniacensi R. E. cardinalis archidiaconus, sub Leone IX, Victore II, Stephano IX, Nicolao II et Alexandro II, ut vidimus, praecipuis muneribus et legationibus perfunctus, vir maximi ingenii, eruditionis rarae, sanctitatis conspicuae, et studii constantis in disciplinam ecclesiasticam. Is vero omni via electioni suae restitit, regemque Henricum IV interpellavit, ne eam approbaret; sed et rex electioni eius assensit atque Gregorium episcopum Vercellensem Romam misit, ut vice sua Hildebrandi consecrationi interesset [1].

Hildebrandus in sua inaugaratione assumpsit nomen Gregorii VII, rexitque Ecclesiam usque ad an. 1085; ecclesiasticam libertatem

---

1) Apud Baron., ad an. 1073; Labbe, *Concil.* t. X, p. 1.—Pagi (*Critica* ad an. 1074, n. 6) animadvertit, *Gregorium VII ultimum fuisse, cuius electio ante consecrationem Imperatori significata fuerit.*

et iura intrepide vindicavit, simoniam, quae in multis provinciis sacras electiones et ordinationes inficiebat, investituras grandium malorum causas, ut mox videbimus, aliosque abusus proscripsit, disciplinam ecclesiasticam, praesertim coelibatum clericorum, in integrum restituit, et ad vindicandos Christianos orientales ab infidelium tyrannide ea iniit consilia, quae ab Vrbano Pp. II fuerunt executioni mandata. Haec omnia magis e dicendis patebunt.

2. *Investiturae* — Magnus simoniae et depravatae in clero disciplinae fomes, magnae inter RR. Pontifices et principes saeculares discordiae causa fuerunt investiturae. Harum origo repetenda est ab eo tempore, quo episcopi et abbates non tantum praedia, sed castella, urbes, provincias, tamquam feuda possederunt. Ex eo tempore ad eiusmodi episcopatus et abbatias nominati summos imperantes adibant, ut ab iis dominio in ista feuda investirentur. Verum quod in initio aequitati consentaneum videbatur, deinde in magnum disciplinae et libertatis ecclesiasticae detrimendum cessit. Invaluit quippe consuetudo, ut principes laici praetextu investiturarum collationes episcopatuum et abbatiarum sibi adsciscerent, quatenus defunctorum episcoporum et abbatum baculum pastoralem et annulum ad se deferri mandarent, haecque sacrae potestatis insignia conferrent iis, qui sibi gratiores essent, et hi continuo episcopi et abbates creati censerentur. Hac ratione effectum est, ut ablata clero et monachis electione, tota eligendorum episcoporum atque abbatum potestas deferretur ad summos imperantes, ut dignitates ecclesiasticae turpissimo quaestu venderentur, et non hominibus dignis conferrentur, sed iis qui vel maius auri pondus offerebant vel regi eiusque ministris gratiores erant, utut caeterum ignorantes aut vitiis inquinati; unde maxima disciplinae ecclesiasticae detrimenta sequebantur. Quapropter s. Gregorius VII aliique Pontifices, eius successores, ad vindicandam Ecclesiae libertatem, ad extirpandam simoniam quaeque ab ea consequebantur mala iure merito investituris restiterunt et eas damnarunt [1].

3. *Synodi Romanae* (*an.* 1074-75) — In primis s. Gregorius Pp. an. 1074 Romae 50 episcoporum multorumque abbatum et clericorum synodum habuit, in qua ad extirpandum simoniae crimen et ad eoërcendos incontinentes clericos constitutum fuit, ut qui aliquem sacrorum ordinum gradum pretio essent adepti, nullatenus in Ecclesia ministrarent, ut nemo ecclesiastica iura aut vendere aut emere auderet, ut qui Ecclesiam pretio accepisset, omni in ea ministerio careret, ut incontinentes sacerdotes, diaconi et subdiaconi Ordinum suorum exercitiis essent interdicti, et populus non reciperet seu frequentaret officia eorum, qui in hac re constitutiones apostolicas transgrederentur [1].

Anno sequente Pontifex alteram plurimorum episcoporum, presbyterorum, et abbatum synodum Romae coëgit, in qua contra investituras editum est decretum, quod sequitur: « Si quis deinceps episcopatum vel abbatiam de manu alicuius laicae personae susceperit, nullatenus inter episcopos vel abbates habeatur, nec ulla ei ut episcopo vel abbati obedientia concedatur. Insuper ei gratiam B. Petri et introitum ecclesiae interdicimus, quoadusque locum, quem sub crimine tam ambitionis quam inobedientiae, quod est scelus idololatriae, cepit, deseruerit. Similiter etiam de inferioribus ecclesiasticis dignitatibus constituimus. Item si quis imperatorum, ducum, marchionum, comitum vel quilibet saecularium potestatum investituram episcopatus vel ali-

---

[1]) Thomassin., *Disciplina eccl. circa Benef.* t. II, l. 2; C. Lupus, *Scholia et dissert. in Concil.* t. VI; Natal. Alexand., *Hist. eccl.* saec. XI, diss. 4; I. B. Palma, *Praelect. Hist. eccl.* t. III, part. I, c. 2-3.

[1]) Labbe, *Concil.* t. X, p. 313. Iniuste Sigebertus Gemblacensis, *Chron.* ad an. 1074, ex ultimo istius synodi capitulo infert, Gregorium VII censuisse, sacramenta ab incontinentibus sacerdotibus confecta, esse invalida. Solum enim populo prohibuit audire missas eiusmodi sacerdotum aut eorum officia recipere et frequentare, ut hi contemptu publico ad emendandam vitam compellerentur, sicut id exponit idem Pontifex in Epistola ad Ottonem episcopum Constantiensem. *Statuimus etiam*, inquit Gregorius, *ut si ipsi contemptores fuerint nostrarum, imo sanctorum Patrum constitutionum, populus nullo modo eorum officia recipiat, ut qui pro amore Dei et officii dignitate non corriguntur, verecundia saeculi et obiurgatione populi resipiscant.* Cf eundem Labbe, loc. cit. Summam etiam antiquitatis ecclesiasticae ignorantiam aut malam fidem produnt Mosheim, *Institut. hist. eccl.* saec. XI, part. II, c. 2; Rancke, *Histoire de la Papauté*, t. I; De Potter, *L' esprit de l' Église,* t. V. part. II, l 2, asserentes, clericos saeculares primum a Gregorio Pp. VII legi coelibatus fuisse adstrictos; e plurimis quippe monumentis manifestum est, quosvis clericos maiores a vetustissima Ecclesiae aetate ad vitam continentem fuisse obligatos. Cf t. I, p.78; I. B. Palma, loc. cit. c. 4; Franc. Antonium Zaccaria, *Storia Polemica del Celibato Sacro.*

cuius ecclesiasticae dignitatis dare praesumpserit, eiusdem sententiae vinculo se adstrictum sciat[1] ».

Vtriusque synodi decreta Pontifex omnibus ubique episcopis et principibus per litteras significavit, legatosque in diversas regiones misit, qui eorumdem decretorum executionem imperarent. Contra haec decreta in Germania infremuit simoniacorum et incontinentium clericorum factio, Gregorium haereticum esse, se vero malle sacerdotium deserere quam decreta eius suscipere, inclamans[2]. Quum Sigefridus archiepiscopus Moguntinus in synodo Erfordiensi et Moguntina secundum Romanae synodi decretum clericis mandaret, ut vel continenter viverent, vel a ministerio sacro abstinerent, tantus excitatus est tumultus, ut archiepiscopus sibi metuens, ab urgenda decreti observantia cessaret[3]. Maiori constantia apostolicas constitutiones observandas curavit B. Altmannus Pataviensis, qui proinde et pravorum clericorum insidias et Henrici regis persecutiones expertus est[4].

4. *Lis inter Gregorium VII et Henricum IV* — Tantam clericorum in Germania audaciam nemo mirabitur, qui pessimos ipsius regis Henrici IV mores noverit. Gregorius Pp. regem saepius hortatus est ad vitae emendationem, ad eiiciendos pravos consiliarios, ad restituendam Ecclesiae libertatem. Henricus utut Pontifici propter decretum de investituris infensus, quia bello saxonico implicitus, multa Gregorio promisit, sed nihil effecit; neque immunis fuisse creditur a coniuratione, an. 1075 Romae contra Pontificem inita a Cencio urbis praefecto, qui propter scelera sua excommunicatus, armata manu Gregorium sacris operantem media nocte Nativitatis Domini apprehendit et contumeliis verberibusque affectum turri inclusit. Pontifex a populo romano liberatus, insigne moderationis christianae exemplum dedit, Cencio veniam et poenitentiam petenti ignoscens, modo peregrinatione Hierosolymitana sacrilegium expiaret[5]. Henricus vero superatis an. 1075 Saxonibus, Pontificem et Ecclesiam graviter vexare coepit. In Saxones et Thuringos terribilem vindictam exercuit; civitates depraedatae, viri necati aut fugati, mulieres in ipsis ecclesiis oppressae, episcopi et sacerdotes capti, omnes in durissimam servitutem redacti sunt. Contra tantam tyrannidem Saxones communem christianorum patrem, R. Pontificem, interpellarunt, eique Henrici regis saevitiam, infamia, crimina et turpissimum quaestum, quo dignitates ecclesiasticas hominibus indignis conferre pergebat, significarunt. Gregorius VII legatos cum litteris ad Henricum IV destinavit, ut missis investituris, libertatem Ecclesiae restitueret et Romam ad synodum veniret de criminibus, quorum accusabatur, rationem redditurus, sub excommunicationis periculo

Rex ira percitus, legatos Pontificis cum contumeliis eiecit, et ex omni regno suo synodum indixit Wormatiae an. 1076. In hoc conciliabulo cardinalis Hugo Blancus, propter morum suorum pravitatem a R. Pontifice depositus, regi, episcopis et abbatibus obtulit libellum accusationum idest calumniarum contra Gregorium Pp., exhibuit etiam litteras, nomine cardinalium, senatus populique romani confictas, quibus ii Gregorii depositionem postulare viderentur. Secundum haec praelati congregati, quorum alii erant simonia aliisve vitiis inquinati, alii regis vi et minis perterriti, sententiam in Gregorium ferre ausi sunt, eum pontificatu indignum declarantes. Confestim rex ista significavit episcopis Langobardis, qui magna ex parte Gregorio propter reformationis decreta infensi, in conciliabulo Papiensi eius depositioni subscripserunt. Eodem tempore rex clerum, senatum populumque romanum ad exauctorandum Gregorium excitavit, et Pontifici ipsi petulantissimis litteris sententiam depositionis significavit[1].

Tantam principis audaciam minime tolerare potuit Pontifex. Igitur eodem anno coacta Romae 110 episcoporum, abbatum et diversi ordinis clericorum atque laicorum synodo, exposuit ea quae ab Henrico IV fuerant attentata. Omnes cum indignatione exclamarunt, talem principem honore regio privandum et anathematis vinculo alligandum esse. Tunc Gregorius Pp., acclamante tota synodo, Henrico IV totius regni Teutonicorum, et Italiae gubernacula interdixit, eum anathematis vinculo alligavit, omnes christianos a vinculo iuramenti, quod ei praestiterant, absolvit, et ne quis ei ut regi serviret, prohibuit;

---

[1]) Labbe, loc. cit. p. 312.
[2]) Marian. Scotus, Lambert. Schafnaburg., *Chron.* ad an. 1071.
[3]) Lambert. Schafnaburg., ibid. ad an. 1075.
[4]) Bolland. *Acta SS.* 8 august.
[5]) Paul. Bernriedensis, *Vita s. Gregorii VII.*

[1]) Idem, ibid. c. 7; Schafnaburg., *Chron.* ad an. 1076; Labbe, *Concil.* t. X, p. 351.

Sigefrido archiepiscopo Moguntino, qui praecipuas partes habuerat in conciliabulo Wormatiensi, et aliis, qui ei interfuerant, diem dixit, qua facerent satis; episcopos Langobardos, qui contra Pontificem conspirarant, ab omni officio episcopali suspendit et ab Ecclesiae communione separavit. His factis, sententiam in Henricum latam omnibus fidelibus, praesertim episcopis et optimatibus regni Teutonici significavit per litteras, in quibus exposuit, qua ratione Henricum primo adhortationibus deinde admonitionibus et comminationibus a criminibus abducere conatus fuerit, quaque ratione tandem ad ferendam in eum, in dies audaciorem, sententiam sit coactus [1].

Summa autem haec potestas, qua Gregorius Pp. VII erga Henricum IV et alii nonnulli Pontifices erga aliquot imperantes civiles media aetate usi sunt, multis scriptoribus displicuit, qui contenderunt, Pontifices istos in hac re sibi usurpasse potestatem, quam non habebant, muneris sui limites esse transgressos, turbasque graves in christiana societate excitasse. Horum criticorum assertiones multi viri eruditi refellendas susceperunt, illosque Pontifices a praedictis accusationibus vindicarunt, diversa tamen ratione. Alii contenderunt, RR. Pontificibus iure divino inesse potestatem directam et ordinariam in spiritualia, indirectam vero et extraordinariam in temporalia, seu eorum potestatem directe quidem primitusque ordinatam et institutam esse ad spirituale fidelium regimen in ordine salutis aeternae, quandoque tamen se etiam extendere ad temporalia, dum id ad tuitionem spiritualium est necessarium; adeo ut, si qui principes saeculares potestate sua in Religionis destructionem abutantur, RR. Pontifices eos non tantum poenis spiritualibus reprimere sed etiam contumaces deponere possint [1]. Alii censent, summam istam potestatem, qua RR. Pontifices media aetate erga aliquot imperantes civiles usi sunt, ex ipsis christianae societatis, prout tunc constituta erat, adiunctis atque necessitatibus esse repetendam, eamque potestatem receptis tunc et eruditorum virorum et ipsorum principum opinionibus atque vigenti iuri publico fuisse consentaneam [2]. Huiusmodi potestatis exercitium societati christianae fuisse utilem, turbasque, in societate excitatas, non RR. Pontificum potestati sed vel principum perversitati vel aliis causis attribuendas esse, huius aetatis monumenta testantur [3].

Quum primum Gregorii VII in Henricum IV sententiam in Germaniam delata fuerat, multi partes Henrici deseruerunt. Varii praesules, qui conciliabulo Wormatiensi interfuerant, emendationis litteras Romam miserunt, Gregorio VII obedientiam professi sunt et poenitentiam postularunt, quos Pontifex benigne suscepit. Illorum exemplo plerique magnates ab Henrico discesserunt [4]. In Italia vero episcopi Langobardi, supra in Romana synodo

---

[1]) S. Gregor. VII *Epist.* 6, l. III; *Epist.* 3, l. IV; P. Bernried., *Vita Gregor. VII*, c. 8; Baron. ad an. 1076; Labbe, loc. cit. p. 355.—Otto Frisingensis, l. VI, c. 35, existimavit Gregorium VII omnium primum sibi adscivisse ius excommunicandi et deponendi principes ab auctoritate, qua fruuntur. Sed Bellarminus, in Tractatu *De potestate Summi Pontificis in rebus temporalibus adversus Guilielmum Barclaium*, c. 9, respondet: *Fuit quidem Otto Frisingensis doctrina, moribus et nobilitate insignis; sed tamen legendo et relegendo non invenit omnia. Nam Arcadium Imperatorem ab Innocentio I Pontifice propter eiectionem s. Ioannis Chrysostomi excommunicatum fuisse testatur Nicephorus*, l. XIII, c. 34, *qui et sententiam ipsam excommunicationis ad verbum recitat. Eiusdem excommunicationis meminit Gregorius VII in epistola ad Episcopum Metensem. Leonem quoque Isauricum Imperatorem a Gregorio II, et rursum a Gregorio III excommunicatum propter haeresim Iconomachorum... testantur historici graeci et latini.* Id ipsum adversus Ottonem Frinsigensem adnotarunt Sfondratus, in *Gallia Vindicata*, Dissert. 2, § 2; Nat. Alexander, in *Historia Ecclesiastica*, saec. VI, c. 2, art. 1; Continuatores Bollandiani, in *Adnotatis* ad *Acta s. Gregorii Papae VII* die 25 maii, et Ludovicus Gotti, in *Gregorii VII Vindiciis*, colloquio XI, § 14, ubi ait: *Fateor, ex scriptoribus aliquos depositionem Henrici a Gregorio factam tamquam rem novam proponere, quam nemo Pontificum antea fecisset. At nec ullus, ante Henricum IV, Papam deponere machinatus est. Cur ergo aequiori iure Papa Henricum rebellem et contumacem deponere non poterat? Hoc tamen inter depositionem Papae et Henrici interfuit, quod illam omnes viri probi, et vere catholici, ut monstrum execrati sunt, quod vel ipse Henricus facto comprobavit: istam omnes viri catholici velut iustam ac necessariam laudant: soli Protestantes, et quidam pauci adversus eam conclamant.* De iure Romani Pontificis in temporalia Principum saecularium vide Bellarminum, *Op.* cit.

[1]) Bellarmin. *De R. Pontif.* l. V, c. 1 et 6; Roncaglia, *Animadvers. in Hist. eccl. Natal. Alex.* saec. XI, diss. 2; Bianchi, *Della potestà e della politia della Chesa*, t. I, l. I, c. 8; Mamachi, *Origines et antiquit. christ.* t. IV, c. 2, § 4.

[2]) Fénélon, *Dissertatio de auctoritate Summi Pontificis*; Gosselin, *Pouvoir du Pape au moyen âge*, Louvain 1844, 2 vol. in-8°.

[3]) Gosselin, ibid.

[4]) Schafnaburg., et Bernried. loc. cit.

excommunicati, cum Guiberto archiepiscopo Ravennatensi Papiae congregati, in ipsum Pontificem anathema dicere ausi sunt[1]. Postridie idus octobris 1076 plerique principes Germani, ecclesiastici et laici cum Apostolicae Sedis legatis, Siccardo patriarcha Aquileiensi et Altmanno episcopo Pataviensi, convenerunt Triburiam, et postquam de eligendo novo rege deliberassent, Henrico significarunt, quod, si intra annum ab excommunicatione sibi inflicta non foret absolutus, sciret se regno orbatum iri; quod si praescriptis conditionibus acquiesceret, se cum eo pacem inituros et R. Pontificem rogaturos, ut in comitiis generalibus suprema sua auctoritate causam definiret[2].

Henricus his perterritus, ocius in Italiam properavit; post 3 dierum poenitentiam ad praesentiam Pontificis admissus, et culpam confessus, veniam et absolutionem petiit. Gregorius eum ab excommunicatione absolvit ea lege, ut omni imperio abstineret, donec ipse, a proceribus arbiter interpellatus, causam eius in comitiis generalibus cognovisset et definitivam sententiam tulisset, utque in regnum restitutus, Pontifici obediret et opem ferret ad reparanda mala Ecclesiae illata et ad reformandos abusus. Henricus iureiurando promisit, se propositas conditiones servaturum[3], at vix absolutus, ad pristinam nequitiam rediit, et praescriptas sibi leges contempsit, ut infra videbimus.

5. *Ecclesiae status et Gregorii VII sollicitudo* — In Gallia iuvenis rex Philippus res publicas et ecclesiasticas tristem in statum coniecit, ut supra diximus[4]. Gregorius VII Humberto archiepiscopo Lugdunensi et Rocleno episcopo Cabilonensi mandavit, ut regem monerent, quatenus ab impedienda ecclesiastica libertate abstineret, intentatis ei anathematis minis, nisi episcopos, cleri suffragiis populique assensu electos, ecclesiis praefici sineret[5]. Rex missis Romam legatis, spopondit, se emendaturum quae in Ecclesiam peccaverat, et mandatis apostolicis pariturum in iis, quae Religionem spectabant. Pontifex regis consilia laudavit[6]. Quum vero audivisset, regem in nefandis criminibus perseverare, iustitiae leges et ecclesiarum libertatem impune violare, litteras graves ad episcopos Galliae scripsit, in quibus eorum negligentiam increpavit; mandavit iis, ut regem monerent et a perversa vita revocarent sub generalis interdicti periculo, addiditque, quod si rex in iniquitate sua perseveraret, se anathematis gladio, ipsiusque regni privatione plectendum sciret[1]. Verisimiliter rex Pontifici fecit satis, cum non legamus a Gregorio sententiam in eum fuisse fulminatam.

Interim Pontifex ad componenda ecclesiastica in Gallia negotia et ad corrigendos abusus legationem apostolicam credidit Hugoni episcopo Diensi. Hic synodos Claromonte, Augustoduni, Pictavi, aliisque in urbibus habuit, in quibus varia negotia ecclesiastica composuit, plures episcopos vel propter simoniae crimen vel propter vitae pravitatem deposuit, canonesque ad tollendam simoniam et clericorum incontinentiam condidit. Multas contradictiones, obstacula et pericula in hoc negotio Hugo legatus expertus est; verumtamen animo invicto officium suum executus de reformatione ecclesiastica in Gallia optime meruit[2].

In Hispaniam Gregorius VII legavit Richardum cardinalem, tum ut abrogato ritu Gothico officia sacra constitueret secundum Romanum, tum ut Alphonsum regem Castellae perduceret ad dissolvendum coniugium, quod cum defunctae coniugis consanguinea contraxerat. Alphonsus secundum Pontificis mandatum incestum coniugium disrupit; et in Burgensi synodo an. 1080 Romani ritus praescripti, aliaque ad disciplinam ecclesiasticam, speciatim ad clericorum continentiam spectantia, constituta fuerunt[3].

In Italia superiori seu Langobardia graves turbas excitabat, ut vidimus, simoniacorum et incontinentium sacerdotum factio. In inferiori Italia Normanni negotia gravia Pontifici facesserunt, marchiam Anconitanam, Spoletum, Beneventum, aliasque R. Ecclesiae provincias devastarunt. Quapropter Gregorius VII Robertum Guiscardum Apuliae et Calabriae ducem excommunicavit; quem tamen postea in communionem et gratiam Sedis Apostolicae recepit, eique, cum fidem suam et annui tributi pensionem Pontifici obligasset, Apuliae, Calabriae et Siciliae investituram

---

1) Baron., ad an. 1076.
2) Lambert. Schafnaburg., *Chron.* ad an. 1076.
3) Lambert. Schafnab. ibid.; P. Bernried. loc. cit. c. 9; Baronius et Pagi, ad an. 1077.
4) Vid. t. I, p. 276.
5) *Epist.* 35 et 36, l. I.
6) *Epist.* 75, l. I.

1) *Epist.* 5, l. II.
2) *Histoire de l'Église gallicane*, l. XXI; Labbe, *Concil.* t. X, p. 346 et 367.
3) Labbe, ibid. p. 1815.

concessit, quam iam concesserant Nicolaus II et Alexander II. De Salerno vero, Amalphi et parte marchiae Firmanae a Roberto occupatis, quaestio suspensa est [1].

Sollicitudinem suam etiam ad Africanam ecclesiam extendit sanctus Pontifex. Religionem christianam ibidem sub Saracenorum tyrannide collapsam vidimus [2]. Quum hoc tempore Cyriacus archiepiscopus Carthaginensis et primas Africae, quosdam indignos ad sacros Ordines admittere noluisset, ad regem infidelem delatus, verberibus caesus fuit. Quod cum audivisset Gregorius Pp. litteras scripsit an. 1073 ad Carthaginenses, quos propter illatam archiepiscopo iniuriam reprehendit et ad poenitentiam excitavit; Cyriacum vero propter constantiam laudavit et ad perseverantiam hortatus est [3]. In Mauritania orientali seu Sitifensi multi adhuc erant christiani, quibus Annasir rex, quamvis Saracenus, favebat; cum ii hoc tempore archiepiscopum sibi elegissent Servandum presbyterum et in tota Africa solus existeret Cyriacus Carthaginensis antistes, Servandus an. 1076 Romam venit, ut consecraretur. Gregorius ipse eum consecravit archiepiscopum, litterasque scripsit ad Annasir regem, quem propter favorem christianis praestitum laudavit; scripsit etiam ad christianos Mauritaniae, quos ad obedientiam erga suum archiepiscopum et ad mutuam caritatem hortatus est; cumque secundum canones ad consecrandum episcopum requirerentur tres Episcopi, Gregorius utrique archiepiscopo mandavit, ut tertium eligerent et Romam consecrandum mitterent, quatenus deinceps ipsi alios in Africa consecrare possent [4].

Gregorius VII litteras quoque per legatos accepit a Michaële Duca, imperatore Graecorum. Pontifex ad imperatorem litteras reddidit, in quibus devotionem eius erga R. Ecclesiam laudat, suum ipsius desiderium ineundae cum Ecclesia Cp. concordiae significat, de caeteris vero negotiis, de quibus locuti fuerant legati, acturum cum eo dicit Dominicum patriarcham Venetiarum, epistolae suae latorem [5]. Ista autem negotia verisimiliter spectabant bellum sacrum contra mahumethanos seu Turcas, qui per omnem fere Asiam minorem victricia sua arma proferebant, imperium graecum ad summas angustias redigebant, christianos graviter opprimebant. Gregorium VII reipsa consilium iniisse comparandi expeditionem contra mahumethanos et proficiscendi Constantinopolim ad componendam Ecclesiarum concordiam, patet ex epistolis, quas ea de re scripsit ad Henricum regem Germaniae, ad Guilielmum comitem Provinciae, et ad omnes christianos [1]; sed consilio huic obsteterunt simultates, quas ei facessivit Henricus IV.

Anno 1080 idem Pontifex litteras scripsit ad Synnadensem Armeniorum in Phrygia archiepiscopum. Audiverat enim Armenios in nonnullis errare, ideo ab archiepiscopo certior fieri voluit, quae esset eorum doctrina de quibusdam Fidei articulis; eumdem simul monuit, ut usum panis azymi in consecratione Eucharistiae retineret, nec fidem adiungeret Graecis, Latinos hac in re accusantibus [2].

Quum an. 1076 a Demetrio duce Croatiae et Dalmatiae fuisset rogatus, ut ei regis nomen et honorem concederet, ad eumdem legavit Gebizonium abbatem, postea episcopum Caesenensem, et Folcuinum episcopum Fori-Sempronii; qui Demetrium, postquam iureiurando fidem suam et annuum censum R. Ecclesiae obligasset, regia dignitate investiverunt [3]. Eamdem dignitatem Gregorius VII concessit Michaëli duci Slavorum seu Serviorum, ut eruitur ex epistola, qua a Michaële petiit legatos, per quos dissidia inter Spalatanum et Ragusanum archiepiscopos componerentur et insignia regia ad illum mitterentur [4]. Eodem circiter tempore filius Demetrii, regis Russorum, Romam venit, regnumque suum secundum patris sui vota de manu Pontificis tamquam donum s. Petri suscipere postulavit. Gregorius VII filium Demetrii, postquam hic de more fidei iuramentum praestitisset, nomine D. Petri regno Russiae investivit [5].

Tum ante Gregorii VII tempora tum post eius aetatem mos obtinuit, ut reges, duces, comites regna sua, provincias et castra Sedi Apostolicae obligarent, eaque ab illa in feuda reciperent, ut ita sub speciali R. Ecclesiae eiusque Pontificis protectione forent. Id iam antea fecerant s. Stephanus rex Hungarorum et Robertus dux Apuliae, Calabriae et Siciliae; postea idem fecerunt Godefridus Bullonionaeus

1) Leo Ostiens., *Chron. Casin.* l. III, c. 44; Labbe, loc. cit. p. 250.
2) Vid. t. I, p. 269. — 3) *Epist.* 22-23, l. I.
4) *Epist.* 21, 20 et 19, l. III.
5) *Epist.* 18, l. I.

1) *Epist.* 31, l. II; 46 et 49, l. I.
2) *Epist.* 1, l. VIII. — 3) Baron. ad an. 1076.
4) *Epist.* 12, l. V. — 5) *Epist.* 74, l. II.

rex Hierosolymorum an. 1099, Rogerius fundator regni Siciliae 1180, Petrus II rex Aragoniae 1204, reges Angliae Henricus II 1172, Ioannes sine Terra 1213, Henricus III 1216, aliique [1]. Id autem principes libere et sua sponte faciebant. Iniuste Mosheim [2] aliique accusarunt Gregorium VII, quod in universa christianorum principum regna dominatum usurpare, eaque in R. Ecclesiae feuda convertere tentaverit.

Anno 1075 Gregorius Pp. excepit legatos Boleslai II ducis Poloniae, ad quem rescribens, laudavit eius observantiam erga R. Ecclesiam, rogavitque, ut legatis suis opem ferret in ordinandis causis Episcoporum, qui pauciores erant et metropolitanum non habebant. Quum postea Boleslaus relicta iustitia, se omni libidini et saevitiae dedisset, atque s. Stanislaum episcopum Cracoviensem, a quo post plures admonitiones fuerat excommunicatus, anno 1079 ad altare occidisset, Gregorius Pp. ferocem ducem anathemate perculit, regio honore et potestate privavit, eiusque subditos ab obedientia absolvit [3]. Boleslaus regno eiectus in exilio obiit; Poloni vero in eius locum elegerunt Vratislaum.

In Hungariae regno an. 1063 Belam excepit Salomon, quem Hungari an. 1074 eiecerunt, suffecto in eius locum Geisa, Belae filio. Quum Gregorius VII audivisset, Salomonem implorasse opem Henrici IV eique regnum Hungariae, quondam a s. Stephano R. Ecclesiae devote traditum, in feudum obtulisse, Salomonem graviter increpuit, monuitque, eum gratiam B. Petri, quam interpellarat, non recepturum, nisi sceptrum regni Hungarici apostolicae et non regiae maiestatis beneficium agnovisset [4]. Litteras etiam scripsit ad Geisam, in quibus ostendit regnum Hungaricum non regi Teutonico, sed R. Ecclesiae esse subiectum; eum hortatus est, ut circa ecclesias curam, circa Religionem studium et erga legatos Apostolicae Sedis obedientiam haberet [5]. Postea etiam epistolam scripsit ad Ladislaum, qui an. 1077 fratri suo Geisae defuncto, communi Hungarorum consensu suffectus fuit, regnavitque usque ad an. 1095. Hic tantae fuit pietatis, ut post obitum suum Ssrum honores consecutus sit; Religionem protexit, ecclesias earumque iura defendit, disciplinam ecclesiasticam restituit, subditos iuste gubernavit, Tartaros et alios hostes repulit, regnoque suo adiunxit Croatiam et Dalmatiam [1].

In Bohemia magnae pietatis specimina dabat Vratislaus dux II, cui tanquam de Apostolica Sede bene merito Alexander Pp. II usum mitrae concesserat; quod privilegium eidem confirmavit Gregorius VII, sed ei assentiri recusavit, ut divinum officium lingua slavonica celebraretur [2]. A ducis pietate distabat frater eius Ieromirus, episcopus Pragensis, quem cum legati apostolici propter iniurias Ioanni episcopo Moravensi factas, functionibus et reditibus privassent, Gregorius Pp. utrumque episcopum Romam vocavit et causa discussa, concordiam inter eos composuit [3].

In Dania pietatis fama et Religionis studio clarebat s. Canutus, qui an. 1080 fratri suo Haraldo in regno successit. Ad hunc regem Gregorius VII duas epistolas scripsit, in quibus ei gratulatus est fidem erga R. Ecclesiam et pietatis studium, commendavitque perseverantiam; rogavit eumdem, ut Romam mitteret prudentem clericum, a quo statum ecclesiarum in Dania doceretur, cuique redeunti mandata Sedis Apostolicae committeret [4]. Canutus domitis regni hostibus, reipublicae et Religionis prosperitati consuluit, in ecclesias et ministros sacros munificus fuit. Verum Olavus frater eius, regnandi cupidus, occasione decimarum, quas rex ecclesiis solvendas mandaverat, rebellionem excitavit, in qua Canutus rex an. 1086 Othoniae in ecclesia s. Albani lapidum et telorum ictibus et tandem lancea confossus, glorioso martyrio coronatus est [5].

In Norwegia Olavus III, qui regnavit ab an. 1066 usque ad 1088, Religionis prosperitati operam dedit, pluresque in diversis provinciis ecclesias extruxit. An. 1078 Gregorius VII ad eum epistolam scripsit, qua eius virtutem et pietatem laudavit, rogavitque ut aliquot iuvenes nobiles Romam mitteret, qui ibi divinis legibus instructi, mandata Sedis Apostolicae ad eum deferrent [6].

In Succia conversioni paganorum, quorum adhuc magnus numerus erat in parte septen-

---

1) Cf Gosselin, *Pouvoir du Pape au moyen âge*, part. II.
2) *Institut. hist. eccl.* saec. XI, part. II, c. 2.
3) *Epist.* 73, l. II, Bolland., *Acta SS.* 7 maii.
4) *Epist.* 13, l. II. — 5) *Epist.* 63, l. II.

1) Bolland., *Acta SS.* t. V iun. p. 315.
2) *Epist.* 38, l. I; 11, l. VII.
3) *Epist.* 41, 45, 60, 78, l. I; 6-8, l. II.
4) *Epist.* 5, 21, l. VII.
5) Bolland., *Acta SS.* 10 iul.
6) *Epist.* 13, l. VI.

trionali, opem ferebat Ingemundus rex, ad quem pariter epistolam an. 1080 scripsit sanctus Pontifex, significans regi gaudium suum, quod novi Evangelii praecones in Sueciam essent ingressi, rogansque, ut rex aliquem Romam mitteret, qui statum gentis exponeret et Sedis Apostolicae instructiones in Sueciam referret [1].

6. *Litis inter Gregorium VII et Henricum IV continuatio* — In Germania vero Henrici IV iniquitate res sacrae et civiles in deteriorem statum coniiciebantur. Is non tantum sprevit conditiones, sibi a principibus Germanis et a Gregorio Pp. supra praescriptas [2], sed etiam Alpium fauces occupavit, ne Pontifex ad comitia Augustae indicta venire posset. Quapropter proceres Germani, ecclesiastici et laici, cum Bernardo cardinali diacono et Bernardo abbate Massiliensi, Gregorii VII legatis, in comitiis an. 1077 Forchemii in Franconia habitis, Henricum IV reiecerunt, et in eius locum elegerunt Rudolphum ducem Suevorum, qui post 12 dies Moguntiae ab archiepiscopis Moguntino et Magdeburgensi sollemni ritu rex coronatus est, legatosque Romam misit, qui suam electionem Pontifici significarent, eique obedientiam suo nomine profiterentur. Confestim contra hanc electionem Henricus IV interpellavit Gregorium VII. Pontifex an. 1078 copiosam synodum Romae coëgit, in qua auditis Rudolphi et Henrici legatis, principum suorum obedientiam erga R. Pontificem testantibus, convenit, ut legati idonei in Germaniam mitterentur, qui probos et religiosos viros utriusque partis audirent, atque ei, cui competebat, ius fieret. In eadem synodo anathema in Thetbaldum Mediolanensem et Guibertum Ravennatensem archiepiscopos innovatum est, et uterque ab omni episcopali et sacerdotali officio suspensus, cardinalis Hugo Blancus, iam ter damnatus, officio sacerdotali et ecclesiae aditu prohibitus fuit [3].

Paulo post Gregorius Pp. quintam synodum Romae habuit, in qua rursus de componendis dissidiis in Germania actum est, et varia capitula de disciplina ecclesiastica, praesertim contra investituras et simoniacas collationes atque ordinationes sancita sunt. In eadem synodo Nicephorus Botoniates, qui deiecto Michaële imperium graecum usurpaverat, excommunicatus est [1]. Anno sequente Pontifex sextam synodum Romae celebravit, in qua Berengarius haeresim suam eiuravit et catholicae doctrinae professioni subscripsit, ut supra vidimus [2]. In eadem synodo oratores Rudolphi graviter questi sunt de malis et iniuriis, quae Henricus IV omnis conditionis personis, ecclesiis, episcopis et sacerdotibus inferebat. Episcopi multi dixerunt, eiusmodi tyrannum esse gladio apostolico conterendum; sed Gregorius VII sententiam distulit, sperans, fore ut res componeretur in comitiis Germaniae, quorum iudicio pars utraque se subiecerat [3].

Verum Henricus quoquo poterat modo comitia impediebat, litem armis terminare eligens, quamvis iam in duplici praelio contra Rudolphum grandem cladem esset expertus. Tandem Gregorius VII principum Germanorum praesertim Saxonum et Rudolphi litteris et legationibus contra Henrici IV facinora interpellatus, an. 1080 copiosam episcoporum, abbatum, clericorum et magnatum synodum Romae coëgit, in qua narratis iis, quae pro Henrici correctione frustra tentaverat, eum eiusque fautores excommunicavit, eumdem regno Germaniae et Italiae, omnique honore et dignitate regia privavit, subditos a fidei iuramento absolvit, et Rudolpho regiam potestatem et honorem confirmavit [4].

7. *Clemens III, antipapa* — Tunc Henricus IV eiusque fautores infremuerunt, et Gregorium VII quorumvis turpium et nefandorum, magiae, impudicitiae, haereseos, accusantes, eum pontificatu deponendum esse inclamaverunt. Eodem anno 30 episcopi e Germania et Langobardia, omnes sive interdicti sive excommunicati sive depositi, pluresque clerici et laici cum Henrico IV Brixinium convenientes, Gregorium VII ceu Ecclesiae et imperii perturbatorem, simoniacum, haereticum et necromantam, deposuerunt, et Guibertum archiepiscopum Ravennatensem,

---

1) *Epist.* 11, l. VIII.
2) Vid. p. 6-7.
3) P. Bernried. *Vita s. Gregorii VII*, c. 10; Labbe, *Concil.* t. X, p. 369.

1) Labbe loc. cit. p. 371.
2) Vid. t. I, p. 269. Ex actis Gregorii VII in causa Berengarii sat confutantur calumniae pseudo-cardinalis Bennonis et conciliabuli Brixiniensis an. 1080, in hunc Pontificem, quibus commenti sunt Pontificem cum Berengario in errore convenisse vel in haereticas eius sententias fuisse proclivem; quas calumnias postea inter alios restauravit Mosheim, *Institut. hist. Eccl.* saec. XI, p. II, c. 3. Cf I. B. Palma, *Praelect. Hist. eccles.* t. III, part. I; c. 5.
3) Bernried. loc. cit. c. 11; Labbe, loc.cit. p. 378.
4) Bernried. ibid. c. 12; Labbe, ibid. p. 382.

semel atque iterum excommunicatum, atque depositum, pontificem idest antipapam crearunt sub nomine Clementis III [1]. Quapropter Gregorius VII an. 1081 in Romana synodo novam excommunicationem in Henricum eiusque fatores fulminavit [2].

Henricus cum copioso exercitu se Romam contulit, antipapam Clementem in Petri cathedram intrusurus; sed a Pontificis et Mathildis, Liguriae et Tusciae comitissae, copiis repulsus est. Anno sequente iterum irrito conatu urbem obsedit. Tunc Romanos speciosis promissis, pecunia, terrore corrumpere tentavit; cum iis convenit ut nova synodus pro causa regni Teutonici in urbe a Pontifice cogeretur, cuius iudicio omnes parerent. Gregorius VII nullam concordiae viam repudians, novam synodum indixit, et Henricus omnibus ad synodum ituris aut ab ea redituris securitatem iureiurando promisit; at perfidus princeps episcopos et principum oratores Romam properantes, intercepit et detinuit, Romanis partim pecunia et terrore, partim obsidione victis et attritis, an. 1084 Vrbem occupavit, et antipapam Clementem a duobus episcopis excommunicatis et depositis, Mutinensi nempe et Bononiensi, inaugurari fecit. Interim Gregorius VII in castrum s. Angeli confugit, opemque Roberti Guiscardi, Apuliae, Calabriae et Siciliae ducis, interpellavit. Huius ducis adventu perterritus Henricus, urbem reliquit, et cum antipapa transiit in Langobardiam. Gregorius VII sic libertati redditus, synodum collegit, in qua novam anathematis sententiam in Clementem seu Guibertum, Henricum, eorumque fautores promulgavit [3].

Posthaec Henricus IV in Germaniam regressus, ubique suas et antipapae Clementis partes augere studuit. In tanta rerum perturbatione episcopi multi et alii in Langobardia, Lotharingia et Germania schismaticis Henrici partibus adhaeserunt. Foederati vero principes in locum Rudolphi regis, anno 1080 mortui, subrogarant Hermannum Lotharingum, comitem Luxemburgensem. Anno 1085 inter utramque partem convenit, ut in comitiis apud Berbac in Thuringia habendis, concordia secundum iuris aequitatem tractaretur. In iis quidem de praesenti negotio disceptatum, sed nihil effectum est. Paulo post episcopi pontifici addicti, Hermannus rex eiusque principes convenerunt Quintilineburgum in Saxonia, et e Patrum decretis declararunt, nulli licere Apostolicae Sedis iudicium retractare, in Guibertum vero seu antipapam Clementem eiusque fautores sententiam anathematis instaurarunt. Eodem tempore Henricus IV episcopos sibi deditos convocavit Moguntiam, omnesque compulit, ut Gregorii depositionem et Guiberti ordinationem scriptó approbarent, Herimannum vero Metensem et alios Gregorio obedientes, deponerent [1]. Ita effectum est, ut dissensio, schisma et turbae in regnis et ecclesiis Germaniae, Lotharingiae atque Langobardiae perdurarent.

8. *S. Gregorii VII obitus* (*an.* 1085) — S. Gregorius VII, quum 12 annis et 2 fere mensibus pontificatu functus esset, VIII calendas iunias 1085 Salerni obiit, iustitiae coronam pro legitimo certamine consecutus [2]. —In *Martyrologio Romano* praecipuam habet laudem *propugnatoris ac defensoris acerrimi ecclesiasticae libertatis*, et de eo praecipue canit Ecclesia *pro tuenda Ecclesiae libertate virtute constantiae a Deo fuisse roboratum*. Idem Gregorius constituit inter alia, *ut aestivale ieiunium infra octavam Pentecostes annuatim celebraretur* [*]. Idque rationabiliter sancitum fuit; etenim ieiunium illud antea celebrabatur mense iunio, nulla habita ratione festi Pentecostes. Hic Pontifex tum ante tum post obitum suum adversarios habuit. Memoriam eius obtrectationibus et calumniis prosciderunt ex antiquis Benno pseudo-cardinalis Clementis antipapae et alii Henrici IV partibus dediti; e recentioribus Mosheim, Schmidt, aliique Apostolicae Sedis hostes. Sanctum Pontificem ab adversariorum conviciis vindicarunt ex antiquis s. Anselmus Lucensis, Lambertus Schafnaburgensis, e recentioribus Franciscus Engiensis [3], Gretserius [4], F. Van Kerzet [5] et ex ipsis protestantibus,

---

1) Hugo Flaviniacensis, *Chron. Virdun.*; Centius, *L.censual.* c.3; Baronius et Pagi, ad an. 1080.
2) Labbe, *Concil.* t. X, p. 398.
3) Leo Ostiens., *Chron. Casin.* l. III, c. 49; Berthold. *Chron.*; Baronius et Pagi, ad an. 1081-84; Labbe, loc. cit. p. 401.

1) Baronius et Pagi, ad an. 1085.
2) Bolland., *Acta SS.* 25 maii. Extant apud Labbe, *Concil.* t. X, libri IX Epistolarum Gregorii VII; item Dictatus seu 27 Enunciata de R. Pontificis iuribus, sed cum Gregorio inter alios abiudicant Natalis Alexander, *Hist. eccl.* saec. XI, diss. 3; Launoius, *Epist.* 13, l. VII, et F. Pagi, n. 116.
*) Micrologus, *De Ecclesiast. Observ.* c. 25.
3) *Auctoritas Sedis Apostolicae pro Gregorio VII vindicata.*
4) *Defensio Controversiarum Cardin. Bellarmini*, t. II.
5) *Vber den geist und die folgen der reformation*, Maintz 1822.

Voigt [1]. Concludimus cum supra nominato Lamberto Schafnaburgensi: « Signa et prodigia, quae per orationes Pp. s. Gregorii frequentius fiebant, et zelus eius frequentissimus pro Deo et pro ecclesiasticis legibus, satis eum contra venenata obtrectatorums linguas communiebant [2] ».

9. *Victor III, Pontifex* (*an.* 1086)—Quum s. Gregorius tribus ante obitum suum diebus a cardinalibus interrogatus, quem prae aliis pontificatu dignum haberet, tres indicasset, nimirum Desiderium abbatem Casinensem, Ottonem episcopum Ostiensem et Hugonem archiepiscopum Lugdunensem[3], cardinales et alii de eligendo Desiderio consenserunt, sed hic omni via eorum precibus restitit. Interea Clemens antipapa partes suas in Vrbe auxit. Quum iam fere anno integro Sedes Apostolica vacaret, cardinales, clerici, omnesque pii Romani congregati, IX calendas iunias 1086, Desiderium, patria Beneventanum, quamvis reluctantem, pontificem inaugurarunt sub nomine Victoris III. Verum post paucos dies Victor a praefecto Vrbis vexatus, depositis insignibus pontificiis, secessit Casinum. Demum XI calendas aprilis 1087 in synodo Capuana cardinalium, episcoporum et principum precibus atque rationibus victus, insignia resumpsit, et VII idus maias Romae sollemniter consecratus atque a maiori et saniori civium parte susceptus fuit [4].

Victor III e cardinalium et episcoporum consilio contra Saracenos africanos, Italiae litora continuo infestantes et christianos in captivitatem abripientes, ingentem exercitum excitavit, qui hostes magna clade affecit, regemque Tunetensem ad restituendos christianos captivos et ad pendendum Apostolicae Sedi tributum compulit[5]. Pontifex mense augusto 1087 synodum habuit Beneventi, in qua post egregiam orationem de praesentibus Ecclesiae calamitatibus, Guibertum antipapam omni sacerdotali officio et honore privatum anathemati devovit, Hugonem archiepiscopum Lugdunensem atque Richardum abbatem Massiliensem, qui ex invidia Pontificem calumniis prosciderant, ab Ecclesiae communione semovit, et sub anathematis poena investituras proscripsit [1]. Absoluta synodo secessit Casinum, ubi XVI calendas octobris 1087 extremum diem obiit, et in templo coenobii Casinensis sepultus est. Fasti Benedictini eius memoriam die 16 septembris recolunt his verbis: « In Monasterio Casinensi obitus Beati Victoris Papae III sanctitate vitae, et miraculorum gloria clarissimi ».

10. *Vrbanus II, Pontifex* (*an.* 1088) — Post obitum Victoris III, quum antipapa Guibertus in Vrbem venisset, ad cardinales aliosque, quorum intererat, scriptum est, ut Terracinam in Campania convenirent vel legatos mitterent ad eligendum novum pontificem. Comitia inchoata sunt postridie nonas martias 1088 et quarto post die omnium consensu electus fuit Otto, natione Gallus, e monacho Cluniacensi episcopus cardinalis Ostiensis, Gregorii VII et Victoris III iudicio pontificatu dignus, qui nomen Vrbani II assumpsit et Ecclesiam gubernavit usque ad annum 1099.

Vrbanus electionem suam encyclicis litteris catholico orbi annuntiavit, moxque incubuit in componendum ecclesiarum statum, praesertim in abolendum schisma, extirpandam simoniam et restituendam disciplinam ecclesiasticam. An. 1089 Melphi in Apulia synodum habuit, in qua 16 canones sanciti sunt, praesertim de praebendis et muniis ecclesiasticis gratis conferendis, de coelibatu clericorum qui sacris ordinibus initiati essent, de non accipienda e manu laici dignitatis ecclesiasticae investitura [2]. Eodem anno Vrbanus in Vrbem venit, et Romani Guibertum antipapam iuramento obstrictum, ne amplius Apostolicam Sedem invaderet, Vrbe expulerunt[3]. Quum an. 1090 Henricus IV cum exercitu in Italiam venisset, ut bellum inferret Mathildi, comitissae Liguriae et Tusciae, quae Pontificis et catholicorum partes in Italia tutabatur, Vrbanus Pp. secessit in Campaniam et an. 1091 synodum habuit Beneventi, in qua Guibertum antipapam, qui post eius discessum Romam repetierat, novo anathemate perculit, et 4 canones edidit, nimirum, ut episcopi non eligerentur nisi ex ordine presbyterorum et diaconorum, matrimonia non contraherentur ab Adventu usque ad octavam Epiphaniae et a Septuagesima usque ad octavam Pentecosteos [4]. Anno 1093 synodum coëgit Troiae in Apulia, in qua decretum condidit

1) *Histoire du pape Grègoire VII et de son siècle,* traduite par l'abbè Jager, Bruxelles 1838, 2 vol. in-8. — 2) *Chron.* ad an. 1077.
3) Bernried. *Vita s. Gregorii VII*, c. 109.
4) Leo Ostiens., *Chron. Casin.* l. III.
5) Ibid.; Berthold., *Chron.* ad an. 1088.

1) Labbe, *Concil.* t. X, p. 418.
2) Labbe, loc. cit. p. 476.
3) Berthold., *Chron.* ad an. 1089.
4) Ibid. ad an. 1091; Labbe, loc. cit. p. 483.

de incestis coniugiis [1]. Anno 1095 cum 200 episcopis ex Italia, Gallia et Germania synodum celebravit Placentiae in Langobardia, in qua Berengaria haeresi damnata, definitum est, panem et vinum, dum consecrantur, vere et essentialiter converti in corpus et sanguinem Christi; alia decreta sunt contra clericos incontinentes, contra simoniacas ordinationes et Guibertum antipapam eiusque fautores [2]. In synodo eodem anno habita Claromontii in Gallia, pax seu *trewga* Dei confirmata et ab Adventu usque ad octavam Epiphaniae ac a Septuagesima usque ad octavam Pentecosteos extensa fuit, aliaque ad reformandos mores in clero ac in populo constituta [3].

Idem Pontifex excitavit cruciatam expeditionem contra Turcas, ut infra videbimus; Bernardo archiepiscopo Toletano pallium et primatum totius Hispaniae concessit; Daniam, petente rege Erico, potestati archiepiscopi Hamburgensis subtraxit et proprio metropolita, cuius sedes foret Lundiae, donavit; s. Altmanno episcopo Pataviensi et Gebehardo Constantiensi legatorum apostolicorum vices dedit in Germania; Rogerium comitem Siciliae, qui pulsis ex ea Saracenis, Religioni christianae restituendae et erigendis episcopatibus egregiam opem tulit, peculiari amicitia prosecutus est, et si Gaufredo Malaterrae, O. S. B. monacho, fides habenda sit, eum eiusque haeredes privilegio Legationis apostolicae investivit, adeo ut eamdem potestatem et iura in Sicilia haberent, quae sunt Legatorum a latere [4].

Quum autem audivisset Vrbanus Pp. Philippum regem Galliae, repudiata Berta legitima coniuge, Bertradam, Fulconis Andegavensis comitis coniugem, consanguinitate sibi iunctam, rapuisse et uxorem duxisse, anno 1092 s. Ivonem Carnotensem, qui cum plerisque aliis episcopis adulteras et incestas regis nuptias reprobaverat, carceri mancipasse; literas scripsit ad Guilielmum archiepiscopum Rhemensem eiusque suffraganeos eos arguens, quod tantum scandalum tolerassent, monensque, ut regem ad abiiciendam Bertradam et reddendam libertatem episcopo Carnotensi compellerent. S. Ivo quidem restitutus fuit, sed rex Bertradam non abiecit. Quapropter Hugo archiepiscopus Lugdunensis, cui Pontifex vices suas hac in re demandaverat, in Augustodunensi synodo an. 1094 Philippum regem excommunicationi subdidit. Eodem anno obiit Berta regina. Rex autem excommunicationis sententia perterritus, oratores ad Pontificem misit postulatum inducias usque ad Pentecosten, intra quas Pontifici satisfaceret et ab omni commercio cum Bertrada abstineret. Cum autem rex in incestis nuptiis permaneret, Vrbanus in synodo Claromontana excommunicationem in eum et Bertradam fulminavit. Tunc Philippus Bertradam abiecit et an. 1096 in synodo Nemausensi a censuris absolutus est [1]. Postea tamen Bertradam revocavit, ut infra videbimus.

11. *Schismatis status* — Interea schismaticus et perversus Henricus IV auctoritatem suam in Germania restituit; principes passim pacem cum eo inierunt; Saxones ipsi bellorum lassi, se Henrico dediderunt an. 1088. Hermannus rex secessit in Lotharingiam et brevi post obiit. Multi tamen a schismate ad obedientiam legitimi Pontificis redierunt. Prae aliis delendo schismati egregiam operam navarunt Altmannus Passaviensis, Ebehardus Constantiensis, Adelbero Wiceburgensis et Albertus Wormatiensis episcopi [2].

In Italia vero Henrici IV eiusque antipapae res mutatae sunt. Conradus, Henrici filius et ab eo iam rex creatus, offensus iniuriis sibi et matri suae a patre illatis, an. 1093 in Italia contra patrem suum bellum indixit, a praecipuis Langobardiae civitatibus, quas Henricus iniqua et infami sua vita a se alienaverat, susceptus, et ab Anselmo archiepiscopo Mediolanensi rex Italiae coronatus est. Ex hoc tempore catholicorum partes Romae et in Langobardia prevaluerunt. Vrbanus II an. 1094 palatium Lateranense, quod diu fuerat

---

1) Labbe, loc. cit. p. 482.
2) Ibid. p. 500. — 3) Ibid. p. 506.
4) G. Malaterra, *Gesta Normannorum in Campania, Apulia et Sicilia*. Vi huius privilegii, quod Siculi appellarunt *Monarchiam siculam*, quodque primus I. L. Barberius an. 1513 in lucem dedit, reges Siciliae, ut suis locis videbimus, se esse apostolicae Sedis legatos natos tenebant. Baronius vero, ad an. 1097, scribit, istud privilegium, si ab Vrbano fuerit datum, tantum esse concessum Rogerio eiusque filiis, et toties abrogatum, quoties Siciliae regnum ad novam familiam devenit. Caeterum, ut inferius dicturi sumus (Epocha XII, n. 35), omnes canonicae facultates, quibus iudex *Monarchiae*, eiusque tribunal in Siciliae Regno ultra Pharum gaudebant, praefinitae fuerunt Apostol. Constitut. Benedicti XIII, quae incipit: *Fideli ac prudenti*, nec non Litteris Apostolicis Gregorii XVI, *Iamdiu*, et Pii IX, *Peculiaribus adductus*. Anno vero 1867. Apostolicis litteris *Suprema universi*, Pius Pp. IX hanc Apostolicam legationem plane abrogavit.

1) Labbe, *Concil.* t. X, p. 463, 499. 500 et 604.
2) Berthold. *Chron.*

in manibus schismaticorum, recepit, Guibertus urbe extorris, in schismate et in usurpandis pontificatus muniis perseveravit usque ad annum 1100, quo miserrime extinctus est. Quadriennio post etiam Henricum IV solio deiectum videbimus.

12. *Grandimontensium, Carthusianorum, Cisterciensium Ordines* — Priori huius saeculi dimidio s. Romualdum et s. Ioannem Gualbertum in Italia de monastici instituti instauratione praeclare meruisse vidimus [1]. De ea re posterioribus huius saeculi annis bene meriti sunt ss. Stephanus, Bruno atque Robertus, qui vitae sanctioris studiosi ad restituendam veterem disciplinam, in nonnullis coenobiis temporum iniuria collapsam, novas monachorum familias excitarunt, quae cum ingenti mox numero auctae sint, sensum religiosum huius aetatis utut perturbatae et multorum fidelium studia componendi vitam suam ad Evangelii praecepta atque consilia testantur.

S. Stephanus nobili Arverniae loco oriundus, Deo securius liberiusque serviendi animo, an. 1076 in montem Muretum prope Lemovicum secessit, ubi vitam asperrimam, orationibus, canticis sacris, ieiunio aliisque austeris exercitiis dicatam, vixit. Brevi post discipuli multi se eius directioni subiecerunt, quibuscum, assentiente s. Gregorio Pp. VII, congregationem ad veterum eremitarum exemplum instituit sub regula, magna ex parte Benedictinae simili, in multis tamen ab ea diversa. Haec regula prae primis paupertatem, silentium certis anni temporibus strictissimum, continuum ieiunium, abstinentiam a carne ipsis aegrotis praescribebat; quem tamen rigorem RR. Pontifices, praecipue Innocentius IV, in variis rebus mitigarunt. Obiit s. Stephanus an. 1124. Postea discipuli eius Muretum deserere coacti, secesserunt in vicinum Grandimontium, unde nomen Grandimontensium acceperunt. Eorum Institutum in Gallia late propagatum est [2].

S. Bruno Coloniae Agrippinae natus, Rhemensis ecclesiae canonicus et scholarum praefectus, an. 1086 cum aliquot sociis relicto mundi commercio, secessit in locum dictum Carthusium, inter rupes praealtas, perpetua fere nive et nebula tectas, haud procul a Gratianopoli situm; ubi, opem ferente s. Hugone episcopo Gratianopolitano, extructis cellulis vitam eremiticam, victu, vestitu, silentio asperrimam vixerunt. Simile Institutum s. Bruno post aliquot annos fundavit in Calabria, ubi etiam an. 1101 mortuus est. Progressu temporis istud institutum, a loco dictum Carthusianum, multum propagatum est. Carthusianis regula s. Benedicti fundamento erat, sed severis veterum Ægypti et Syriae eremitarum statutis aucta. Non cohabitabant aliorum monachorum more, sed singuli habebant cellulas per claustri gyrum positas; sabbatis tantum ad communicandum de necessariis conveniebant, et silentium interrumpebant; in cellulis orationi, lectioni, codicum descriptioni, manuum labori vacabant; 2ª, 4ª et 6ª feria non nisi panem et aquam, caeteris diebus etiam legumina sumebant; crebro ieiunabant; vestibus hirsutis et cilicio ad nudum corpus utebantur; ad summam, magnam paupertatem profitebantur. Cum autem deinde nonnihil degenerassent, an. 1259 in generali Capitulo ea, quae irrepserant, sustulerunt et antiquas leges novis poenis sancierunt. Hoc etiam institutum ita propagatum est, ut saec. XVIII haberet 172 monasteria, quorum 75 in sola Francogallia erant [1].

B. Robertus nobili genere in Campania gallicana natus, iam annis aliquot regulam s. Benedicti in monasterio Molismensi professus, an. 1098 cum nonnullis sociis a caeteris, regulam parum observantibus, discessit et se contulit Cistercium prope Divionem, ubi, annuentibus Hugone archiepiscopo Lugdunensi et Walterio episcopo Cabilonensi, monasterium extruxerunt. Ili regulam s. Benedicti secundum suum rigorem observarunt. Non tantum horum numerus auctus est, sed plura in aliis locis monasteria, Cisterciensi consociata, excitata sunt. Quum Ordo Cisterciensium, sic appellatus a Cistercio, RR. Pontificum auctoritate esset approbatus, per totam ecclesiam Latinam adeo propagatus fuit, ut dimidio saec. XII 500 et dimidio saec. sequentis 1800 abbatias numeraret [2].

Eodem tempore Gasto, vir nobilis et dives in Delphinatu, filium suum a morbo, quem ignem s. Antonii vocant, huius Sancti intercessione liberatum credens, Mottae in Del-

---

[1]) Vid. t. I, p. 262-263. — [2]) *Historia brevis et prolixior priorum Grandimont.* apud Martene, *Veter. Scriptor.* t. IV; Gerardi, *Vita s. Stephani*, apud eumdem Martene; Bolland., *Acta SS.* 8 febr.

[1]) Bolland. *Acta SS.* 6 octobr.; De Tracy, *Vie de s. Bruno avec des remarques sur son Ordre*, Paris 1785, in 12°; Helyot, *Histoire des Ordres relig.* t. VII.

[2]) Bolland. ibid. 29 april.; Manriquez, *Annales Cistercienses*; P. le Nain, *Essai de l' histoire de l' Ordre de Citeaux.*

phinatu iuxta ecclesiam, in qua D. Antonii reliquiae asservabantur, hospitale aedificavit, in quo ab an. 1095 ipse et filius eius, saeculari habitu cum alio atri coloris permutato, aegrotis et piis peregrinatoribus ministrabant. Hoc misericordiae exemplo permoti cum mox alii se eis adiunxissent, Vrbanus Pp. II an. 1096 eorum Congregationem approbavit. Honorius III an. 1218 eos, qui hactenus laici erant et *Antoniani* appellabantur, tria vota monastica emittere concessit. Bonifacius VIII praecepit, ut regulam, D. Augustino adscriptam, observarent et se Canonicos Regulares dicerent, eorum magistro dignitatem abbatialem contulit, Ordinemque, iam in pluribus locis auctum, soli Pontifici subiecit [1].

Alium praeterea exeunte hoc saeculo Ordinem fundavit Robertus, Arbrisselae in Britannia minori natus, qui prius s. Theologiae professor, deinde relicto saeculo in saltu prope Cretumnum vitam eremiticam atque asperrimam amplexus est. Imitatores multos nactus, an. 1100 in vasto campo provinciae Pictaviensis atque a fonte Ebrardi compellato, magnum cellarum numerum, deinde 2 monasteria, alterum pro viris alterum pro feminis erexit. Non multo post 3 monasteria pro feminis aedificavit, quorum primum virginibus et viduis, secundum aegrotis et leprosis, tertium lapsis erat destinatum. Alia in aliis Galliae locis monasteria pro utroque sexu excitavit, cunctis regulam s. Benedicti secundum omnem eius rigorem et novis austeritatibus auctam, observandam praescripsit. Idem Ordo in Hispania et Anglia monasteria condidit [2].

13. *Scriptores ecclesiastici*— Scriptoribus ecclesiasticis, qui per posteriorem huius saeculi partem floruerunt, praesertim adnumerandi sunt sequentes: S. Anselmus episcopus Lucensis, qui pro Ecclesiarum libertate et Gregorio Pp. VII contra Henricum IV eiusque schisma invicte depugnavit [3], scripsitque praeter alia commentarium in Lamentationes Ieremiae et in Psalmos, atque apologeticum pro Gregorio VII [4]. S. Petrus Damiani, e monacho O. S. B. cardinalis episcopus Ostiensis [5]; reliquit plures epistolas, sermones, vitas Ssrum et opuscula de variis argumentis [1]. Lanfrancus, archiepiscopus Cantuariensis, Berengarii debellator, ut vidimus; scripsit librum de Corpore et Sanguine Domini, commentarium in Epistolas D. Pauli, et litteras multas [2]. S. Bruno, episcopus Signiensis [3], qui commentarios edidit in plures s. Scripturae libros, tractatus de dogmate et sermones [4]. Theophylactus, episcopus Acridae et metropolita Bulgariae; inter alia reliquit Commentaria in aliquot Prophetas minores, in quatuor Evangelia, in Acta Apostolorum et in Epistolas D. Pauli [5]. Euthymius Zigabenus, monachus s. Basilii; edidit *Panopliam* dogmaticam contra haereses, *Catenam* in Pentateuchum et Commentarios in Psalmos, in Evangelia et in Epistolas D. Pauli [6]. Michaël Psellus, Cp., qui praeter libros de re philosophica, mathematica et aliis, scripsit paraphrasin metricam in Canticum Canticorum [7]. S. Ivo, episcopus Carnotensis, ecclesiasticae disciplinae et libertatis fortissimus vindex; praeter 22 sermones et 237 epistolas edidit Chronicon regum Francorum, et 2 collectiones Canonum, quarum una Pannomia, altera Decretum Ivonis inscribitur [8]. Gebehardus, episcopus Salisburgensis, qui pluribus litteris Gregorium Pp. VII contra schismaticos defendit. Samuel ab urbe natali cognominatus Marrochianus, qui e iudaeo christianus, librum scripsit de adventu Messiae contra Iudaeos. Adamus can. Bremensis; dedit historiam ecclesiarum Hamburgen. et Bremen. [9]. Bertholdus, presbyter Constantiensis, qui Chronicon ab anno 1053 usque ad 1100 et res gestas sub Gregorio VII et Henrico IV collegit [10]. Marianus Scotus, monachus Benedictinus; exaravit chronicon a Christo nato usque ad an. 1082 [1]. Lambertus Schafnaburgensis, monachus Hirsfeldensis; res gestas ab orbe condito usque ad an. 1050 ordine chronologico breviter, deinde res Germanicas usque ad 1077 fusius narravit [12]. Georgius Cedrenus, monachus graecus; edidit compendium historiarum seu chronicon a mundi exordio usque ad annum 1057 [13].

14. *Expeditiones cruciatae* —Interea Vrbanus Pp. II comparando bello sacro contra

1) Mabillon., *Annales Ord. s. Benedicti*; Helyot, *Histoire des Ordres relig.*
2) Baldric. *Vita Roberti Arbrissel.*; Mainferme, *Clypeus nascentis Fontevraud.*
3) Bolland. *Acta SS.* 3 martii.
4) Apud H. Canis. *Lection. antiquit.* t. III, p. 372, et in *Biblioth. PP.* Lugd. t. XVIII.
5) Bolland. *Acta SS.* 23 febr.

1) Venet. 1783, 4 vol. in-4.º— 2) Paris. 1648, in fol.
3) Bolland. *Acta SS.* 18 iul.— 4) Venet. 1651.
5) Venet. 1754, 4 vol. in-fol.— 6) *Bibl. PP.* Lugd. t. XIX.— 7) Paris 1615 et alibi.
8) Bolland. *Acta SS.* 20 maii. Opera eius edidit Fronteau, Paris. 1647, in-fol.
9) Helmstad. 1670.— 10) H. Canis. *Lection. antiq.* t. I.— 11) Pistor. *Scriptor. German.* t. I.— 12) Basil. 1669, in-fol.— 13) *Scriptor. Byzant.* t. X, ed. Paris.

mahomethanos animum appulit. Vidimus, quantis conatibus Saraceni ab initio mandatum pseudo-prophetae sui de proferendis vi armorum et imperii et religionis suae finibus prosecuti sint. E desertis Arabiae regionibus egressi, in Syriam, Asiam, Africam, Hispaniam, Galliam, Siciliam, Cretam irruerunt, omnes Christianorum principum terras occupare conati. Vix dici potest, quantas calamitates regionibus, quas invaserunt, intulerint. In Arabia, Syria, Asia, Ægypto, Africa, aliisque regionibus, in quibus illi dominabantur, christiani oppressi et in durissimam servitutem redacti sunt. Turcae, qui mahomethanum imperium instaurarunt et magnopere auxerunt [1], Hierosolymis et Palaestina potiti, incolas christianos gravibus oneribus et dura servitute oppresserunt, sacra loca turpiter profanarunt, peregrinantes in Terram sanctam contumeliis et iniuriis affecerunt, et occupata Asia minori, vastatricia arma usque ad muros Constantinopolis protulerunt.

Horum omnium fama in Occidentem perlata, excitavit Europaeorum commiserationem atque desiderium liberandi Christianos Asiae ab infidelium servitute, opemque ferendi periclitanti imperio graeco, ne hoc a mahomethanis deleto, universa Europa in periculum veniret. Iam Michaël Ducas, Graecorum imperator, Gregorii Pp. VII et Latinorum auxilium contra Turcarum progressiones imploraverat, et Pontifex 50 millia virorum in Italia aliisque Occidentis regionibus ad arma contra Turcas in Asiam ferenda comparaverat; sed propter multiplices vexationes, quas huic Pontifici suscitavit Henricus IV, opus non fuit executioni mandatum. Posthaec Alexius Comnenus, imperator Graecorum, legatos literasque misit ad Vrbanum Pp. II et ad principes christianos, eosque ad commiserationem et ad ferendam opem imperio ac christianis Asiae excitavit. Eodem tempore Petrus Ambianensis, professione et cognomento Eremita, magna sanctitatis laude clarus, e Terra sancta, quam pie visitaverat, redux, narravit calamitates et mala ingentia, Christianis et locis sacris a Turcis illata; Vrbanum Pp. hortatus est ad excitandum bellum sacrum; addidit, se ad id opus a Christo ipso excitatum fuisse in visione, sibi in ecclesia Hierosolymis facta; ferebat praeterea litteras Simeonis, patriarchae Hierosolymitani, qui Pontificis et principum occidentalium auxilium implorabat [2].

[1]) Vid. t. I, p. 276.—[2]) Guil. Tyr., *De bello sacro*.

15. *Cruciata I* (*an.* 1096) — His omnibus excitatus Vrbanus II, negotium serio animo aggressus est; Petro eremitae potestatem fecit crucem seu bellum sacrum praedicandi in Italia, Gallia et Germania. Petrus tanto cum successu principes, clerum, populumque ad bellum sacrum excitavit, ut ingens ubique multitudo se ad illud accingeret. Idem negotium Vrbanus Pp. prosecutus est in synodis, quas in Italia et Gallia coëgit. An. 1095 in synodo Placentiae habita, ad quam 200 episcopi ex Italia, Gallia et Germania, pluraque clericorum et laicorum millia convenerant, auditis Alexii Comneni, Graecorum imperatoris, legatis, qui Pontificis et Occidentalium auxilium contra Turcarum progressiones implorabant, multi, hortante Pontifice, se iureiurando sacrae expeditioni obstrinxerunt. In synodo Claromontana Vrbanus Pp. coram innumera pene episcoporum, abbatum, clericorum et laicorum multitudine narratis malis, olim Christianis in Occidente nuncque in Oriente illatis ab infidelibus, atque periculis, quae universam Europam e Turcarum progressionibus manebant, tanta vi de bello sacro disseruit, ut omnes uno ore exclamarent: « Voluntas Dei est ». Praeterea Pontifex omnibus contritis et confessis, qui se ad bellum sacrum accingerent, indulsit cunctas poenas canonicas pro quibuscumque peccatis meritas, eorum personas et bona sub praesidio Ecclesiae constituit, decrevitque, ut bellum hoc suscepturi crucem e panno similive materia in humero dextero gererent, unde *crucigeri*, et ipsae expeditiones *cruciatae* dicebantur. De eodem negotio Pontifex egit in synodis Lemovicensi et Turonensi [1].

Quum sic ubique gravissimis rationum monumentis cruciata expeditio praedicaretur, viri principes, nobiles, plebeii innumeri, multi clerici atque episcopi crucem susceperunt. Inter principes cruciatos praecipui erant Hugo frater regis Francorum, Godefridus Bullionaeus dux Lotharingiae inferioris, eiusque fratres Balduinus et Eustachius, Robertus dux Normanniae, Robertus comes Flandriae, Stephanus comes Blesensis, Raymundus Tolosanus, Boemundus Tarentinus. Convenit inter eos, ut diverso itinere exercitus suos in Orientem ducerent et Constantinopolim convenirent. Qui sub Petro eremita, Gauterio, aliisque imperitis ducibus profecti sunt sine ordine et disciplina, in via neque

[1]) Berthol. *Chron.* an. 1095; Labbe, *Concil.* t. X, p. 500, 506, 598 et 601.

a rapina neque ab aliis excessibus abstinuerunt, et magno numero tum Bulgarorum et Turcarum armis tum aliis causis perierunt. Principes vero maiori cum ordine exercitus suos ducentes, unus post alium Constantinopolim pervenerunt. Hi Turcas in Asia minori aggressi, an. 1097 Nicaeam, fugáto sultano, occuparunt. Inde progressi, sultanum secundo vicerunt prope Doryleum. Cum pervenissent Tarsum Ciliciae, Balduinus, frater Godefridi Bullionaei, exercitum suum duxit in Mesopotamiam, plerasque civitates accepit et an. 1098 principatus sui sedem constituit Edessae. Caeteri principes victricia arma protulerunt usque Antiochiam Syriae metropolim, quam eodem an. 1098 post obsidionem 4 mensium occuparunt, eiusque principatum demandarunt Boëmundo comiti Tarentino, qui illum occupatis finitimis locis plurimum auxit et contra Turcarum impetus fortiter defendit. Godefridus Bullionaeus cum 25 millibus virorum profectus est Ierusalem, quam 40 millium Turcarum praesidio defensam, obsedit, et post 5 hebdomadas an. 1099 assaltu expugnavit. Hostes internecione deleti sunt, et Godefridus omnium acclamatione rex Hierosolymorum creatus [1].

Sic crucigerorum armis Turcarum imperium in Asia minori et Syria repressum fuit, christiani a durissima servitute liberati, Religio vindicata atque restituta. Cum autem huius et caeterarum expeditionum cruciatarum precipui excitatores et promotores fuerint RR. Pontifices, mirum non est, R. Ecclesiae adversarios, praesertim haereticos protestanticos et saeculi XVIII incredulos, de iustitia harum expeditionum esse oblocutos; sed eas fuisse maxime iustas, evincitur e gravissimis et iustissimis illarum causis, quas supra indicavimus [2].

16. *Ecclesiae status in Anglia. S. Anselmus* — In Anglia autem Guilielmo regi I an. 1087 successit Guilielmus II, filius eius, postquam Lanfranco archiepiscopo Cantuariensi et Angliae primati iureiurando promisisset, se in omni negotio iustitiam et misericordiam sectaturum, pacem et libertatem defensurum. Verum Guilielmus rex promissa sprevit, post obitum Lanfranci (1089) Ecclesias vexavit, earum bona invasit, vacantium ecclesiarum reditus usurpavit, dignitates ecclesiasticas pretio vendidit. Anno 1093 gravi aegritudine correptus, s. Anselmo abbati Beccensi, tunc in Anglia agenti peccatorum confessus est, vitae emendationem spopondit, et Anselmum quamvis invitum, ad sedem Cantuariensem, iam ab an. 1089 vacantem, eligendum atque consecrandum curavit. Verum cum brevi post s. Anselmus regem interpellasset, ut ad corrigendos abusus synodus generalis e regno cogeretur, abbatiis vacantibus abbates praeficerentur, sibique Romam proficisci liceret, ut e manu Vrbani Pp. pallium susciperet, Guilielmus rex qui Vrbanum II nondum agnoverat, ita iratus est, ut episcopos ad deponendum Anselmum convocarit. Quum episcopi respondissent, Anselmum utpote primatem Angliae a solo Pontifice deponi posse, rex iis mandavit, ut omnem obedientiam et amicitiam Anselmo denegarent. Paulo post rex a magnatibus ad meliorem mentem revocatus, Vrbanum Pp. agnovit, Walterum cardinalem Legatum suscepit, et Anselmo pacem liberamque ecclesiarum administrationem reddidit; anno autem 1100 tristi sorte extinctus est [1].

Henricus I, Guilielmi frater et successor, ea quae a fratre suo iniuste fuerant acta, rescidit, sed investituras dimittere noluit; quapropter inter eum et s. Anselmum convenit, ut res ad Apostolicam Sedem deferretur. Interea Anselmus, assentiente rege, ad corrigendos abusus, qui invaluerant, an. 1102 generalem synodum coëgit. In ea nonnulli abbates simoniaci depositi sunt, clericis maioribus coelibatus inculcatus et popinarum atque compotationum consuetudo prohibita, ecclesiasticarum dignitatum emptio atque consanguineorum coniugia usque ad septimam generationem vetita, aliaque nonnulla utiliter constituta sunt [2].

Attamen Henricus rex quamvis monitus a Paschali II, qui an. 1099 Vrbano II in summo pontificatu successerat, in usurpandis investituris pertinax extitit; et Anselmus, qui pro officio suo hac in re ei assentiri minime poterat, exulare coactus est. Paulo post rex

---

1) Guiliel. Tyrius, *De bello sacr.* l. 1-9; Wilkin, *Historia expedit. Cruciat.*, germanice; Michaud, *Histoire des croisades.* — Godefridi Bullionaei res gestas in prima Cruciatorum expeditione adversus Turcas mirandum in modum descripsit Torquatus Tasso in suo perquam praestanti epico poemate, *La Gerusalemme Liberata.*

2) Cf Bergier, *Diction. thèologiq.* art. *Croisades*; I. B. Palma, *Praelect. Histor. eccles.* t. III, part. I, c. 6.

1) Eadmer. *Historia Novorum*, l. 1-2; Bolland. *Acta SS.* 21 april.

2) Labbe, *Concil.* t. X, p. 728.

comminatoriis Paschalis Pp. litteris et defectionis periculo in regno perterritus, s. Anselmum revocavit et an. 1107 copiosum episcoporum, abbatum et procerum conventum indixit Londoniae. In eo post longam de investituris disceptationem rex eas tum in Anglia tum in Normannia dimisit et episcopis ad corrigendos abusus opem promisit [1]. Cum autem clerici multi incontinentia sua ecclesias dehonestarent, s. Anselmus an. 1108 Londoniae synodum coëgit, in qua 10 decreta sancita sunt, nimirum ut omnes presbyteri, canonici, archidiaconi, diaconi et subdiaconi vitam castam ducerent, mulieres praeter eas, quas canones excipiebant, ab illorum domibus arcerentur, qui contra fecerint, a divino officio remoti, omnique ecclesiastico beneficio privati, e choro pellerentur, et si missam celebrare ausi fuerint, excommunicarentur [2].

S. Anselmus de instauratione disciplinae iuriumque Ecclesiae defensione optime meritus, an. 1109 aeternam coronam consecutus est [3]. Non tantum sanctitatis, sed etiam eruditionis laude claruit in philosophicis ac theologicis disciplinis versatissimus, plura opera reliquit, inter quae eminent *Monologium* et *Prosologium* de Dei existentia et attributis, liber de fide Trinitatis et Incarnationis praesertim contra errores Roscelini [4], libri de processione Spiritus S. et de pane azymo atque fermentato contra Graecos, de Dei incarnatione cui titulus *cur Deus homo*, contra gentiles, de conceptu virginali et peccato originali, de concordia praescientiae, praedestinationis et gratiae cum libero arbitrio [5].

17. *Paschalis II, Pontifex* (*an.* 1099) — Interea Vrbanus Pp. II IV° calendas augusti 1099 obiit, morum integritate, eruditionis laude, itineribus ac laboribus pro Ecclesia susceptis clarus [6]. Post dies quindecim omnium suffragiis electus est Rainerius, Hetruscus, e monacho Cluniacensi cardinalis presbyter, morum honestate, doctrina et singulari in gerendis rebus prudentia commendandus, qui nomen Paschalis II assumpsit et Ecclesiam gubernavit usque ad annum 1118.

Cum Guibertus antipapa eiusque sectarii in ditione R. Ecclesiae turbas graves excitarent, Paschalis Pp. secundum Romanorum preces exercitum conscripsit, a quo Guibertus Albano eiectus anno 1100 subita morte sublatus est. Tunc schismatici unum post alterum elegerunt Albertum et Theodoricum; qui post paucos dies intercepti, monasteriis mancipati sunt. Elegerunt adhuc Maginulfum, quem Silvestrum IV appellarunt; sed hic etiam brevi post a Romanis ex Vrbe pulsus, exul obiit [1].

Tranquillitate restituta, Paschalis II an. 1102 copiosam episcoporum synodum Romae coëgit, in qua ad exscindendas schismatis reliquias praescriptum est iusiurandum quod sequitur: « Anathematizo omnem haeresim et praecipue eam, quae statum praesentis Ecclesiae perturbat, quae docet et adstruit, anathema contemnendum et Ecclesiae ligamina spernenda esse. Promitto autem obedientiam Apostolicae Sedis Pontifici Domino Paschali eiusque successoribus sub testimonio Christi et Ecclesiae; affirmans quod affirmat, damnans quod damnat sancta et universalis Ecclesia [2] ».

---

1) Labbe, *Concil.* t. X, p. 753.

2) Ibid. p. 754.

3) Bolland., *Acta SS.* 21 april.

4) Roscelinus clericus et scholasticus Compendiensis, e schola Nominalium, quorum parens a multis appellatur, philosophia quam theologia eruditior, Tritheismum innovavit, asserens, in Deo tres personas esse tres res ab invicem separatas, sicut sunt tres angeli, ita tamen ut una sit earum voluntas, proinde vere dici posse, si usus admitteret, tres Deos. Hi errores an. 1092 damnati sunt in synodo Suessionensi, in qua Roscelinus ipse eos abiecit, sed postea in eosdem relapsus est.

5) Opera s. Anselmi edidit G. Gerberon, Paris. 1675, in-fol.

6) Bona (*Rer. Liturgicar.* l. II, c. 10, § 3, et *Divinae Psalmodiae* c. 12, § 2). refert, Vrbanum II, *Praefationem* de B. Virgine in Missa instituisse, eiusdemque *Officium natum educatumque in claustris monachorum in lucem gentium sapienter eduxisse.* Petrus Diaconus, Casinensis, vero, Officii B. V. institutionem Gregorio II tribuit. At Gregorius, teste Baronio, *Pontificatum iniit anno salutis 715. Antiquior igitur quam vulgus hominum putat* (scribit idem Bona, loc. cit. § 2), *huius Officii usus et ordinatio est.* Radulphus Tungrensis (*De Canonum observantia*, prop. 20, *Bibl. Patr.* t. XXVI) subiungit: *De Officio B. Virginis legitur, in Chronicis, quod Vrbanus II qui novem Praefationibus prioribus decimam de B. Maria Virgine addidit, in Galliam veniens, Concilium, apud Claromontem urbem celebravit anno Domini 1096 de mense novembri: in quo statutum est, quod Horae B.M. Virginis quotidie dicantur, Officiumque eius diebus Sabbatorum solemniter fiat. Quod quidem,* ut est apud Labbeum *Concil.* t. X, *tunc a sancta Synodo, Vrbano agente, indictum et a clericis pie susceptum ad laicos quoque fuit tam viros, quam mulieres propagatum, et quidem cum magno foenore gratiarum, ut experti sunt omnes iugiterque experiuntur Fideles illud ex animo frequentantes.* Vide Baronium, ad an. 1095, § 51.

1) Baronius et Pagi, ad an. 1100.

2) Labbe, *Concil.* t. X, p. 727.

Idem Pontifex, quum Philippus, rex Francorum, Bertradam revocasset [1], in Galliam legavit Ioannem et Benedictum cardinales, qui an. 1100 contumacem regem in synodo Pictaviensi excommunicarunt. Tandem Philippus et Bertrada resipuerunt, et postquam an. 1104 in synodo Parisiensi tactis sanctis Evangeliis iurassent se non modo omnem carnalem consuetudinem, et contubernium relicturos, sed ne ullum quidem colloquium nisi sub testimonio personarum spectatae fidei habituros, absoluti sunt [2].

Posthaec Paschalis II, Henrico IV a Germanis deiecto, advocatus in Germaniam ad conciliandam ecclesiarum et regni pacem, Roma profectus est. Guastallae in Langobardia an. 1106 cum multis episcopis et clericis ultra et infra-montanis synodum habuit, in qua de episcopis et clericis extra communionem catholicam ordinatis, quales multi erant in regno Teutonico, constitutum est, ut episcopi aliique clerici in schismate ordinati, modo non essent invasores, simoniaci aut criminosi, sed vita et scientia commendandi, in officiis suis reciperentur; et ad eliminandas simoniae et aliorum malorum causas rursum investiturae prohibitae sunt sub poena excommunicationis pro laicis, qui eas darent, et sub poena depositionis pro clericis, qui eas acciperent [3]. Ex eadem synodo Pontifex epistolam scripsit ad clericos et fideles regni Teutonici, in qua reprehendit rigorem eorum, qui ad vitandos excommunicatos regno exeundum esse putabant, conceditque ad communionem admitti posse eos, qui inviti, sive servitii sive cohabitationis causa, cum excommunicatis communicassent [4].

Cum autem audivisset Paschalis II, Henricum V, patris sui Henrici IV in regno successorem, in conferendis investituris perseverare, iter flexit in Galliam, ubi a Philippo rege eiusque filio Ludovico honorifice exceptus est. Anno 1107 synodum coëgit Trecis, in qua novis decretis libertatem sacrarum electionum secundum canonum praescripta ecclesiis confirmavit [5]. In Italiam redux, de eadem re contra investituras decreta promulgavit an. 1108 in Beneventana et an. 1110 in Romana synodo [6]. De dissidio huius Pontificis cum Henrico V mox dicemus.

18. *Ecclesiae status in Germania* — In Germania autem Henricus IV in schismate et rebellione contra legitimum Pontificem pertinax, episcopos Pontifici obedientes, male habuit, rebelles vero protexit. Inter schismatis eius fautores praecipui fuerunt Gauterius Cameracensis et Otbertus Leodiensis episcopi. Extat in hanc rem epistola Paschalis II ad Robertum comitem Flandriae, quem hortatur, ut quemadmodum iam fecerat contra schismaticos et rebelles clericos Cameracenses, etiam contra Leodienses arma conferret, et curaret ut qui seipsos ab Ecclesia catholica segregarant, per catholicos ab Ecclesiae beneficiis segregarentur [1]. Id quum audivissent Leodienses, petulantissimam epistolam seu potius declamationem contra Pontificem ediderunt [2].

Verumtamen res Henrici IV mutatae sunt. Quemadmodum in Italia Conradus, ita in Germania Henricus contra patrem rebellavit an. 1104. Henricus filius, huius nominis V, condemnato schismate et obedientiam R. Pontifici professus, confestim a proceribus Bavariae, Germaniae superioris, Franconiae et Saxoniae susceptus est. Biennio post generalia regni comitia indicta sunt Moguntiae, in quibus Henricus IV, a filio suo interceptus, se regno abdicavit, et Henricus V ab omnibus rex salutatus et susceptus est. Praeterea ad componendum ecclesiarum statum, schismate perturbatum, viri idonei, Bruno archiepiscopus Trevirensis, Henricus Magdeburgensis, Otto Bambergensis et alii Romam legati sunt [3].

Postquam Henricus IV regnum recuperare frustra tentasset, secessit Leodium, ubi VII idus augusti 1106 obiit. Corpus eius ibidem sepultum, deinde exhumatum et Spiram translatum, 6 annis sepultura christiana caruit. Eo amoto, catholicorum causa ubique praevaluit, schismatici episcopi sedibus suis privati sunt et in eorum loca ordinati antistites catholici, illorum, qui in schismate obierant, corpora exumata et extra ecclesias condita sunt [4]. Verumtamen Henricus V toties proscriptas investituras retinuit et propter eas turbas graves excitavit.

19. *Lis inter Paschalem II et Henricum V* — Quum Paschalis Pp., ut supra vidimus, in Germaniam iturus, iter flexisset in Galliam, Henricus V oratores ad eum misit. Hi a Pontifice Catalauni an. 1107 excepti, dixe-

1) Vid. p. 13.
2) Labbe, *Concil.* t. X, p. 720 et 742.
3) Ibid. p. 748 — 4) Ibid. p. 645.
5) Ibid. p. 754. — 6) Ibid. p. 757 et 763.

1) Labbe, loc. cit. p. 629. — 2) Ibid. p. 630.
3) Ibid. p. 745. — 4) Abbas Vrspergensis, *Chronicon*.

runt, ad imperii ius pertinere, ut omnis electio ad imperatorem deferretur, eius assensu confirmaretur, et electus ab eo annulo et virga seu baculo investiretur. Pontifex per episcopum Placentinum respondit, Ecclesiam pretioso Christi sanguine redemptam, et liberam constitutam, nullo modo ancillari oportere. Illi minas protulerunt; Pontifex vero eos excitavit, ut non discordiae sed paci operam darent[1]. Anno 1110 Henricus V cum exercitu Alpes transiit tum ut regnum Langobardicum Teutonico uniret tum ut a Pontifice imperator coronaretur. Langobardia sibi subiecta, legatos Romam misit, qui concordiam tractarent. Convenit inter legatos Pontificis et Henrici, ut hic investituras dimitteret, ecclesiarum libertatem, oblationes et possessiones sartas tectas servaret, patrimonia atque dominia B. Petri restitueret; Pontifex vero Henricum imperatorem coronaret, quae a temporibus Caroli M. eiusque successorum ad regnum pertinebant, imperatori dimitteret, idemque faciendum imperaret episcopis in coronatione eius praesentibus. Henricus an. 1111 Vrbem ingressus, a Pontifice, clero et populo honorifice exceptus est; verum spretis pactis, investituras dimittere noluit, Pontificem, ideo eum coronare recusantem, cum cardinalibus sub militari custodia detinuit, et in Romanos saeviit. Romani in furorem versi, Germanos quotquot in urbe occurrebant, occiderunt, et utrinque acerrime pugnatum est.

Cum Henricus V neque minis neque iniuriis Pontificis constantiam flectere posset, Paschali, cardinalibus, aliisque captivis libertatem spopondit, si sibi investiturae concederentur, quibus non officia sacra, sed sola regalia conferre intenderet. Paschalis II non propria sed aliorum captivitate. Vrbis desolatione et periculo schismatis ad annuendum Henrico inductus, eum postquam iurasset, se captivis libertatem, Romanis pacem, Ecclesiae sua patrimonia et Pontifici obedientiam restituturum, imperatorem coronavit, eique indulsit, ut regni sui episcopis et abbatibus, sine violentia et simonia electis, investituram annuli et baculi conferret, utque nullus electus, nisi ab eodem investitus, consecraretur[2].

Henricus V voti sui compos in Germaniam regressus est; at privilegium a Paschali Pp. ei concessum magnam dissensionem tum intra tum extra Vrbem excitavit. Pontifex metuens, ne ista dissensio schisma pareret, an. 1112 frequentem synodum Romae coëgit, in qua exposuit, qua ratione ad concedendum Henrico istud privilegium fuisset adactus, deinde facta fidei professione, illud, tota suffragante synodo, damnavit et irritum dixit[1]. Idem privilegium in multis episcoporum synodis, per varias provincias coactis, damnatum est, et Henricus propter iniurias R. Pontifici illatas excommunicatus[2]. In Germania multi principes, ecclesiastici ac laici, praesertim Saxones, Henrici V partes deseruerunt et consortium eius vitarunt, unde rursus imperium in duas partes scissum est.

Henricus subditorum defectionem metuens, ann. 1115 in Italiam profectus est specioso componendae discordiae praetextu. Quum in Langobardiam pervenisset, oratores Romam misit. Paschalis Pp. an. 1116 copiosam episcoporum e diversis provinciis regnisque synodum coëgit, in qua de praesenti negotio actum est. Verum paucis post diebus excitata a factiosis in Vrbe seditione, Paschalis Pp. ex ea discessit, vicesque suas demandavit Mauritio Burdino, episcopo Bracarensi in Hispania, qui tunc temporis Romae erat. Henricus V, qui factiosis gratulabatur, an. 1117 cum exercitu in Vrbem venit, plerosque optimates muneribus aliisque artibus sibi devinxit, et Burdinum ipsum, Pontificis vicarium, in partes suas pertraxit. Paschalis II his auditis, proditorem Burdinum excommunicavit, et episcopis Hispanis praecepit, ut alium episcopum in eius locum ordinarent[3].

Post Henrici V discessum Paschalis Pp. Romam reversus est, ubi senio laboreque confectus, XV calendas februarias 1118 vita excessit.

20. *Gelasius II*, *Pontifex* (*an.* 1118) — Paschali II legitimis cardinalium suffragiis an. 1118 suffectus fuit Ioannes, natione Campanus et patria Caietanus, e monacho Casinensi R. E. cardinalis diaconus et cancellarius; * vir singularis pietatis et eruditionis,

---

[1]) Sugerius, *Vita Ludovici VI*.

[2]) *Chronograph. Hildensheim.*; Petrus Diacon. *Chron. Casin.* l. IV; Baron., ad an. 1109-11.

---

[1]) Labbe, *Concil.* t. X, p. 767. Hinc carpsere nonnulli Paschalem II, sed horum accusationem reiicit Baronius, ad an. 1112, § 18, nec non Benedictus XIV, *De Serv. Dei Beat.* l. I, c. 41, § 10.

[2]) Petrus Diacon., loc. cit.; *Chron. Vrsperg.*; Labbe, loc. cit. p. 766. 784, 797 et 801.

[3]) Labbe, *Concil.* t. X, p. 806 et 812; Baron. ad an. 1115-17.

*) Gelasium II sub tribus PP. Victore III, Vrbano II et Paschali II Cancellarii officio functum esse, refert Mabillon. *Ann. Bened.* ad an. 1117.

qui nomen Gelasii II assumpsit. Quod cum audivisset Cencius Frangipanes, vir potens in Vrbe et imperatoris partibus addictissimus, armata manu Pontificem apprehendit, et calcibus contusum catenisque constrictum in carcerem coniecit Sed confestim proceres et cives sumptis armis Pontificem restituerunt.

Burdinas antipapa — Vix restituta erat tranquillitas, quum noctis silentio Henricus imperator in Vrbem venit. Gelasius Pp. insidias eius declinans, clam aufugit. Imperator ei per nuncios significavit, ut indultum sibi quondam a Paschali II privilegium ratum haberet, secus sciret, se alium Pontificem constituturum. Reipsa audacissimus Henricus minas executus, Mauritium Burdinum, supra a Paschali II excommunicatum, in pontificiam sedem intrusit, et ab eo iterum coronatus, rediit in Liguriam, hincque in Germaniam.

Gelasius Pp. tum Henricum V tum Burdinum antipapam in synodo Capuana excommunicavit, et post imperatoris discessum Romam reversus est; sed brevi post nova seditione et tumultu a Frangipanibus excitatis, aufugere coactus fuit, et vicibus suis demandatis Petro episcopo Portuensi, transiit in Galliam, *portum Romanae Ecclesiae fluctuantis naviculae Petri* [1], opem Ludovici regis, qui an. 1108 Philippo patri suo successerat, imploraturus. Verum cum Matisconem pervenisset, gravi pleuritidis morbo correptus, delatus est Cluniacum, ubi IV calendas februarias 1119 ad meliorem vitam transiit [2], cum per annum et dies quatuor Pontifex fuisset. Quo quidem post Martyres, inquit Baronius [3], qui fuso sanguine martyrium consummarunt, haud facile inter Romanos Pontifices aliquem quis invenerit, qui breviori vitae tempore maiora sit passus, ob idque praeclariori corona donandus, atque celebrioribus fuerit praeconiis celebrandus [*].

21. *Callistus II, Pontifex* (*an.* 1119) — Defuncto Gelasio II, cardinales et clerici romani, qui erant in eius comitatu, apud Cluniacum comitia coëgerunt, et summo consensu elegerunt Guidonem, archiepiscopum Viennensem, in divinis Scripturis eruditum, et saecularium litterarum non ignarum, pietate, prudentia atque constantia spectatissimum, qui accepto etiam cardinalium Romae commorantium et Romanorum assensu, Viennae V idus februarii 1119, sub nomine Callisti II inauguratus est et Ecclesiam gubernavit usque ad annum 1124.

Novus Pontifex confestim componendis Ecclesiarum rebus animum applicuit; eodem anno 1119 VII idus iunii, Tolosae cum cardinalibus multisque episcopis et abbatibus synodum habuit, in qua simonia in sacris Ordinationibus et promotionibus iterum damnata est, novi Manichaei anathemate damnati et potestati saeculari denuntiati, et prohibitum, ne beneficia et dignitates ecclesiasticae haereditario iure transmitterentur [1]; XIII calendas novembris alteram synodum coëgit Rhemis, cui e diversi occidentis regionibus interfuerunt 13 archiepiscopi, 200 et amplius episcopi magnusque numerus abbatum. In hac synodo editi sunt 5 canones contra simoniam, investituras, clericorum incontinentiam et violatores trewgae Dei. In eadem synodo Callistus II Burdinum antipapam et Henricum imperatorem, quem frustra ad componendam pacem hortatus fuerat, excommunicavit, subditosque eius a fidei iuramento absolvit, donec is resipisceret et Ecclesiae faceret satis [2].

Posthaec Callistus Pp. Italiam petiit; ubique in via summo cum honore et applausu exceptus, III nonas iunii 1120, magna cum pompa a Romanis in Lateranense palatium introductus est. Burdinus antipapa, qui ex Vrbe confugerat Sutrium, a Normannis, ex Apulia a Pontifice advocatis, interceptus et Romam ductus, monasterio Cavensi inclusus fuit. Callistus vero pacem et securitatem in Vrbe restituit [3].

22. *Pax inter Sacerdotium et Imperium* — Sub eodem Pontifice concordia sacerdotium inter et imperium restituta fuit. Anno quippe 1121, cum dissidia bellumque civile universum imperium manerent, in comitiis Wiceburgensibus de pace atque concordia tractatum est, convenitque, ut oratores Romam mitterentur. Selecti sunt ad hanc missionem Bruno episcopus Spirensis et Arnulphus abbas Fuldensis, quos magno gaudio excepit pacificus Pontifex, et cum iis ad imperatorem legavit Lambertum cardinalem episcopum Ostiensem, Saxonem presbyterum et Grego-

---

1) Baronius, ad an. 1118, n. 14.
2) Baronius et Pagi, ad an. 1119.
3) Ad an. 1119, n. 2.
*) Petrus Diaconus, *Chron. Casinens.* l. IV, c. 121, dicit, Casinense coenobium Romanae Sedi Stephanum (*Nonum*) Septimum, Victorem Tertium, ac Secundum Gelasium apostolicos dedisse, et multis Ecclesiis catholicos, idoneosque Pastores.

1) Labbe, *Concil.* t. X, p. 856.
2) Ibid. p. 862.
3) Baronius et Pagi, ad an. 1120-21.

rium diaconum cardinales. Quum hi in Germaniam pervenissent, comitia generalia indicta sunt Wormatiae an. 1122, in quibus pax ita composita fuit, ut imperator investituras per annulum et pedum, ecclesiasticae dignitatis symbola, dimitteret, episcopi et abbates in imperio coram imperatore vel eius legato sine vi ac simonia eligerentur, electique investituram regalium idest feudorum aliorumque bonorum, quae a regibus et principibus ecclesiis et abbatiis fuerant donata, per sceptrum ab imperatore acciperent. En concordati huius, quod a loco appellatum est Wormatiense, textum:

« Ego, Henricus, Dei gratia Romanorum imperator augustus, pro amore Dei et s. Romanae Ecclesiae et domni Pp. Callisti et pro remedio animae meae, dimitto Deo et ss. Apostolis Petro et Paulo sanctaeque catholicae Ecclesiae omnem investituram per annulum et baculum; et concedo in omnibus ecclesiis, quae in regno et imperio meo sunt, canonicam fieri electionem et liberam consecrationem. Possessiones et regalia B. Petri, quae a principio huius discordiae usque ad hodiernam diem sive patris mei tempore sive meo ablata sunt, quae habeo, s. Romanae Ecclesiae restituo, quae autem non habeo, ut restituantur, fideliter adiuvabo. Possessiones etiam omnium aliarum ecclesiarum et principum et aliorum tam clericorum quam laicorum, quae habeo, reddam, quae non habeo, ut reddantur, fideliter adiuvabo; et do veram pacem domno Pp. Callisto sanctaeque Romanae Ecclesiae et omnibus, qui in partibus ipsius sunt et fuerunt; et in quibus s. Romana Ecclesia auxilium postulaverit, fideliter adiuvabo.

« Ego, Callistus, servus servorum Dei, tibi, dilecto filio Henrico, Dei gratia Romanorum imperatori augusto, concedo, electiones episcoporum et abbatum regni Teutonici, qui ad regnum pertinent, in praesentia tua fieri absque simonia et aliqua violentia, ut si qua inter partes discordia emerserit metropolitani et comprovincialium consilio vel iudicio saniori parti assensum et auxilium praebeas. Electus autem a te regalia per sceptrum recipiat, exceptis omnibus, quae ad Romanam Ecclesiam pertinere noscuntur; et quae ex his tibi iure debet, faciat. Ex aliis vero partibus imperii consecratus infra 6 menses regalia per sceptrum a te recipiat. De quibus vero querimoniam mihi feceris et auxilium postulaveris, secundum officii mei debitum auxilium tibi praestabo. Do tibi veram pacem et omnibus, qui in parte tua sunt aut fuerunt tempore huius discordiae ».

Pactis utrinque sancitis et confirmatis, imperator in Ecclesiae communionem receptus est et generalis venia omnibus, qui discordiae ac schismati faverant, indulta [1].

Per praedictum concordatum Callistus Pp. consecutus est id, pro quo s. Gregorius VII eiusque successores tanta constantia certaverant, nimirum ut potestas eligendi episcopos, quam summi imperantes in magnum ecclesiasticae rei detrimentum specioso investiturae praetextu usurpaverant, ecclesiis restitueretur. Ex hoc tempore vetus eligendi episcopos ratio certam mutationem subiit [2]. Etenim propter dissensiones factionesque partium, immodicas metropolitanorum cupiditates et saecularium potestatum usurpationes, usus pedetentim invaluit, ut non tantum populi votis sed etiam episcoporum provinciae suffragiis cessantibus, episcopi eligerentur a solis Capitulis Cathedralibus. Invectam iam novi iuris regulam, qua et populus et episcopi provinciae ab episcopalibus electionibus exclusi sunt, an. 1215 confirmavit generale concilium Lateranense IV sub Innocentio Pp. III, canonibus 24 et duobus sequentibus totam suffragiorum potestatem asserens canonicis ecclesiae vacantis, electiones per saecularis potestatis abusum factas proscribens, poenasque definiens in metropolitanos, qui electiones minus canonicas confirmaverint [3].

23. *Concilium Lateranense I, generale IX* (*an.* 1123) — Nihil sane iucundius Callisto Pp., nihil salubrius universae Ecclesiae obtingere potuit, quam ut extincto schismate sedatisque discordiis, quibus tot annis Ecclesia et imperium fuerant perturbata, pacis foedere animi sociarentur, Ecclesia redderetur libera, concordia sacerdotium inter et imperium restitueretur. Vt tanti momenti negotium sollemni ratione confirmaretur, res Ecclesiae publicae ordinarentur et disciplina instauraretur, Callistus Pp. an. 1123 concilium generale in Lateranensi basilica coëgit, quod inter oecumenica concilia nonum est et primum ex oecumenicis in Occidente habitis. Teste Sugerio abbate s. Dionysii, qui adfuit, con-

---

1) Labbe, *Concil.* t. X, p. 889; Baronius et Pagi, ad an. 1121-22.

2) Vid. t. I, p. 65.

3) Labbe, *Concil.* t. XI, p. 176; *Decretal.* tit. *de Electione*; Thomassin, *Vetus et nova Eccl. discipl.* part. II, l. 2.

venerunt ex omnibus fere regnis occidentalibus 300 episcopi plurimique abbates [1]. Praesedit Pontifex ipse. In primis concordatum inter Callistum Pp. II et Henricum imperatorem V, in comitiis Wormatiensibus confectum, confirmatum est. Actum etiam fuit de ferendis suppetiis Christianis contra Turcas in Oriente et contra Mauros in Hispania, et renovatae indulgentiae, ab Vrbano II crucigeris et omnibus aliquid ab bellum sacrum conferentibus, concessae. Deinde Patres egerunt de disciplina ecclesiastica. De numero canonum huius Concilii haud certo constat: antiquus codex ms. monasterii Anianensis 17, vulgatae Conciliorum collectiones 22 numerant. Vt plurimum canones isti desumpti sunt ex antiquioribus conciliis. Damnantur rursum in iis simoniacae ordinationes; coelibatus presbyteris, diaconis et subdiaconis inculcatur; principes et alii laici a dispensatione bonorum ecclesiasticorum arcentur; matrimonia consanguineorum prohibentur; auferentes oblationes ecclesiis factas, item cudentes aut studiose expendentes falsam monetam excommunicantur [2].—Idem Pontifex in hoc concilio decrevit Conrado Episcopo Constantiensi locum esse in Sanctis [*].

24. *Honorius II, Pontifex* (*an.* 1124) — Callistus Pp. idibus decembris 1124 e vivis excessit. In eius locum electus est Theobaldus, presbyter cardinalis; sed cum eius electio Leoni Frangipani aliisque in Vrbe potentibus non probaretur, mox electus fuit Lambertus, cardinalis episcopus Ostiensis. Theobaldus schismatis vitandi causa eodem die iure suo cessit Lambertus etiam, cognoscens electionem suam esse vitiosam, eidem nuncium misit. Sed cardinales modestiam Lamberti admirantes, eum pro legitimo pontifice sub nomine Honorii II habendum esse decreverunt [3].

Honorius Pp. ad componenda Ecclesiarum negotia in varias christiani orbis regiones apostolicos Legatos destinavit: Ægidium episcopum Tusculanum in Orientem; Gerardum cardinalem in Germaniam; Gregorium de Crescentio in Daniam; Ioannem Cremensem in Angliam et Scotiam; Matthaeum Albanensem in Galliam; Humbertum in Hispaniam. Henrico imperatore V an. 1125 sine liberis defuncto, Pontifex imperium confirmavit Lothario, duci Saxoniae, pietatis et bellicae rei laude claro; Fridericum Sueviae et Conradum Franconiae duces, in Lotharium rebelles, excommunicavit, et Anselmum, qui Conradum regem Italiae coronaverat, archiepiscopatu Mediolanensi privavit. Excommunicavit etiam Rogerium comitem Siciliae, quod ducatum Apuliae atque Calabriae, R. Ecclesiae feudum, invasisset: postea eum, quum vassallorum more R. Ecclesiae hominium [*] praestitisset, eodem ducatu investivit.

Ioannes Cremensis, Honorii II Legatus in Anglia, an. 1128 cum 22 episcopis et 40 abbatibus synodum habuit Londoniae apud Westmonasterium. Condita in ea sunt 17 decreta, quibus anteriorum synodorum statuta contra simoniacas ordinationes, contra clericorum cum mulieribus contubernia, contra incesta coniugia aliosque abusus et pravas consuetudines innovata fuerunt [1]. Matthaeus Albanensis, apostolicus legatus in Gallia, an. 1128 synodum coëgit Trecis, in qua Ordinis Templariorum, de quo infra dicemus, institutio confirmata est, regulaque in 72 capita distributa, iis tradita [2].

25. *Pomeranorum conversio* — Sub pontificatu Honorii II ad christianam fidem conversi sunt Pomerani, qui ad mare Balticum usque ad Vistulam et Wartham habitabant. Quum Boleslaus III, dux Poloniae, an. 1121 Pomeranos subegisset, eis ad Religionem christianam convertendis maximam operam navavit. Eius precibus et R. Pontificis auctoritate s. Otto, episcopus Bambergensis, ad Pomeranos profectus, an. 1124 et sequente illic tanto cum fructu Evangelium praedicavit, ut Vratislaus dux, plerique optimates et maxima populi pars Fidem susceperint. Quae ut magis stabilirentur et propagarentur, Otto Adelbertum, unum e clericis suis comitibus, Pomeranorum episcopum ordinavit. Anno 1129 Otto Bambergensis iterum in Pomeraniam transiit et incolarum conversionem perfecit. Multa tamen gentis huius conversioni obstare videbantur, nimirum indolis eius barbaries, patrii ritus, mores inculti, nefanda po-

---

[1]) *Vita Ludovici VI.*

[2]) Labbe, *Concil.* t. X, p. 889.

[*]) Ap. Labbe, *Concil.* t. XII, p. 1310, extat hanc Callisti Constitutionem.

[3]) Baronius et Pagi, ad an. 1124.

[*]) *Hominium* apud scriptores medii aevi adhibetur pro *emenda*, vel pro *pace habenda*, vel pro *debito solvendo*: cum quis criminis alicuius reus, cum eo, quem offendit, vel illius haeredibus, ita paciscitur, ut quoad vixerit, vassallus illorum sit, eoque nomine hominium iis praestet. Vid. Dugancius in *Glossario*.

[1]) Labbe, loc. cit. p. 912.

[2]) Ibid. p. 922.

lygamia, horrenda infanticidia. Sed quae in aliarum gentium conversione operata fuerat Religio christiana, eadem inter Pomeranos effecit et praeclarissimos fructus morales protulit [1].

26. *Tanchelinus* — In Belgio vero multorum maxime plebeiorum religionem corrupit perditissimus Tanchelinus, vir fanaticus et perversissimus; qui laicus sed veste monastica indutus, primum Vltraiecti, deinde Antwerpiae in Brabantia contra Ecclesiam eiusque Pontificem, contra episcopos et clericos, contra Sacramenta praesertim ss. Eucharistiam declamavit; multos maxime e plebeiis ad se pertraxit et ad spernenda cuncta Religionis atque Ecclesiae instituta excitavit; auctoritate,qua inter asseclas suos gaudebat, ad luxum et voluptates carnales exsatiandas usus, an. 1124 interfectus est. Quos autem ille in erroris viam perduxerat, ab ea reduxit s. Norbertus, Antwerpiam vocatus, ut infra videbimus [2].

Eudo de Stella — Eodem tempore alter impostor, nempe Eudo de Stella, in Britannia minori natus, se filium Dei et vivorum atque mortuorum iudicem venditavit. Is otiosorum et pravorum hominum secta collecta, ecclesias, monasteria, terrasque depraedatus est. Demum ab archiepiscopo Rhemensi interceptus et in deliriis suis pertinax, ad carcerem condemnatus fuit. Multi, qui eum fuerant sectati, ad saniorem mentem redierunt, obstinati suppliciis affecti sunt [3].

Petrus de Bruis — In Gallia meridionali, potissimum in Occitania et Provincia doctrinas a Fide alienas praedicarunt Petrus de Bruis sacerdos depositus et Henricus monachus apostata. Docebant isti, baptismum parvulis propter fidei defectum non prodesse; Eucharistiae sacramentum et missae sacrificium esse ritus inanes; preces, eleemosynas et pia opera defunctis esse inutilia; ecclesias, quod Deus ubique adorari possit, et cruces, quia infamia passionis Christi instrumenta, esse destruendas; clericos et monachos esse despiciendos. Eiusmodi declamationibus illi multos in partes suas pertraxerunt et Ecclesiarum statum ita perturbarunt ut, teste s. Bernardo, ecclesiae essent sine plebe, plebs sine sacerdotibus, sacerdotes sine reverentia, christiani sine Christo [4]. Verum Petrus de Bruis an. 1124 a plebe comprehensus et concrematus fuit. Henricus eius discipulus, an. 1134, in synodo Pisana tanquam haereticus condemnatus et monasterio inclusus est; cum postea ex eo dimissus, haereticas orationes ad populum habere pergeret, an. 1148 iterum in synodo Rhemensi damnatus et carceri mancipatus, non multo post decessit. In reducendis eorum sectariis ad sinum Ecclesiae praeclaram operam navarunt s. Bernardus et Albericus cardinalis episcopus Ostiensis, ab Apostolica Sede in Occitaniam legati [1].

Bogomili — In Graecia initio huius saeculi emersit prava Bogomilorum secta, qui veterum Gnosticorum et Paulicianorum seu novorum Manichaeorum errores instaurarunt. Illi Vetus Testamentum, Psalmis, et Prophetis exceptis, reiiciebant; solum Trinitatis nomen admittebant; de Christo eiusque incarnatione et de Spiritu S. impie sentiebant; omnem Dei cultum externum reiicientes, soli orationi dominicae vacabant; matrimonium aversabantur; omne dissimulationis fraudisque genus licitum habebant, dum de vitandis religionis causa poenis agebatur. Alexius Comnenus, Graecorum imperator, sectarios compescuit [2].

27. *Status crucigerorum in Oriente* — Interea Godefridus Bullionaeus, postquam novis de Turcis relatis victoriis regni Hierosolymitani fines protulisset, an. 1100 vita excessit. Ei in regno Hierosolymitano successit Balduinus, princeps Edessae, Godefridi frater, qui principatum Edessenum contulit Balduino cognato suo. Balduinus rex bellum contra mahomethanos forti manu prosecutus est, Assur, Caesaream, aliaque loca regno suo adiunxit, regnavitque usque ad an. 1118.

Ex episcopis autem, qui primam expeditiorem cruciatam fuerant secuti, nonnulli in Asia et Syria permanserunt, et ibidem vacantibus ecclesiis praefecti sunt. Ex iis Bernardus, episcopus Ambracensis in Epiro, creatus fuit patriarcha Antiochenus, et Daibertus, archiepiscopus Pisanus, accepit patriarchatum Hierosolymitanum. Verum Balduinus rex Daibertum criminis insimulatum patriarchatu privavit, eumque contulit Ebremaro. Daibertus appellavit Apostolicam Sedem; sed cum a Paschali II sedi suae restitutus, Roma Hierosolymas rediret, in Sicilia obiit. Posthaec Gibelinus, archiepiscopus

---

1) Bolland. *Acta SS.* t. I iul. p. 219.
2) Bolland. *Acta SS.* 6 iun.
3) Guil. Neubrig. *Histor. Angl.* l. I.
4) *Epist.* 252 *ad Ildephons.*

1) Petrus Cluniacensis, Tractatus *contra Petrobrusianos*; Goffrid. *Vita s. Bernardi*, l. 3.
2) Zonaras, *Annales*; Euthym. Zigaben. *Panoplia.*

Arelatensis, a R. Pontifice Hierosolymas legatus, ibidem omnium votis creatus est patriarcha, et Ebremarus accepit ecclesiam Caesareensem [1].

Interim novi crucigerorum exercitus sub Stephano Blesensi et Guilielmo Aquitaniae comitibus aliisque ducibus in Orientem transierunt; sed Turcarum atque Graecorum, qui continuas insidias Latinis struebant, armis oppugnati, parvo numero Hierosolymas pervenerunt. Praestantiora auxilia tulerunt Veneti, Genuenses, Pisani et Norwegii, quorum adventu roborati Balduinus rex et principes Antiochenus et Edessenus, Turcarum impetus represserunt, Acconem seu Ptolomaidem, Tripolim, Berytum, Sidonem, aliaque loca occuparunt. Balduinus rex adversus Saracenos Fatimidas usque in Ægyptum arma protulit. Balduinus II, an. 1118 prioris in regno Hierosolymitano successor, res christianas magna fortitudine defendit. Veneti, Genuenses et Pisani fugata classe Turcarum, portum Ioppem et Tyrum expugnarunt. Egregiam quoque operam praestiterunt celebres Ordines equestres seu religioso-militares, occasione cruciatarum expeditionum instituti [2].

28. *Ordo equester s.-Ioannis et Templariorum* — Horum Ordinum equestrium officia universa erant, vias a latronibus tutas reddere, peregrinantibus inservire, adversus infideles dimicare, omnia denique ita agere quemadmodum christianae reipublicae utilitas vel necessitas suadebat. Illorum primus est Ordo Hospitalariorum s.-Ioannis, cuius haec fuerunt initia: Amalphitani (erant Normanni) qui mercaturam in Oriente exercebant, post dimidium saeculi praecedentis a califa Ægypti oblata pecunia impetrarunt, ut in vicinia s. Sepulcri monasterium Latinorum et valetudinarium seu hospitale extruerentur ad suscipiendos infirmos et egenos christianos, qui in Terram sanctam peregrinabantur. Quum sacellum huius xenodochii esset dicatum s. Ioanni Baptistae, monachi isti dicti sunt Hospitalarii s.-Ioannis. Capta a crucigeris Ierusalem, Gerardus, fratrum in xenodochio ministrantium praepositus, consentiente Pontifice, illud ab abbate monasterii separavit et una cum fratribus se peculiari regulae piisque institutionibus sub Apostolicae Sedis protectione obstrinxit. Raymundus du Puy, an. 1118 Gerardi successor, Ordinem iam magno fratrum numero largisque donationibus auctum, in tres classes divisit, an. 1130 ab Innocentio Pp. II confirmatas. Harum prima complectebatur equites, qui operas militares in bellis sacris praestabant; secunda sacerdotes, qui functiones sacras peragebant; tertia fratres ministrantes, qui in hospitiis curam infirmorum gerebant vel equites in bello comitabantur. Ordinis insigne erat vestis coloris nigri, candida cruce insignita, eiusque superior primo magister deinde supremus magister appellabatur. Hic Ordo a RR. Pontificibus approbatus, variisque privilegiis ornatus, brevi tempore et numero et viribus auctus est [1].

Eodem fere tempore Hugo de Paganis aliique nobiles Galli instituerunt Ordinem Templariorum. Illi an. 1118 coram Patriarcha Hierosolymitano se consuetis tribus votis monasticis simulque officio pios peregrinatores contra praedones et hostes armis defendendi obstrinxerunt. Appellati sunt Templarii a domicilio, quod Hierosolymis prope locum, in quo fuerat templum Salomonicum, acceperunt. Anno 1128, petente patriarcha Hierosolymitano, synodus Trecensis sub Matthaeo Albanensi, Apostolicae Sedis Legato, Ordinem confirmavit, firmam regulam cum obligatione dimicandi contra infideles in Palaestina praescripsit, et habitum albi coloris determinavit, quem habitum postea Eugenius Pp. III mutavit in pallium candidum cum cruce rubea pro equitibus, fratres quippe plebeii, militantes vel arma portantes, pallia atri vel cani coloris deferebant. Ordo brevi tempore et numero et divitiis mirum in modum crevit, multisque annis praeclara fama floruit [2].

29. *S. Bernardus* — In Occidente Ordo Cisterciensium, prioribus huius saeculi annis institutus [3], sub s. Bernardo tantum decus tantaque incrementa sumpsit, ut is quodammodo alter Ordinis parens, et Cistercienses etiam *Bernardini* appellati fuerint. Bernardus an. 1091 Fontani in Burgundia nobilibus parentibus natus, a teneris pie vixit an. 1113 monasterium Cisterciense ingressus, fratres suos multosque alios e cognatis et claro genere oriundos, ad idem vitae genus attraxit; cum biennio post constitutus esset abbas monasterii Claravallensis, quamplurimi

---

1) Guil. Tyrius, *De bello sacr.* l. II.
2) Wilkin. et Michaud, *Histoires des Croisades.*

1) Guil. Tiryus, *De bello sacr.*; Helyot, *Histoire des Ordres relig.*; Vertot, *Histoire des chevaliers de s.-Jean.*
2) Helyot, loc. cit.; P. du Puy, *Histoire des Templiers*; Wilker, item, germanice.
3) Vid. p. 14.

ex omnibus regionibus ad eum confluebant, sub eius regimine victuri, e quibus plures ad dignitatem episcopalem in Gallia, Germania, Anglia et Italia, et unus sub nomine Eugenii III ad ipsam Petri cathedram evectus est. Bernardus eximia sua pietate, eruditione et eloquentia ingentem nominis famam per totam ecclesiam Latinam, tantamque apud omnes venerationem et auctoritatem nactus est, ut Pontifices, episcopi, reges et principes in gravissimis negotiis consilia eius postularent [1].

S. Norbertus Praemonstratensis — Eodem tempore Canonicorum Regularium disciplinam instauravit s. Norbertus. Hic an. 1082 Xanti in Clivia natus, primo subdiaconus, pluriumque ecclesiarum canonicus et Henrici imperatoris V cappellanus, an. 1114 a laxiori ad severiorem vitam revocatus est; presbyter factus, cum perperam clerum patrium ad meliorem vitae rationem adducere tentasset, dimissis omnibus dignitatibus et bonis suis, ex auctoritate Gelasii Pp. II provincias Galliae poenitentiam praedicans peragravit. An. 1120 a Bartholomaeo episcopo Laudunensi arcessitus, cum aliquot clericis sociis secessit in vallem nemorosam, Praemonstratum dictam; ubi habitum album e manu Bartholomaei susceperunt, vitae asceticae et habendis per provincias vicinas sacris concionibus vacarunt. Anno sequente Norbertus discipulis suis iam numero auctis regulam Canonicorum Regularium s. Augustini observandam proposuit, sed cum eorum officiis quae in praedicatione divini verbi, in conversione infidelium et haereticorum, in cura animarum et in studio literarum theologicarum consistebant, coniunxit obligationes monasticas ad paupertatem, obedientiam, solitudinem, silentium, vilem habitum, abstinentiam a carnibus, frequentes preces et lectiones sacras. Eodem tempore tot nobiles feminae ad amplectendum Norberti institutum erant paratae, ut pro eis etiam monasterium conditum fuerit. Paulo post comes de Cappenberg in Westphalia arcem ditionemque suam pro monasterio, in quo Norberti institutum observaretur, dedicavit. Victoria etiam, quam Norbertus de Tanchelino haeretico eiusque sectariis in Brabantia retulit, ad multiplicanda Ordinis eius monasteria contulit. Maiora adhuc incrementa Ordo hic, qui a loco quem primitus incoluit Ordo *Praemonstratensium* fuit appellatus, in Gallia atque Germania cepit, postquam an. 1126 ab Honorio Pp. II fuisset approbatus. Eodem anno s. Norbertus, quamvis invitus, a Lothario imperatore II postulatus est ad archiepiscopatum Magdeburgensem, qua dignitate auctus mirum in modum restituendae pietati, instaurandae disciplinae, extirpando schismati Petri Leonis, de quo infra dicemus, adlaboravit. Obiit an. 1134.

Post eius obitum Ordo crescere continenter perrexit, ita ut dimidio huius saeculi fere 100 et an. 1344 ultra 1600 virorum et 500 feminarum monasteria numeraret. Quae incrementa partim praestantiae Instituti, vitam monasticam cum cura animarum et studio litterarum utiliter coniungentis, partim constanti severioris disciplinae conservationi tribuenda videntur [1].

30. *Innocentius II, Pontifex* (*an.* 1130)— Quum Honorius Pp. II postridie idus februarii 1130 decessisset, in eius locum subrogatus est Gregorius cardinalis s.-Angeli, Romanus, qui nomen Innocentii II assumpsit.

Schisma Petri Leonis — Verum factio seditiosa eodem tempore in Apostolicam Sedem intrusit Petrum Leonis sub nomine Anacleti II; unde triste schisma, quod annis fere 8 Ecclesiam perturbavit. Antipapa pecuniarum ex ecclesiarum spoliis largitione plebem Vrbis ita corrupit, ut Innocentius Pp. factiosis resistere non valens, vices suas commiserit Conrado episcopo Sabinensi, secesseritque in Galliam. Petrus Leonis datis ad christianos principes litteris, eos sibi conciliare conatus est. Partibus eius adhaeserunt David rex Scotiae et Rogerius dux Apuliae et Siciliae, ab antipapa regis titulo auctus; caeteri vero principes Innocentio II obedierunt [2]. In multis etiam episcoporum synodis antipapa Anacletus II reiectus, Innocentius vero legitimus pontifex susceptus fuit; id Hugo Gratianopolitanus in synodo Aniciensi, episcopi Germani in Wiceburgensi, Galli in Stampensi effecerunt [3].

Innocentius II in Gallias adveniens, apud Claromontem synodum habuit, in qua Petrus

---

[1]) Villefore, *Vie de s. Bernard*, 1704 in-4°; Bolland. *Acta SS.* 20 august.

[1]) Bolland. *Acta SS.* 6 iun.; A. Miraeus, *Chronicon Praemonstrat.*; Le Paige, *Bibliotheca Praemonstrat.*

[2]) Arnulph. Sagiens., *De schismate orto post Honorii II decessum*; Annalista Saxo; Baronius et Pagi ad an. 1130.

[3]) Annalista Saxo; Labbe, *Concil.* t. X, p. 971-72.

Leonis eiusque sectatores damnati sunt. Rhemis a Ludovico VI Francorum rege, a Lothario imperatore, ab Henrico rege Angliae et Normanniae, atque a regibus Castellae ac Aragoniae testimoniis obedientiae honoratus est; ibidem cum episcopis Gallis, Germanis, Anglis et Hispanis, qui principum suorum litteras ad Pontificem detulerant, synodum celebravit, in qua Petrus Leonis iterum damnatus est, et 17 canones editi contra simoniacas ordinationes, contra clericos incontinentes, contra percussores clericorum et monachorum, contra milites in feriis e condicto ad ostensionem virium congredientes etc. [1]. Soluta synodo Pontifex Ludovicum filium, postulante patre, unxit regem Francorum; deinde comite s. Bernardo transiit in Germaniam ad imperatorem Lotharium. Hic cum magno episcoporum ac magnatum collegio Pontificem excepit in civitate Leodio, ubi Innocentius Pp. habita synodo antipapam rursus damnavit, Lotharium ad defensionem Ecclesiae excitavit, eique coronam imperialem promisit [2]. Lotharius opem Pontifici spopondit et praestitit, eum Romam reduxit, et Innocentius ibidem an. 1133 Lotharium II sollemni ritu augustum coronavit [3]. Verum Lothario Roma digresso, rursus opera Rogerii regis Siciliae schismatica factio in Vrbe praevaluit. Innocentius II secessit Pisas, ubi an. 1134 in frequenti episcoporum synodo anathema in Petrum Leonis eiusque fautores renovavit [4].

Praeter alios s. Bernardus praeclarissimam operam extirpando schismati praestitit. Mediolanenses, Guilielmum ducem Aquitaniae, aliosque, qui aliquandiu antipapae adhaeserant, ad Innocenti II obedientiam perduxit. Tandem an. 1138 Petrus Leonis subita morte sublatus est. In eius quidem locum schismatici consilio Rogerii regis subrogarunt Gregorium sub nomine Victoris IV; sed hic tertio post mense opera D. Bernardi ad obedientiam Innocentii II conversus fuit. Ex quo tempore schisma collapsum est [1].

Tranquillitate in Vrbe restituta, Innocentius Pp. totus in ecclesiastica negotia incubuit, legatosque in diversas regiones destinavit. Rogerio Siciliae regi, schismatis fautori, primo Lotharii deinde propria arma opposuit, exercitu in Apuliam traducto. Sed captus, honorifice tamen habitus, precibusque ad extremum victus, eum veniam petentem in gratiam suscepit et regno Siciliae investivit [*], eiusque filiis, uni ducatum Apuliae, alteri principatum Capuanum, in feuda contulit [2]. Alia huius Pontificis gesta infra indicabimus.

31. *Rerum status in Gallia, Anglia et Hispania* — Magnum Innocentio II negotium facessivit Ludovicus VII, qui an. 1137 patri suo in regno Galliae successit. Etenim an. 1140 post obitum Alberici archiepiscopi Bituricensis dissensio orta est inter canonicos huius Ecclesiae de eligendo successore, alii Petrum de Castra, alii Cadurcum praeferebant. Cum autem Petrus fuisset electus, Cadurcus appellavit regem. Petrus Romam profectus, a Pontifice ipso ordinatus est. Rex vero iratus, Petrum regni introitu interdixit. Innocentius Pp., ne hoc iunioris regis facinus in detrimentum libertatis ecclesiasticae cederet, eum interdicto ecclesiastico subdidit. Alia audax rex ecclesiasticae libertati et iuri contraria perpetravit. S. Bernardus omnia tentavit, ut eum ad meliorem mentem revocaret. Tandem anno 1143 Ludovicus cum Coelestino, Innocentii successore, pacem iniit, ab interdicto absolutus est, et ad expianda iuventutis suae delicta s. Bernardi hortatu expeditionem in Palaestinam suscepit [3].

---

[1]) Labbe, loc. cit. p. 972 et 979.

[2]) Ibid. p. 987, et Arnold. *Vita s. Bernardi*, l. II.—Errant qui post Petrum diaconum, *Chron. Casin.* l. 4, asserunt, Innocentium II in synodo Leodiensi Lothario restituisse investituras per annulum et baculum; constat enim ex Arnoldo (*ibidem*) Pontificem importunis Lotharii de hac re precibus restitisse, et s. Bernardum magna animi fortitudine audaciam regis compescuisse.—Cf Sandini Disputationem, *De falsa Synodo sub Hadriano I circa ius eligendi Romanum Pontificem, et investituras concedendi Episcopis.*

[3]) Baronius et Pagi, ad an. 1133.

[4]) Labbe, loc. cit. p. 990.

[1]) S. Bernard. *Epist.* 317; Orderic. Vital. *Hist. eccl.* l. 3; Falco, *Chronicon.*

[*]) In Epistola ad eundem Rogerium, apud Labbe t.X *Conc.* et apud Harduin. t.VI, Innocentius scribit: *Regnum Siciliae, quod utique, prout in antiquis refertur historiis, regnum fuisse non dubium est, tibi ab antecessore nostro* (Honorio II) *concessum cum integritate honoris regii et dignitate regibus, pertinente, excellentiae tuae concedimus, et apostolica auctoritate confirmamus.* Ad rem Baronius, ad an. 1139, § 11, subdit: *At ne videretur probare et confirmare, quod fecisset antipapa, ad conferendam Rogerio regiam dignitatem usum se exemplo praedecessoris Honorii Papae, qui insignierat eundem Rogerium titulo Ducis, professus est in Diplomate a se dato.*

[2]) Falco, *Chronicon* cit.

[3]) Baronius et Pagi, ad an. 1140-43.

In Anglia Stephanus rex, qui Henrico I avunculo suo successit, quamvis se libertatem, iurisdictionem, consuetudines et bona ecclesiastica conservaturum iurasset, toto fere regni sui tempore (1135-1154) Ecclesiarum statum perturbavit, earum thesauros diripuit, possessiones occupavit, dignitates indignis tradidit, episcopos vexavit [1].

In Hispania vero principes christiani adversus Mauros prospere certarunt, plurimas civitates eis eripuerunt, totumque illorum imperium in Hispania delevissent, si inter se ipsos fuissent magis concordes. Cum Alphonsus I rex Aragoniae et Navarrae an. 1134 sine filiis occubuisset, orta est dissensio; Navarrenses sibi regem elegerunt Sanctium IV; Aragonenses vero Ramirum Alphonsi fratrem, O. S. B. monachum, regem crearunt e dispensatione Innocentii II. Postea Ramirus filiam suam Petronillam Raimundo, comiti Barcinonensi, in coniugem regnumque Aragoniae in dotem concessit, et ad priscum suum coenobium regressus est [2].

In Lusitania Alphonsus comes, deinde rex, prospero etiam marte adversus Mauros dimicavit; an. 1139 quinque eorum regulos debellavit, et post plures alias civitates an. 1147 Olisipponem, totius Lusitaniae urbem nobilissimam, in suam potestatem redegit.

In omnibus porro Hispaniae ac Lusitaniae civitatibus atque provinciis, a Maurorum iugo liberatis, Religio christiana restituta fuit, refloruitque.

32. *Petrus Abaelardus* — His ipsis temporibus disceptationi causam dedit Petrus Abaelardus, inter scholasticos huius aetatis celeberrimus, ita ut ad eum audiendum non tantum e Gallia, sed etiam e Belgio, Germania et Anglia discipuli Parisios confluerent. Verum Abaelardus magis secundum dialecticos conceptus quam secundum ss. Scripturarum effata et Patrum sententias de dogmatis disputans, in varios impegit errores, adeo ut s. Bernardus de eo dixerit, quod de Trinitate loquens saperet cum Ario, de persona Christi scribens adhaereret Nestorio, et de gratia disserens sentiret cum Pelagio [3]. Postquam viri eruditi varias propositiones falsas ex eius scriptis collegissent, synodus Suessionensis an. 1121 Abaelardo praecepit, ut librum suum de ss. Trinitate in ignem coniiceret, fidemque secundum s. Athanasii symbolum profiteretur. Cum tamen disceptationi nondum esset finis, an. 1140 synodus Senonensis Abaelardum arcessivit. Is vero R. Pontificem appellavit. Quapropter synodus quidem a iudicanda persona abstinuit, sed tamen errores eius condemnavit et Innocentium Pp. de omnibus certiorem reddidit. Pontifex sententiam Senonensis synodi confirmavit et Abaelardum custodiae mancipari eiusque scripta flammis tradi iussit. Tunc Abaelardus hortatu Petri Mauritii, abbatis Cluniacensis, errores suos damnavit et a Pontifice accepit, ut reliquum vitae suae in abbatia Cluniacensi transigeret, ubi an. 1142 obiit [1].

33. *Arnaldus Brixiensis* — Maiores turbas excitavit Arnaldus Brixiensis, qui, referente Ottone Frisingensi auctore coaevo [2], erat « singularitatis amator, novitatis cupidus, cuiusmodi hominum ingenia ad fabricandas haereses, schismatumque perturbationes sunt prona ». Revera Baronius [3] eum appellat « politicorum haereticorum patriarcham atque principem ». Hic igitur, anno 1138 perversos errores propagare coepit; clericis, episcopis ipsique Pontifici infensus atque monachorum persecutor, contra eos omnes declamavit, contenditque, proprietates a clericis, regalia ab episcopis et bona immobilia a monachis illicite possideri, ea omnia esse imperantium civilium et ab eorum beneficentia in usum laicorum cedenda; accusabatur praeterea, quod non recte sentiret de sacramento Altaris et de baptismo parvulorum. Arnaldus perversis suis declamationibus ecclesiam Brixiensem graviter turbavit, laicosque contra clericos et monachos excitavit. Postquam Innocentius Pp. ei silentium imperasset, Arnaldus relicta Italia, prava sua dogmata intulit in Germaniam et Galliam; postea in Italiam redux, gravium turbarum auctor in Vrbe Roma extitit. Tandem an. 1155 iussu Friderici imperatoris captus et a Petro Vrbis Romae praefecto ad rogum condemnatus fuit [4]. Eius sectarii turbas maxime Romae saepius instaurarunt, ut videbimus.

---

1) Guil. Malmesbur. *Histor.* l. VIII; Guil. Neubrig. *Hist.* l. I.
2) Orderic. Vital. *Histor.* l. I; Guil. Neubrig., loc. cit. l. II; Robert. de Monte, *Chron.* an. 1160.
3) *Epist.* 192 *ad Guidonem.*

---

1) S. Bernard. *Epist.* 326; Petrus Cluniacens. *Epist.* 21, l. IV; Labbe, *Concil.* t. X; p. 885 et 1018; *Disputatio adversus Abaelardum* in *Biblioth. Cisterciens.* t. III.
2) *De Gestis Friderici II.*
3) *Annal.* ad an. 1141, n. 3.
4) Otto Frisingens. *Gesta Friderici,* l. II; Gunterus Ligur. *Poemata.*

34. *Concilium Lateranense II, generale X* (*an.* 1139) — Interea Innocentius II ad excindendas schismatis Petri Leonis reliquias et ad restituendam ecclesiasticam disciplinam concilium generale Romae indixit, quod est Lateranense II et oecumenicum X. Coeptum illud est initio aprilis 1139. Convenerunt episcopi circiter 1000 quibus Pontifex ipse praesedit. Post orationem Innocentii de Petro Leonis eiusque schismate, Patres omnes dixerunt, « quodcumque ille (Petrus Leonis) statuerat, destruimus; quoscumque exaltaverat, degradamus; quotquot consecraverat, deponimus ». Proinde Pontifex episcopis in schismate ordinatis, qui concilio intererant, episcopatus insignia ademit. Praeterea editi sunt 30 canones, quibus antecedentium conciliorum decreta instaurantur, scilicet, ut simoniace ordinati officio priventur; nihil detur pro beneficiis aliisve rebus sacris; nullus recipiat excommunicatos a suis episcopis; clerici ab episcopis officii sui admoniti et se emendare nolentes, beneficiis ecclesiasticis priventur; bona clericornm morientium non diripiantur; clerici sacris Ordinibus insigniti uxores aut concubinas habentes, ab officio et beneficio arceantur, et nemo eorum missas audiat; sanctimoniales non nubant; monachi aut Canonici Regulares non vacent studiis legum temporalium aut medicinae; clerici, monachi, mercatores et rustici habeantur securi; trewga Dei ab omnibus observetur; usurarii habeantur infames, et nisi resipiscant, sepultura christiana careant; milites in nondinis e condicto non congrediantur; nemo beneficia ecclesiastica sibi haereditario iure vindicet; filii presbyterorum ad sacrum ministerium non admittantur, nisi in coenobiis aut canonicis religiose fuerint conversati; nemo beneficia e manu laica accipiat; canonici intra 3 menses ad ecclesiam vacantem nominent episcopum et ab electione non excludant viros religiosos; ordinationes factae a Petro Leonis aliisque schismaticis et haereticis, habeantur irritae [1].

35. *Synodus Antiochena et Hierosolymitana* — Idem Pontifex, Innocentius II, Albericum episcopum Ostiensem legavit in Syriam ad cognoscendam causam Rodulphi, sedis Antiochenae invasoris. Legatus anno 1142 Antiochiae cum 12 episcopis synodum habuit, in qua Rodulpho deposito, patriarcha ordinatus fuit Aimericus [2]. Alteram synodum idem legatus coëgit Hierosolymis, in qua actum est de eis, quae praesenti tempori convenire videbantur. Huic synodo etiam adfuit catholicon seu patriarcha Armeniorum, qui cum legato Pontificis et episcopis praesentibus contulit de iis doctrinae articulis, in quibus Armenii errare videbantur, et in multis, inquit Guilielmus Tyrius, correctionem promisit [1]. Biennio post idem patriarcha eiusque episcopi legatos miserunt Romam, ut R. Ecclesiam interrogarent de nonnullis de quibus inter se et Graecos lis erat. Eos Eugenius Pp. III an. 1145 Viterbii excepit et diligenter instruxit. Illi autem ecclesiarum suarum nomine obedientiam R. Pontifici professi, in Orientem regressi sunt [2].

36. *Caelestinus II, Pontifex* (*an.* 1143) — Cum Innocentius II VIII° calendas octobris 1143 obiisset, tertia post mortem eius die omnium suffragiis et acclamationibus electus est Guido, Hetruscus, presbyter cardinalis, qui nomen Caelestini II assumpsit. Is pacem cum Ludovico VII rege Francorum iniit, ut supra diximus [3]; Henricum episcopum Wintoniensem, legatum suum in Anglia constituit, qui eodem anno Londoniae synodum habuit contra eos, qui ecclesias vel coemeteria violarent aut violentas manus in clericos vel monachos iniicerent; synodus absolutionem ab istis criminibus R. Pontifici reservavit. Caelestinus, post 5 menses pontificatus, VII idus martii 1144 vita excessit.

Ab hoc Pontifice incipiunt vaticinationes de RR. Pontificibus usque ad mundi finem sessuris, quae vaticinationes s. Malachiae, hoc tempore archiepiscopo Armachano, adscriptae sunt. Verum viri doctissimi Baronius, Spondanus, Bzovius, Raynaldus, aliique nullam istarum vaticinationum rationem habuerunt, et passim critici eas reiiciunt. Accedit, quod s. Bernardus, s. Malachiae familiaris, cuius vitam conscripsit, aliasque minoris momenti vaticinationes retulit, ne minimam quidem de istis mentionem faciat [4].

37. *Lucius II, Pontifex* (*an.* 1144) — Post Caelestini II mortem Ecclesiae regimen demandatum fuit Lucio II, Bononiensi, e Canonico regulari Cardinali cancellario, antea appellato Gerardo. Is Ecclesiae Toletanae in Hispania primatum confirmavit [5]; legatos ac-

---

1) Labbe, *Concil.* t. X, p. 999. — 2) Ibid. p. 1026.

---

1) L. XV, c. 15.
2) Otto Frisingens., *Chron.* l. VII, c. 32.
3) Vid. p. 27.
4) Cf Papebroch. *Conatus Hist.* diss. 41: Moreri, *Diction. hist.* art. *Malach.* — 5) *Epist.* 3 et 4.

cepit ab Alphonso rege Lusitaniae, qui regnum suum Apostolicae Sedi cum annuo censu 4 unciarum auri obligavit [1]; contra factiosos Arnaldistas, qui Pontifici omnem principatum temporalem adimere et priscam Senatoriam dignitatem restituere et Patricium, cui tanquam Principi parerent, instituere, omnesque Ecclesiae reditus ei adiudicare tentabant, imploravit auxilium Conradi regis Germaniae, qui an. 1137 Lothario II successerat. Conradus Pontifici opem spopondit; sed Lucius Pp. brevi post, V calendas martias 1145, occubuit, ictu lapidis, ut fertur, in seditione percussus.

38. *Eugenius III, Pontifex (an. 1145)* — Tunc Pontifex creatus est Eugenius III, antea Bernardus, patria Pisanus, monasterii s. Anastasii Ordinis Cisterciensis in Vrbe abbas, D. Bernardi Claravallensis discipulus.— Is tertio post die, quam electus fuerat sibi ab Arnaldistis metuens, cum Episcopis et Cardinalibus nocte profugit ad coenobium Farfense positum in Sabinis quinto et vigesimo ab Vrbe miliario, ubi IV nonas martii Pontifex consecratus est. A coenobio Farfensi transiit ad Civitatem Castellanam, atque inde Viterbium. Post octo menses, Romam demigravit,—ope Tiburinorum militum seditiosis in Vrbe repressis, eorumque patricio Iordane excommunicato, anno 1147 propter novos seditiosorum tumultus se contulit in Galliam, ubi honorifice exceptus est a Ludovico VII; Parisiis synodum indixit in causa Gilberti Porretani, episcopi Pictaviensis, qui eruditione haud vulgari praeditus, sed dialecticis subtilitatibus nimium deditus, deitatem seu essentiam divinam a Deo et a personis divinis ita distinguebat, ut essentiam divinam non ipsum Deum esse, neque naturam sed personam tantum Verbi incarnatam assereret. Gilbertus a D. Bernardo pressus, quasdam assertiones reprobavit, alias emollivit; Pontifex causam remisit ad pleniorem synodum anno sequente (1148) Rhemis celebrandam. Convenerunt ad hanc synodum e Gallia, Germania, Anglia et Hispania episcopi et abbates amplius 1000, quibus praesedit Pontifex ipse. In ea erroribus Gilberti damnatis, edita est fidei formula, cuius summa haec est: « Credimus simpliciter, naturam Divinitatis esse Deum et Deum esse Divinitatem; Deum esse sapientem ea sapientia, quae est ipse Deus; magnum ea magnitudine, quae est ipse Deus... Dum de tribus personis loquimur, ipsas unum Deum, unam divinam substantiam esse fatemur. E converso dum de uno Deo, una divina substantia loquimur, profitemur ipsum unum Deum, unam divinam substantiam esse tres personas... Credimus, ipsam Divinitatem, sive substantiam sive naturam divinam dicas, esse incarnatam in Filio ». Praeterea editi sunt 17 canones, ad disciplinam ecclesiasticam spectantes [1]. Absoluta synodo Eugenius III transiit Treviros. Illic quum per viros eruditos inquiri iussisset de sanctitate et visionibus s. Hildegardis, virginis et abbatissae, spiritum eius probavit, eamque ad humilitatem et ad conscribenda quae sibi a Domino revelarentur, hortatus est [2].—Deinde Romam post annos amplius duos reversus, tertio abire Romanorum turbis est coactus. Demum pace facta, Vrbem ingreditur, ibique anno 1152 primitus commoratur, sed per breve tempus, uti iam praediverat s. Hildegardes, quae pacem ei sub exitum Pontificatus futuram praedixerat.

39. *Cruciata expeditio II* — In Oriente vero christianorum res non parum inclinatae sunt, quod multi crucigeri in Europam rediissent, varii principes essent mortui, nonnulli privata magis quam publica commoda quaerentes, inter se de principatu contenderent. Quibus factum est, ut mahomethani non semel christianos superarint, et anno 1144 Edessam, christiani principatus in Mesopotamia metropolim, ceperint, in qua horrendam incolarum chistianorum caedem ediderunt, aliosque in servitutem redegerunt [3]. His omnibus permotus Eugenius Pp. an. 1146 novam expeditionem sacram indixit, omnibus crucem suscipientibus plenariam indulgentiam concessit, eorum uxores, liberos et bona sub peculiari Sedis Apostolicae protectione suscepit [4], et s. Bernardo praedicandi belli sacri negotium demandavit. Bernardus illud tum in Gallia tum in Germania tanto ardore et eloquio peregit, ut Ludovicus VII rex Galliae, Conradus rex Germaniae, multi principes, duces, comites et ingens Francorum atque Germanorum multitudo crucem susceperint.

Anno 1147 ambo reges Ludovicus et Conradus cum plurimis virorum millibus diverso itinere in Orientem profecti sunt. Quum pri-

1) Baluz. *Miscell.* l. II, p. 220; Mansi, *Concil.* t. XX, p. 615.

1) Mansi, *Concil.* t. XXI, p. 707; Labbe, t. X, p. 1105 et 1107.
2) Bolland. *Acta SS.* 17 sept.
3) Guil. Tyr. l. XXVII. — 4) *Epist.* I.

mum Conradus in Graeciam pervenit, insidiis Emmanuelis imperatoris, Graecorum dolis, tum Turcarum armis, item fame, morbis aliisque aerumnis magnam exercitus sui partem amisit. Ambo reges convenerunt Nicaeam, unde Conradus exercitu suo commendato regi Francorum, transiit Hierosolymas. Ludovicus VII pertransiens Asiam minorem, Graecorum ac Turcarum arma sibi infesta habuit; cum pervenisset Antiochiam, etiam Raymundum huius civitatis principem, sibi contrarium expertus est; quapropter petiit Hierosolymas. Posthaec reges, principes, duces, aliique proceres ecclesiastici ac laici concilium habuerunt Ptolomaide, convenitque inter omnes de expugnanda civitate Damasco. An. 1148 hanc civitatem obsederunt, Turcarum impetus fortiter represserunt, cumque iam captis muris exterioribus, civitas brevi esset occupanda, propter dissidium de civitatis imperio exortum obsidionem ignominiose solverunt. Tunc consenserunt de obsidenda Ascalone; sed principibus Hierosolymitanis secundum condictum non concurrentibus, reges Galliae et Germaniae in Europam redierunt [1].

S. Bernardus, qui tanto ardore bellum sacrum praedicaverat, propter inglorium eius exitum a nonullis calumniam passus, iustitiam belli vindicavit, ostenditque infaustam eius sortem tum perfidiae et fraudibus Graecorum tum dissensionibus principum christianorum et inordinatae crucigerorum disciplinae esse attribuendam [2].

40. *Scriptores ecclesiastici*—Priori autem huius saeculi dimidio floruerunt inter alios scriptores ecclesiasticos, qui sequuntur: S. Bernardus, de quo iam saepe locuti sumus; ex eius scriptis potiora sunt libri 5 *de Consideratione* ad Eugenium III, libri *de moribus et officio* episcoporum, *de gratia et libero arbitrio, de diligendo Deo*, Sermones multi atque Epistolae [3]. Rupertus abbas monasterii Tuitiensis in dioecesi Coloniensi, e cuius operibus praestantiora sunt Commentarii in plures s. Scripturae libros, libri de ss. Trinitate eiusque operibus, de glorificatione Trinitatis et processione Spiritus S., de divinis officiis [4]. Hugo a s. Victore seu Victorinus, secundum alios Saxo secundum alios Flander, celebris doctor Parisiensis; ex eius scriptis commendantur annotationes in plerosque libros V. Testamenti, in quatuor Evangelia et in Epistolas s. Pauli, summa Sententiarum in septem tractatus distributa, libri de Sacramentis, et Sermones de vario argumento [1]. Guibertus abbas Novigentinus, qui scripsit tractatus morales in Genesim, Amos et Ieremiam, librosque *gestorum Dei per Francos*.[2] Robertus Pullus, Anglus, academiae Oxoniensis instaurator, deinde R. E. cardinalis, dedit Sententiarum theologicarum libros 8 [3]. Petrus a patria cognominatus Lombardus, inter theologos scholasticos huius aetatis facile princeps, e doctore Parisiensi canonicus Carnotensis, demum episcopus Parisiensis renunciatus; reliquit summam theologicam seu libros 4 Sententiarum, glossas in Psalterium et in Epistolas s. Pauli [4]. Algerus canonicus et scholasticus Leodiensis, de quo supra mentionem fecimus [5]. Guilielmus patria Leodiensis et monachus Cisterciensis, qui reliquit tractatum de sacramento Altaris, librum contra errores Petri Abaelardi et opuscula de pietate [6]. Petrus Mauritius, abbas Cluniacensis, propter vitae sanctimoniam et eruditionem *Venerabilis* cognomen promeritus; scripsit tractatus contra Iudaeos, Mahomethanos et Petrobrusianos, epistolarum libros 6, libros 2 de miraculis sui temporis, hymnos, rythmos, et alia; praeterea Alcoranum seu excerpta ex eo in finem polemicum latine reddenda curavit [7]. Anselmus episcopus Havelbergensis, qui dedit libros 3 Collationum seu disceptationum, quas Constantinopoli, Lotharii II legatione functus, cum Graecis habuit de unitate Fidei seu Ecclesiae, de processione Spiritus S., de primatu R. Pontificis et de ritu panis Eucharistici [8]. Hildebertus ex episcopo Cenomanensi archiepiscopus Turonensis, qui praeter tractatus theologicos, sermones et poëmata aliquot, collegit vitas quorumdam Sanctorum [9]. Honorius presbyter et scholasticus Augustodunensis; exaravit libros 3 de mundi imagine, libros 4 de mundi philosophia, seriem RR. Pontificum a s. Petro usque ad Innocentium II, libros de luminaribus seu scriptoribus ecclesiasticis et de haeresibus, dialogum de praedestinatione

---

1) S. Bernard., *De Considerat.* l. II; Guil. Tyr. l. XVI-XVII; Otto Frisingens. *Gesta Friderici*, l. I. —2) Ibid.—3) Edidit Mabillon, Paris. 1668 et 1690, 2 vol. in-fol.—4) Venet. 1751, 4 vol. in fol.

---

1) Rothomag. 1648, 3 vol. in-fol.
2) Edidit Dacher. 1651 in fol.
3) Edidit Mathaud., Paris 1655, in-fol.
4) Norimberg. 1478, Francof. 1585, alibi.
5) Vid. t. I, p. 272.—6) *Biblioth. Cisterciens.* t. IV.
7) *Biblioth. PP.* Lugdun. t. XXII.
8) Dacher., *Spicileg.* t. XIII.
9) Edidit Beaugendre 1708, in-fol

et libero arbitrio [1]. Gratianus Hetruscus, O. S. B. monachus, qui e Patrum sententiis, Pontificum decretis et Conciliorum canonibus confecit collectionem decretorum, quae Decretum Gratiani et Concordia discordantium canonum dicta est [2]. Sigebertus Gemblacensis, vir praestantis ingenii, sed schismatici imperatoris Henrici partibus deditus; edidit praeter alia Chronicon ab an. 382 usque ad 1112 et Catalogum virorum illustrium [3]. Leo Marsicanus, e monacho Casinensi cardinalis episcopus Ostiensis, qui scripsit Chronicon monasterii Casinensis, continuatum a Petro Diacono. Ioannes Zonaras, Graecus, O. S. Basilii monachus, qui Apostolorum canones et epistolas canonicas ss. Dionysii et Petri Alexandrinorum, Gregorii Taumaturgi Neocaesareensis et Basilii Caesareensis episcoporum interpretatus est, et Annales dedit ab orbe condito usque ad an. 1118 [4]. Guilielmus Anglus, Malmesburiensis monachus et bibliothecarius, qui collegit libros 2 historiae novellae, libros 4 de gestis Pontificum Anglorum aliaque [5]. Otto episcopus Frisingensis reliquit Chronicorum libros 7 a mundi exordio usque ad an. 1146, libros 2 de gestis Friderici imperatoris I, librum de fine mundi, de persecutione antichristi et resurrectione mortuorum [6].

41. *Anastasius IV Pontifex (an. 1153)* — Eugenius Pp. III anno 1153 defunctus est Tibure, quo animi reficiendi causa sese receperat [*]. Postridie, quam Eugenius III e vivis ereptus est, summum Ecclesiae regimen demandatum fuit Conrado, Romano, cardinali episcopo Sabinensi, propter aetatem et curiae peritiam venerando, qui nomen Anastasii IV

1) *Biblioth. PP.* Lugdun. t. XX.
2) Romae 1580.
3) Edidit Miraeus, Antverp. 1608 et 1639.
4) Commentarii editi sunt Paris. 1318 in-fol., *Annales* 1686, 2 vol. in-fol.
5) Londini 1596, Francof. 1601 in-fol.
6) C. Vrstitius, *Histor. German.* t. I.
*) Pagius, ad an. 1151, n. 10 refert, quod Eugenius III, suggerente Gratiano, gradus quosdam Academicos excogitavit, non tam annorum, quam profectus, scilicet *Baccallaureatus*, *Licentiatus* et *Doctoratus*, ut hoc specioso titulo studiosos ad ius canonicum amplectendum excitaret, et privilegiis accenderet. Hanc enim graduum Scholasticorum institutionem omnes fere, qui de illis scripserunt, ad Gratianum et Lombardum retulerunt. Neque ante Petrum Lombardum eorum graduum in scriptoribus mentio, indeque communiter dicitur, eum illos Gratiani exemplo, Parisiis in Theologica disciplina instituisse. Sed hac de re legendus Bulaeus in saec. IV *Hist. Vniversitatis Parisiensis.*

suscepit. Is grassante fame eximiae caritatis specimina dedit, Canonicos regulares Lateranenses et equites s. Ioannis Hierosolymitani privilegiis auxit [*]. Obiit IV nonas decembris 1154.

42. *Hadrianus IV, Pontifex(an. 1154)*— Tunc pontifex inauguratus est Hadrianus IV, anglus, cardinalis episcopus Albanensis, antea appellatus Nicolaus, qui sedit usque ad annum 1159. Hic pontificatus sui initio Arnaldum Brixiensem eiusque sectatores, qui novas turbas in Vrbe excitaverant, a Romanis eiiciendos curavit; Fridericum I, cognomine Barbarossam seu Ænobarbum, qui an. 1152 in locum Conradi defuncti Aquisgrani rex Germaniae et biennio post Ticini rex Italiae fuerat coronatus, XIV calendas iulias 1155 Romae imperatorem coronavit; Guilielmo I, cognomine Malo, qui an. 1154 Rogerii patris sui in regno Siciliae successor, subditos suos opprimebat et R. Ecclesiae terras invadebat, bellum indixit: sed Beneventi ab eo obsessus, ad redimendam duris conditionibus pacem coactus fuit, nimirum, ut Hadrianus Guilielmum regno Siciliae, ducatu Apuliae et principatu Capuae investiret, electiones sacrae in Sicilia regis assensu confirmarentur, neque Siculi appellationes Romam instituerent neque Pontifex legatos in Siciliam mitteret sine regis assensu; Guilielmus vero Hadriano fidem iuraret, vassallorum more ei *hominium* praestaret, et annuum censum penderet [1]. Eundem Guilielmum titulo Regis utriusque Siciliae insignivit.

Idem Pontifex ecclesiae Toletanae in Hispania primatum confirmavit; confirmavit etiam Pelagii, Alexandri et Vrbani II Constitutiones, quibus archiepiscopo Gradensi patriarchica dignitas fuerat concessa, et Henrico Gradensi praeterea concessit, ut primatum haberet super archiepiscopum Iadertinum eiusque suffraganeos, et episcopos ordinaret pro iis ecclesiis, quas Veneti Constantinopoli atque in aliis imperii graeci civitatibus habebant; Basilium archiepiscopum Thessalonicensem litteris excitavit, ut conciliandae con-

*) Anastasius IV, in *Epist.* ad Wibaldum Abbatem Strabulensem et Corbeiensem in Saxonia, apud Martene t. II *Veter. Scriptor.*, scribit: *Vsum annuli ex assueta benignitate Apostolicae Sedis in vita tua tibi tantum duximus indulgendum.*
1) Baronius, ad an. 1156, observat, ea omnia, quae contra libertatem ecclesiasticam Guilielmus extorserat ab Hadriano, fuisse postea rescissa sub Innocentio III, quando honestioribus conditionibus pax composita est.

cordiae inter Romanam et Cp. ecclesias adlaboraret, opemque praeberet legatis, quos ea de causa ad Manuelem imperatorem Graecorum miserat [1]; a Friderico autem imperatore, quem supra coronavit, graviter vexatus fuit.

43. *Lis inter Hadrianum IV et Fridericum I* — Quum Fridericus I audivisset, Hadrianum IV pacem pepigisse cum Guilielmo I rege Siciliae, graviter iratus est, quod ipse Guilielmum expellere et universam Italiam sibi subigere meditaretur; confestim Pontificem cui antea Stratoris [*] officium exhibuerat, et a quo iam fuerat Imperii corona decoratus, vexare coepit, et an. 1156 prohibuit, ne quis archiepiscopus, episcopus aut sacerdos Romanam curiam adiret aut beneficiorum collationem a Pontifice postularet. Eodem anno Eskyllus, archiepiscopus Lundensis et Apostolicae Sedis in Dania legatus, cum Roma in Daniam rediret, in partibus Germaniae captus, spoliatus et in carcerem coniectus fuit, silente et dissimulante imperatore. Quum haec audivisset Hadrianus Pp., legatos misit ad imperatorem cum epistola, in qua querebatur de iniuria archiepiscopo Lundensi illata, et imperatori in memoriam revocabat beneficia, praesertim imperialis coronae insigne, quae ab Apostolica Sede acceperat. Fridericus offensus, quod Pontifex insigne coronae imperialis appellaret beneficium, legatos reiecit, datisque per totum imperium litteris questus est, quod Hadrianus assereret, imperium esse R. Ecclesiae feudum, contenditque, se illud a solo Deo per principum electionem tenere. Hadrianus ad placandam principis iracundiam novos legatos ad eum misit cum altera epistola, in qua significabat, se in priori epistola voce beneficii non feudum sed bonum factum intellexisse. Fridericus placatus, pacem Hadriano reddidit.

Verum brevis fuit de pace laetitia. Anno 1158 Fridericus exercitum contra rebelles Langobadiae civitates duxit; Mediolanensibus ad deditionem compulsis, Roncagliae comitia indixit, in quibus opera aliquot iurisperitorum scholae Bononiensis novam constitutionem, cui Itali adstringerentur, elaboravit; civitatum, episcoporum et monasteriorum iuribus atque privilegiis derogavit; episcopos et abbates ad dimittenda regalia et ad praestandum sibi *hominium*, ut eadem reciperent, coëgit. De tali agendi ratione Hadrianus Pp. data ad imperatorem epistola merito questus est. Fridericus litteras Pontificis quasi auctoritati suae iniuriosas reiecit; iratus etiam, quod Hadrianus ecclesiam Romanam privare nollet Guidone, viro scientia moribusque clarissimo, quem Fridericus ad archiepiscopatum Ravennatensem postulabat, petulantes litteras ad Hadrianum reddidit. Pontifex 3 cardinales cum nova epistola ad Fridericum legavit, ut eum ad concordiae vias et ad resarciendas iniurias, episcoporum et R. Ecclesiae iuribus atque possessionibus illatas, adduceret. Fridericus vero Hadriani expostulationibus superbe et arroganter respondit, contendens, apud se esse summum omnium regalium, ipsiusque Vrbis Romae, sine qua nomen imperatoris inane esse dicebat, dominium [1].

Quum sic discordia ingravesceret, Hadrianus Pp. calendis septembris 1159 Anagniae decessit.

44. *Alexander III, Pontifex* (*an.* 1159) — Sexta die post Hadriani IV obitum in eius locum electus fuit Alexander III, Senensis, cardinalis cancellarius, antea appellatus Rolandus, qui sedit usque ad an. 1181, invictaque patientia diuturnum schisma compescuit, ut mox videbimus.

---

[1]) Apud Labbe, *Concil.* t. X, p. 1165, 1170-1173, et 1150.

[*]) Id facere primum recusavit, at omnium Imperii Principum iudicio coactus est Fridericus eo munere ex more defungi, ut probat Thomassinus, *De vetere et nova Ecclesiae Disciplina*, t. II, l. III, § 5. Idem Stratoris officium exhibuit *Conradus*, Romanorum Rex, Vrbano II (Baron. ad an. 1095, § 8); *Guilielmus*, Calabriae et Apuliae Dux, Callisto II (Baron. ad an. 1120, § 9); *Lotharius*, Imperator, Innocentio II (Baron. ad n. 1131, § 7); *Ludovicus VII*, Rex Francorum, et *Henricus II*, Rex Anglorum, Alexandro III (Baron. ad an. 1162, § 12, et ad an. 1163, § 1); *Fridericus*, Imperator, eidem Alexandro III (Baron. ad an. 1177, § 69); *Rex* Siciliae et Hungariae Celestino V, dum asino modestiae causa vectus Aquilam Aprutii urbem ingrederetur (Raynaldus ad an. 1291, § 10); *Philippus Pulcher*, Rex Francorum, Clementi V ineunti in urbem Lugdunum (Raynaldus ad an. 1305, n. 13); *Carolus III*, Rex Siciliae, Vrbano VI (Raynaldus ad an. 1383, n. 3) ; *Sigismundus*, Romanorum Rex, Martino V et Eugenio IV (Raynaldus ad an. 1418, n. 36, et ad an. 1433, n. 14); *Fridericus III* Rex Romanorum, Nicolao V (Raynaldus ad an. 1452, n. 2). *Carolus V* in urbe Bononiensi, omni populo inspectante, posteaquam a Pontifice Clemente VII coronam accepisset, illo ascendente equum Stratoris officium exhibuit, pedem sustinuit, fraenum tenuit, equumque aliquot passus ducere voluit. (Raynaldus ad an. 1530, n. 39.)

[1]) Radevicus, *Gesta Friderici I*, l. 1-2; Baronius et Pagi ad an. 1157-59; Labbe, *Concil.* t. X, p. 1144-59.

45. *Schisma* — Electioni Alexandri III restiterunt 3 cardinales, Octavianus, Ioannes et Guido, auctores diuturni schismatis. Octavianus, qui iamdiu ad apostolicam cathedram aspiraverat, quum Alexandrum electum vidit, illam vi invadere conatus est; a duobus praedictis cardinalibus electus et initio mensis octobris ab Imaro episcopo Tusculano, qui primum Alexandri deinde Octaviani electioni assensit, consecratus, assumpsit nomen Victoris IV. Quum uterque, Alexander et Octavianus, electionem suam litteris encyclicis catholico orbi significasset, confestim Fridericus imperator, bello in Langobardia occupatus, reiecto Alexandro, quem iam sub Hadriano IV legatione functum oderat, Octavianum suscepit, eiusque partes omni via defendere coepit; ne tamen arbitraria ratione procedere videretur, an. 1160 Ticini simulacrum concilii generalis coëgit, specie quidem ut utriusque partis iura discuterentur, revera ut, reiecto Alexandro, Octavianus seu Victor confirmaretur. Convenerunt archiepiscopi et episcopi Itali atque Germani circiter 50, multi abbates et praepositi; adfuit etiam Octavianus cum fautoribus suis; Alexander vero eiusque cardinales conciliabulo isti adesse merito recusarunt. In hoc conciliabulo episcopi et alii, partim imperatoris gratia et metu, partim mendaciis, quibus Victoris electio, nemine contradicente, fuerat exposita, permoti, Victorem legitimum pontificem declararunt, Alexandrum vero condemnaverunt; et antipapa confestim anathematis sententiam in Alexandrum omnesque eius fautores protulit [1]. Fridericus I mox omnibus imperii episcopis sub poena exilii mandavit, ut Octaviano seu Victori obedirent, episcopos id facere recusantes e sedibus suis eiecit et in easdem schismaticos intrusit; unde magna perturbatio in ecclesiis imperii secuta est [2].

Alii vero reges et principes christiani, quos Fridericus frustra ad schisma pertrahere tentavit, atque ecclesiarum praesules ubique Alexandrum III ceu legitimum pontificem susceperunt [3]. In primis episcopi Palaestinae cum Amalrico patriarcha Hierosolymitano an. 1160 in synodo Nazarethana Alexandro III obedientiam professi sunt, Octaviano vero eiusque fautoribus anathema dixerunt. Eadem de causa anno sequente Henricus II rex Angliae apud Novum Mercatum et Ludovicus VII rex Galliae apud Bellovacum episcopos, abbates, proceresque convocarunt, et in utroque conventu Alexander III susceptus, Octavianus vero reiectus fuit. Idem factum est brevi post in copiosa synodo, quam ambo reges ex utroque regno indixerunt Tolosae, et cui etiam interfuerunt legati Alexandri, Octaviani, Friderici imperatoris et regis Hispaniae [1].

Interim Alexander Pp. convocatis an. 1160 apud Anagniam cardinalibus et episcopis, Octavianum eiusque fautores anathemate perculit; imperatorem etiam Fridericum, quem frustra admonuerat, excommunicavit [2]. Deinde Alexander vicibus suis in Vrbe demandatis Iulio episcopo Praenestino, confugit in Galliam, ubi a Ludovico VII magno cum honore exceptus est; an. 1162 apud Montem-Pessulanum synodum habuit, in qua rursus in antipapam eiusque complices excommunicationis sententiam promulgavit; anno sequente frequentiorem synodum coëgit apud Turones, cui interfuerunt 17 cardinales, 124 episcopi ex Italia, Gallia et Anglia, 414 abbates, magnusque clericorum et laicorum numerus. In ea iterum anathema in antipapam eiusque fautores dictum est, et 10 canones editi contra praebendarum divisionem et dignitatum permutationem, contra clericos usurarios et simoniam atque laicos iura ecclesiastica usurpantes, contra novos manichaeos et religiosos legum civilium aut medicinae studio atque exercitiis cum disciplinae regularis detrimento vacantes, contra Ordinationes ab Octaviano aliisque schismaticis et haereticis factas [3]. Pontifex in Gallia mansit usque ad annum 1165, quo post Friderici in Germaniam reditum, a Romanis invitatus in Vrbem rediit.

Octaviano antipapa X calendas maias 1164 in urbe Lucensi mortuo et in monasterio extra Vrbem, quod canonici ecclesiae maioris ei sepulturam negassent, sepulto, duo eius cardinales Ioannes et Guido schismaticorum comitia coëgerunt, in quibus Guido electus et sub Paschalis III nomine ab Henrico episcopo Leodiensi consecratus est. Hunc mox suscepit Fridericus I, et anno 1165 coacto

1) Labbe, loc. cit. p. 1387.
2) Radevicus, loc. cit. l. 2; Baron., ad an. 1160.
3) « Alexandrum (inquit Helmodus, presbyter Lubecensis, *Chron. Slavor.* l. 1, c. 91) recipit Hierosolymitana ecclesia et Antiochena, praeterea omnis Francia, Anglia, Hispania, Dania et omnia regna, quae sunt ubique terrarum ».

1) Labbe, *Concil.* t. X, p. 1403 et 1406.
2) Baron., ad an. 1160.
3) Labbe, loc. cit. p. 1410-11.

apud Wiceburgum episcoporum et principum conventu, iureiurando spopondit, se nunquam Rolandum (Alexandrum III) suscepturum, sed in Paschalis III obedientia perseveraturum. Idem iusiurandum praescripsit praesulibus ecclesiasticis et principibus imperii, cui paruerunt episcopi praesentes et 4 principes, nempe dux Saxoniae, marchio Brandeburgicus, comes Palatinus et Landgravius [1]. Eodem anno ex auctoritate antipapae generalem procerum ecclesiasticorum et laicorum curiam coëgit Aquisgrani pro elevatione et exaltatione corporis Caroli M. [2]. Anno 1166 imperator ingentem exercitum duxit in Italiam, tum ut rebelles civitates imperio suo subiiceret, tum ut Alexandrum Pp. Roma expelleret et Paschalem antipapam, qui Viterbii agebat, in Petri cathedram intruderet. Romani Vrbem contra Friderici impetus fortiter defenderunt; cumque is in occupata basilica s. Petri inaugurari iussisset Paschalem, qui ibidem calendis augusti 1167 Fridericum eiusque coniugem augustos coronavit, Alexander, coacta in ecclesia Lateranensi synodo, Fridericum I anathemate perculit et auctoritate regia privatum declaravit, eiusque subditos a fidei iureiurando absolvit, deinde confugit Beneventum [3]. Romani, exceptis magnatibus, qui se in arcibus suis tutati sunt, ad resistendum impares, se imperatori dediderunt, sed schismaticorum gaudium mox in luctum conversum est; nam imperatoris exercitus subito tanta pestilentia correptus fuit, ut milites occumbentes vix sepeliri possent. Nonnulli etiam episcopi, qui erant in comitatu Friderici, eodem mortis genere perierunt. Quapropter imperator, postridie nonas augusti, relicta Roma, regressus est Ticinum, et anno 1168 a confoederatis Langobardis ubique reiectus, refugit in Germániam [1].

Ex hoc tempore Friderici auctoritas et schismaticorum vires in Italia deperierunt. Verumtamen extincto an. 1168 antipapa Paschali, schismatici sibi elegerunt Ioannem abbatem Strumensem, quem Callistum III appellarunt. Fridericus I in schismate pertinax, novum antipapam suscepit, et in vexandis iis, qui cum Alexandro Pp. communicabant, perrexit usque ad an. 1177, quo tandem concordiam sacerdotium inter et imperium restitutum videbimus.

46. *Alexandri III litterae ad Graecorum imperatorem Sultanum et Indos* — Non obstantibus vexationibus, quas Alexander Pp. a Friderico imperatore et schismaticis expertus est, ecclesiarum negotia minime neglexit. Duplicem legationem excepit a Manuele imperatore Graecorum, qui a Pontifice coronam imperii occidentalis postulans, unionem ecclesiae Graecae cum Latina spondebat, seque omnem Italiam Pontifici subiugaturum pollicebatur. Alexander quidem legatos ad Manuelem destinavit ecclesiarum concordiam tractaturos, sed eum Romanorum imperatorem coronare recusavit. Accepit etiam legationem et litteras a sultano Iconii, qui Pontifici significabat, se legendo Mosem, Isaiam, Ieremiam, Matthaeum, Ioannem et Paulum ad christianae Religionis studium fuisse excitatum, rogabatque Pontificem aliquot viros idoneos, a quibus plenius christiana doctrina institueretur. Alexander III ad eum litteras reddidit, in quibus consilium eius suscipiendae Religionis christianae laudavit, summam fidei christianae docuit, seque viros idoneos missurum promisit [2]. Litteras quoque accepit ab Indorum rege, vulgo Ioanne presbytero seu Petreiano dicto. Vidimus enim, Nestorianos Christianismum in remotissimis Asiae regionibus propagasse [3]; quum autem hoc tempore Philippus medicus in Tartaricas terras peregrinatus, Ioanni christianorum Indorum principi observasset, eos in nonnullis articulis a vera Christi doctrina, quam Romana et catholica Ecclesia profitebatur, dissentire, princeps Philippo in Italiam remeanti litteras dedit ad Pontificem Romanum, quatenus veram Christi fidem edoceretur. Alexander III per eumdem Philippum litteras ad principem reddidit, quibus eius desiderium discendae veri-

---

[1]) Baronius et Pagi, ad an. 1164.

[2]) Vid. t. I, p.214-15.—Hic tamen iuvat referre verba Benedicti XIV excerpta ex aureo opere *De Servorum Dei Beatif. et Beator. Canonizat.* l. I, c. 9, n. 4: « Contelorius in suo *tract. De Canoniz. Sanct.* c.2,n.2, Carolum asserit dici posse tantum beatificatum; et haec quidem sententia retinenda videtur. Quidquid etenim sit de concessione facta ab illegitimo Pontifice tot subsequentes legitimi Pontifices praedictam concessionem sciverunt, et per tolerantiam admiserunt: quibus si superaddatur longissimi temporis observantia, nihil deesse videtur ex iis, quae necessaria sunt pro validitate cultus, quoad Ecclesias particulares, et sic pro sufficienti Beatificatione ». Vide Bolland. ad diem 28 ian.

[3]) Ioan. Sarisberiens., apud Baron. et Pagi, ad an. 1168; Labbe, *Concil.* t. X, p.1450.

[1]) Baronius et Pagi, ad an. 1166-68.—[2]) Labbe, *Concil.* t. X, p. 1213.—[3]) Vid. t. I, p. 216.

tatis laudavit, eum hortatus est, ut Philippo, qui eum in articulis, in quibus a R. Ecclesiae doctrina dissentiebat, instrueret, obtemperaret, rogavitque, ut viros aliquot e regno sub Romam mitteret, vera Ecclesiae doctrina et disciplina instituendos [1].

E litteris porro Ioannis presbyteri et Alexandri Pp. concluditur, Indos istos ex ignorantia magis quam ex pertinacia nestorianis erroribus adhaesisse. Idem de Armeniis huius temporis, quantum ad eutychianos errores spectat, dicendum est. Eorum catholicon seu patriarcham supra cum Alberico Legato apostolico in synodo Hierosolymitana, deinde per Legatos Viterbii cum Eugenio Pp.III de Fidei articulis contulisse diximus [2]. Anno 1170 Theorianus theologus graecus, a Manuele imperatore ad catholicon Nersetem destinatus, suis disceptationibus effecit, ut is Chalcedonense concilium et dogma de duabus Christi naturis susciperet, sponderetque, se episcopos suos convocaturum, ut omnes unam cum ecclesia Cp. fidem atque disciplinam amplecterentur [3].

47. *Religionis status apud Slavos*—Iisdem temporibus Religio christiana refloruit apud Slavos Holsatiae et Megalopolis. Hi iam saeculo X imperante Ottone M. christianam fidem susceperant [4], sed progressu temporis ab ea defecerunt, adeo ut post dimidium saeculi XI vix ulla apud eos superessent Religionis vestigia. Anno 1106 Henricus eorum princeps christiana sacra, quae sectabatur, inter subditos suos restituere conatus est, et Lubecae ecclesiam extruxit, apud quam plures presbyteri constituti sunt. Eius exemplum secutus est Canutus Lawardus successor, sub quo Vicelinus presbyter ecclesiam cum monasterio fundavit prope Holsatios, et sub protectione Lotharii imperatoris Fidem inter illos praedicavit. Verum ethnici turbis post mortem Lotharii (1137) in Saxonia ortis, usi sunt ad destruendas rursus ecclesias. Post paucos annos Henricus Leo, dux Saxoniae, Slavos partim subegit partim eiecit, eorumque terras tradidit colonis Germanis. Tunc Evangelium illic liberius praedicatum est; et Hartvicus archiepiscopus Bremensis an. 1150 episcopatus Altenburgensem et Mecklenburgensem restituit, quorum prior an. 1158 Lubecam, posterior anno 1165 Schwerinum translatus est. An. 1154 etiam restitutus fuit episcopatus Ratzeburgensis. Cum vero Slavorum principes fidem Henrico duci datam fregissent, is anno 1162 illos rursus armis aggressus est, et aliis occisis aut fugatis, aliis subactis, terram inter belliduces suos distribuit, novosque colonos e Germania et Belgio in eam vocavit. Ab hoc tempore superstites Slavi ad christiana sacra conversi sunt [1].

Simili modo ad finem perducta est conversio Hevelorum aliorumque Slavorum in hodierno Brandeburgo. In eorum etiam terris regum Germanorum curis Fides propagata, ecclesiae extructae et episcopatus erecti fuerant; sed Slavi pristinae suae libertatis cupidi et Germanorum iugo atque pendendis oneribus lacessiti, saepius rebellarunt, in christianos saevierunt, ecclesias devastarunt. Anno 1157 Albertus primus marchio Brandeburgicus, eos armis domuit, colonos Batavos et Belgas in eorum terras vocavit, episcopatus Haverbergensem et Brandeburgensem restituit, et Religionem christianam per omnem regionem stabilivit [2].

Etiam in insula Rugia ethnicismus deletus est. Cum eius incolae Danorum fines saepius infestarent, an. 1136 Ericus Danorum rex Rugios devicit, et ad supremum suum dominium atque sacerdotes, qui eos in christiana fide erudirent, admittendos adegit. Postea cum Rugii iugum Danorum abiecissent et sacerdotes expulissent, an. 1168 Waldemarus Danorum rex eos ad subiectionem armis redegit, et opera Absolonis episcopi Roschildiensis, qui erat in eius comitatu, Iaremarum regem aliosque multos ad suscipiendum baptismum perduxit. Absolon, cui Alexander Pp. insulam in spiritualibus subdidit, destructis idolis eorum templum in christianam ecclesiam convertit, et sacerdotes in ea constituit, quorum opera et Iaremari eiusque in regno successorum exemplo ac monitis omnes Rugii sensim christiana sacra susceperunt [3].

Eodem tempore Finni ad christianam fidem perducti sunt. Hos, cum naves et oras Suecorum frequenter infestarent, Ericus rex Succiae an. 1156 armis subegit, et opera s. Henrici episcopi Vpsalensis ad admitten-

---

1) Labbe, loc. cit. p. 1227; Baronius et Pagi, ad an. 1177.
2) Vid. p. 29.
3) Theoriani dialogus seu disceptatio extat in *Biblioth. PP. graec. latin.* t. I, et apud Card. Mai, *Scriptor. vet. nova collect.* t. VI, part. I.
4) Vid. t. I, p. 250.

1) Helmond. *Chron. Slavor.*
2) Helmond. ibid.
3) Ibid.; Saxo Grammat. *Hist. Dan.* l. XIV.

dos sacerdotes et suscipiendum baptismum perduxit [1].

48. *Lis inter Henricum II et Thomam Cantuariensem*—In Anglia vero ecclesiarum pax graviter perturbata fuit dissidio inter Henricum regem II et s. Thomam archiepiscopum Cantuariensem. Causae dissidii fuerunt, quod Thomas an. 1162 ex archidiacono et regni cancellario factus archiepiscopus Cantuariensis, se cancellarii munere abdicasset, iniustam tributi exactionem prohibuisset, pravam consuetudinem, qua rex pro vacantibus ecclesiis episcopos ordinari impediebat, ut earum reditibus frueretur, improbasset, presbyterum et canonicum, propter crimina iudicio ecclesiastico damnatos, curiae regiae tradere noluisset, denique virum nobilem, inconsulto rege, excommunicasset. Henricus in sanctum praesulem, quasi iura regia despiceret, vehementer commotus, eum aliosque praesules, apud Westmonasterium convocatos, interrogavit, num regias consuetudines observare vellent. Responderunt illi, se eas observare velle *salvo ordine suo*. Verum plerique episcopi regis minis perterriti, eorumque precibus importunis et pravis consiliis perductus Thomas, an. 1164 in comitiis Clarendonensibus absoluta iurisiurandi formula promiserunt, se regias consuetudines observaturos. Tunc rex sic dictas regias consuetudines recenseri et in codicillum, cui episcopi subscriberent [1] referri iussit. Cum vero plures ex iis essent ecclesiasticis libertatibus oppositae, Thomas inducias petiit, ut illas, priusquam subscriberet, mature perpenderet. Mox ab aliquot viris piis propter iusiurandum supra praestitum reprehensus, fragilitatem suam confessus est, et severam poenitentiam sibi indixit. Rex cunctatione Thomae offensus eodem anno episcopos et magnates convocavit Northamtonam. In hoc conventu Thomas periurii aliorumque criminum accusatus, se libertate apostolica ab iis vindicavit, cernensque, episcopos et magnates iniquis regis consiliis suffragari, contra eorum sententiam R. Pontificem appellavit, et relicto conventu confugit in Galliam, in qua tunc temporis Alexander Pp. III agebat.

Pontifex constantiam s. Thomae in defendenda contra regis usurpationes ecclesiastica libertate laudavit, ea quae Northamtonae contra eum acta fuerant, irrita dixit, articulos regiarum consuetudinum improbavit, Henricum regem legationibus et litteris ad reddendam archiepiscopo pacem hortatus est, et Romam rediens Thomae, quem abbati Pontiniacensi commendaverat, legationem apostolicam pro Anglia confirmavit. Rex vero magis iratus, Cantuariensis ecclesiae et omnium clericorum Thomae adhaerentium reditus fisco addixit, cunctos eorum cognatos e regno relegavit, omnibusque subditis suis prohibuit, ne preces pro archiepiscopo ad Deum funderent. Thomas autem regias consuetudines, Clarendonae promulgatas, damnavit, episcopos a iureiurando eas observandi absolvit, regemque litteris excitavit, ut sibi et ecclesiis pacem redderet, censuras ecclesiasticas in eum eiusque regnum comminatus. Henricus ex episcoporum et procerum consilio contra Thomae minas appellavit Alexandrum Pp. Vtrimque, Pontificem inter et regem, litteris et legationibus de pace tractatum est, sed nihil effectum. Tandem Alexander Pp. regis pertinacia, litterisque Ludovici VII et episcoporum Galliae permotus, Henrico excommunicationem eiusque regno interdictum comminatus est, nisi is intra statos dies archiepiscopo Cantuariensi pacem restitueret.

Tunc Henricus rex ad pacis consilia flexus, an. 1170 Thomae eiusque in exilio sociis securitatem reddidit. Sanctus praesul summa Cantuariensium laetitia exceptus est. Verum eius reditum aegerrime tulerunt regii ministri et nonnulli episcopi, praesertim Eboracensis, Londoniensis et Saresberiensis censuris apostolicis perstricti. Horum ira aucta est, quod Thomas excommunicatos absolvere nollet, nisi prius R. Pontificis mandatis obedientiam sponderent. Brevi post 3 praedicti antistites in Normanniam ad Henricum II profecti, multa accusationum capita contra Thomam ceu pacis publicae perturbatorem, regis inimicum et episcoporum persecutorem detulerunt. Rex iratus in funesta verba erupit, quod nemo eum de uno sacerdote regni perturbatore vindicaret; quibus verbis confisi 4 satellites, sanctum archiepiscopum in ipsa ecclesia gladiis occiderunt IV calendas ianuarias 1171.

Facinoris fama horrorem ingessit toti orbi christiano. Henricus rex tanto dolore concussus est, ut pluribus diebus ieiunaverit, et solitarius sedens a regendis rebus abstinuerit; missisque Romam oratoribus, contestatus est, se caedem archiepiscopi non mandasse, pa-

---

[1]) Bolland., *Acta SS.* 19 ian. *Vita s. Henrici Vpsal.*

ratum tamen esse, quoniam verbis suis illius occasionem praebuerat, ad subeundam secundum Pontificis mandata poenitentiam. Alexander III interfectores s. Thomae et omnes, qui crimini isti auxilium, consilium vel assensum dederant, excommunicavit; Thomam vero miraculis clarum an. 1173 Ssrum martyrum albo inscripsit; et Henricus rex an. 1172 in conventu Abrincatensi eadem, quae supra, coram Legatis apostolicis confessus et iureiurando pollicitus, se satisfactionis loco per annum integrum 200 milites in Palaestina aliturum, statuta Clarendonensia aliasque pravas consuetudines abrogaturum, ecclesiae Cantuariensi possessiones suas et omnibus pacem redditurum, absolutionem impetravit[1].

49. *Carmelitarum Ordo* — Sub haec tempora Bertholdus, sacerdos Calaber, celeberrimum Carmelitarum Ordinem instituit. Is circa dimidium huius saeculi in Terram sanctam pietatis causa profectus, cum aliquot aliis piis peregrinatoribus in eo montis Carmeli loco, in quo olim Elias propheta moratus fuisse credebatur, humile domicilium et sacellum extruxit, ubi una cum sociis suis vitam eremiticam, austeritatibus plenam et inter orationem manuumque laborem divisam, instituit. Quoniam his montis Carmeli incolis continuo alii accederent, rogante Brocardo, qui iis post Bertholdum praeerat, Albertus patriarcha Hierosolymitanus an. 1209 illis stabilem vitae regulam dedit, 16 articulis digestam. Haec regula summatim praescribebat preces diuturnas, ieiunium rigidum, perpetuam ab esu carnium abstinentiam, obedientiam priori, paupertatem, solitudinem, silentium, manuum laborem, otii fugam. Regulam istam an. 1226 approbavit Honorius Pp. III, confirmavitque Gregorius IX an. 1230. Propter hostiles mahomethanorum incursus Ordinis sodales an. 1238 relicto monte Carmelo, domicilium transtulerunt in insulam Cyprum, deinde in Siciliam. Anno 1246 Innocentius Pp. IV eorum regulam nonnihil mitigavit, et ex hoc tempore vitam eremiticam cum coenobitica permutarunt. Progressu temporis Ordo etiam ad feminas translatus, latissime per Europam diffusus est[2]. Haud mediocre decus ei accessit ex quo B. Simon Stock, anglus, Ordinisque minister generalis ab an. 1245 usque ad annum 1265, instituit sodalitium s. Scapularis, ei, ut dicitur, a B. V. M. in visione revelatum, et a RR. Pontificibus approbatum atque indulgentiis auctum [1]. Carmelitae tantam pietatem erga B. V. M. coluerunt, ut se fratres B. M. V. de Monte Carmelo dicerent.

50. *Ordines militares in Hispania* — Ad exemplum Ordinum equestrium, quos supra in Palaestina constitutos vidimus [2], post dimidium huius saeculi in Hispania instituti sunt Ordines militares Calatravae, s. Iuliani de Peirero et s. Iacobi. An. 1147 Alphonsus rex Castellae urbem et arcem Calatravam, eiectis inde Mauris, dederat equitibus seu militibus Templariis, sed cum an. 1158 Mauri Africani ingentem expeditionem pararent ad recuperandam Calatravam, milites Templi eam Sanctio III regi Castellae reddiderunt, qui eam cessit Raymundo, abbati Fiterii Ordinis Cisterciensis. Raymundus una cum Didaco Velasqui, eiusdem Ordinis, in Calatrava instituit Ordinem militarem secundum regulam Cisterciensium, habitu et aliis nonnullis temperatis, prout requirebant Ordinis scopus et officia seu christianorum contra Mauros defensio. Quum Ioannes, ecclesiae Toletanae archiepiscopus et Hispaniae primas, omnibus auxilium militiae Calatravae ferentibus indulgentias concessisset, vix erat quin vel ipse iret in auxilium, vel equos, arma aut pecunias largiretur. Quod ubi audierunt Mauri, expeditioni suae nuncium miserunt. An. 1164 Alexander Pp. III Ordinem approbavit [3].

Idem Pontifex approbavit alios Ordines religioso-militares, nempe s. Iacobi an. 1175 et s. Iuliani an. 1177, quorum idem ac militiae Calatravae scopus erat [4].

51. *Beguinarum institutio* — Ad haec ipsa tempora multi scriptores referunt Beguinarum in Belgio fundationem, quarum institutum et nomen attribuunt Lamberto Le Begues, pio ecclesiae Leodiensis sacerdoti, an. 1177 defuncto [5]. Verum iam an. 1065 Begui-

---

1) *Historia quadripartita* seu *Vita s. Thomae Cantuar.*, cura C. Lupi edita Bruxel. 1682; Alford., *Annal. Britan.* t. IV; I.B. Palma, *Praelect. Hist. eccl.* t. III, part. I, c. 15.

2) A. Miraeus, *De origine Ordinis Carmel.*; Papebroch. *Commentar. hist. ad vitam B. Alberti*; *Acta SS.* t. I april.: Helyot, *Hist. des Ordres relig.* t. I.

1) Benedict. XIV, *Debeatif. et canonizat.* t. IV, part. II, c. 9; De Villiers, *Biblioth. Carmelit.* t. II, p. 753; P. Raynaud, *Scapulare Marianum*, *Oper.* t. VII.

2) Vid. p. 13.

3) Helyot, loc. cit. — 4) Ibid.

5) Ægidius monachus, *De episcopis Leod.* c. 52; Chapeaville, *Gesta episcopor. Leod.* l. II.

narum domum extitisse Vilvordiae in Brabantia, evincitur e monumento, quod edidit doctissimus C. Smet [1]. Nonnulli illarum originem et nomen deducunt a s. Begga seu Bagga, Pipini Landensis filia et s. Gertrudis sorore. Hoc Institutum per Belgium et Germaniam plurimum propagatum est, et hodiedum in pluribus Belgii civitatibus adhuc viget. Quae illud profitentur, in domiciliis sibi iunctis vivunt, castitatem colunt, pietatis exercitiis manuumque labori vacant.

52. *Pax inter sacerdotium et imperium* (*an.* 1177) — Interim Fridericus I in schismate et dissidiis, supra excitatis [2], perseverabat, an. 1174 rursus exercitum duxit in Italiam, ut de Langobardicis civitatibus et R. Pontifice ulcisceretur. Verum Veneti aliique Itali se cum Langobardis coniunxerunt, et Fridericus commisso an. 1176 ad Lignanum praelio, tanta clade affectus est, ut vix ipse incolumis evaserit. Tunc animum ad ineundam concordiam inflexit, et an. 1177 pax inter Pontificem, imperatorem et civitates Langobardicas sancita atque conscripta est. Imperator schismati renuntiavit, Alexandro III obedientiam professus est, et mutua praeteritorum oblivio ac venia, sinceraque cum Langobardis et regis Siciliae reconciliatio iurata sunt. Alexander Pp. Fridericum ad pedes suos provolutum et veniam petentem elevans cum lacrymis, excepit osculo et ab excommunicationis ac anathematis vinculis absolvit [3]. Ad imperatoris exemplum omnes proceres et episcopi, qui eius partibus faverant, schisma eiurarunt, Alexandro III obedientiam promiserunt et in communionem Ecclesiae recepti sunt [4].

His compositis, Fridericus in Germaniam rediit. Brevi post (1178) antipapa Callistus coram Alexandro Pp. culpam confessus est, quem Pontifex magna cum benignitate suscepit et venia donavit. Paucorum quidem factio in locum Callisti elegit Landinum clericum, quem Innocentium III appellavit, sed eo paulo post custodiae tradito, schisma extinctum est [1].

53. *Secta novorum Manichaeorum* — Schismaticis ad unitatem Ecclesiae redeuntibus, novae haereticorum sectae per plures Occidentis provincias propagabantur. Isti sectarii, cum quoad substantiam religiosi sui systematis cum antiquis Manichaeis convenirent, communiter Manichaei recentiores seu novi dicti sunt; originem suam traxerunt a Paulicianis et Bogomilis [2], qui e Graecia et Bulgaria in vicinam Slavoniam et Dalmatiam, hincque in Italiam et alias regiones transierunt, et errores suos disseminarunt. In Occidente priscam suam doctrinam nonnihil mutaverunt. Asserebant, omnis mali principium esse diabolum, qui primo rerum materialium elementa procreaverat, postea terram et omnia quae continet, etiam Adamum et Evam ex iis condiderat, illius corpori angelum lapsum inflaverat, a quo omnes animae humanae descendebant. Concubitum et etiam matrimonium tanquam opus diabolicum damnabant, atque in concubitu Adami cum Eva lapsum humani generis constituebant. Vetus Testamentum, carnis resurrectionem, purgatorium reiiciebant. Reiecta Trinitate divina, Christo naturam divinam et realem carnis assumptionem denegabant. Verum sacerdotium apud catholicos defecisse contendebant per Pontificum et episcoporum superbiam, luxuriam et dominandi studium. Sacramentorum loco utebantur quatuor ritibus, pro baptismo impositionem manuum cum recitatione orationis Dominicae adhibentes, pro Eucharistia quotidie in consueta coena panem communem recitatione eiusdem orationis consecrantes, pro poenitentia brevissimam quamdam peccatorum confessionem generalem facientes, pro ordinatione clericorum suorum sollemnem ritum adhibentes. Eorum clerus constabat ex episcopo seu primario antistite, cui sacramentorum administratio et publicarum precum recitatio commissa erat, e filio maiori qui episcopi, et minori qui maioris absentis aut impediti vices gerebat, et e diacono qui menstruam peccatorum confessionem excipiebat et poenitentiam pro iis annuntiabat; hi omnes subordinati erant supremo capiti, Christi vices gerenti, qui praeterea duodecim doctores quasi apostolos sibi adiunctos habebat. Quantum ad eorum doctrinas practicas moresque spectat, frequen-

---

1) *Acta SS. Belgii selecta*, t. V, p. 70; Cf Kersten in *Journal hist.* t. X, p. 530 et 584.

2) Vid. p. 31-35.

3) Veritati et Alexandri III mansuetudini contradicunt, qui aiunt, hunc Pontificem pede pressisse caput imperatoris, eique insultasse his Psalmistae verbis: *Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et dragonem.* Cf Baron. ad an. 1177.

4) Muratori, *Antiquit. Ital. medii aevi*, t. IV; Baron. ad an. 1175-77; Labbe, *Concil.* t. X, p. 1481

1) Baronius et Pagi, ad an. 1178.

2) Vid. p. 24.

ter orabant, crebro ieiunabant, a carne omnique esculento e regno animali abstinebant, foenus etiam iniquum haud illicitum habebant. Non tamen omnes in praedictis doctrinae articulis conveniebant, sed in variis a se invicem discrepabant, quae discrepantia non obstabat, quominus se invicem tolerarent et tanquam eiusdem ecclesiae membra considerarent.

Praecipuae eorum sedes erant in Langobardia et Gallia meridionali; in Hispania etiam, Anglia, Belgio et Germania inferiori coetus efformarunt. Vulgo dicebantur *Catari*, alibi etiam *Publicani*, et *Bulgari, Patareni*, item *Boni homines* in Gallia et Hispania, in Flandria *Piphli et Turlepini* appellati sunt. Quum autem eorum progressionibus Ecclesia vera diminueretur, salusque animarum multarum pessumdaretur, catholici varia media ad eos convertendos adhibuerunt, primo quidem persuasione et divini verbi praedicatione eos ab erroribus avocare conati sunt, publice cum iisdem disceptantes, verbo et scripto eos impugnantes; coactae sunt etiam synodi Oxoniensis an. 1160, Turonensis an. 1163, Lumbariensis an. 1176, quae errantes in viam veritatis reducere tentaverunt et pervicaces ceu haereticos condemnaverunt. Anno 1178 Ludovicus VII rex Galliae et Henricus II rex Angliae de reprimendis sectariorum progressibus consentientes, Petrum a s. Chrysogono cardinalem, Alexandri Pp. III Legatum, cum aliquot episcopis et clericis in regionem Tolosanam ablegarunt ad haereticos sive convertendos sive condemnandos, simulque comiti Tolosano aliisque dominis mandarunt, ut legatos efficaciter adiuvarent, et pervicaces haereticos e terris suis pellerent. Inde effectum est, ut multi errores suos eiurarint; pertinaces vero excommunicati fuerint. Excommunicationis sententiam etiam pronuntiavit Cardinalis Legatus contra Rogerium, Biterrae, Carcassonae et Albigae vicecomitem, qui haereticos e ditione sua pellere et episcopum Albigensem e custodia dimittere detrectabat. Tandem ipse Alexander Pp. an. 1179 in Concilio generali Lateranensi III canone 27 eosdem haereticos eorumque protectores et susceptores excommunicatione perculit, et sub eadem poena vetuit, ne quis eos hospitio exciperet aut cum iisdem mercaturam exerceret. Cum vero haeretici sub praesidio Rogerii vicecomitis errores suos libere spargerent, an. 1181 Henricus cardinalis, R. Pontificis Legatus, collecto milite Rogerii ditionem invasit, multos haereticos convertit, ipsumque Rogerium ad deditionem et promissionem de abiicienda haeresi perduxit. At Rogerius promissis non stetit, cumque et alii locorum domini sectarios tueri pergerent, eorumque factio in Gallia meridionali magis aucta est, magnasque clades rei catholicae intulit [1].

54. *Concilium Lateranense III, generale XI* (*an.* 1179) — Conciliata, ut supra vidimus, inter sacerdotium et imperium concordia, Alexander Pp. III generale concilium Romae indixit ad exscindendas schismatis reliquias, ad condemnandas haereses, et ad restituendam disciplinam ecclesiasticam. Concilium habitum est an. 1179 et 3 sessionibus absolutum. Convenerunt 302 episcopi, pluresque abbates et praepositi ecclesiastici, praeseditque Alexander Pp. Conditi sunt 27 canones, quorum 1° statuitur, ut si in eligendo Pontifice cardinales non sint plene concordes, ille solus habeatur legitimus pontifex, in cuius electionem duae cardinalium partes conspirent; 2° improbantur ordinationes factae ab antipapis, et revertentibus a schismate praescribitur abiurationis formula; 3° statuitur, quales esse debeant, qui ad ecclesiarum regimen et curam animarum promoveantur; 4°, ut praesules impensis non gravent ecclesias in earum visitatione; 5° nullus presbyter aut diaconus ordinetur sine certo titulo; 6° praescribitur forma iudiciorum ecclesiasticorum; 7° damnantur simoniacae exactiones pro sacramentorum administratione vel beneficiorum collatione; 8° prohibentur beneficiorum expectativae seu promissiones beneficiorum nondum vacantium; 9° coercentur religiosi, qui praeter indulta sibi ab Apostolica Sede privilegia aliquid sibi arrogarent contra episcoporum auctoritatem; 10° statuitur, ut monachi non suscipiantur sub pretio, neque peculium habeant; 11° et 12°, ut clerici in sacris Ordinibus constituti, continenter vivant, et causas non agant apud tribunalia saecularia, nisi proprias vel ecclesiae aut pauperum; 13° et 14°, ut nemo plura simul beneficia possideat, haecque iuste distribuantur; 15°, ut clerici bona per ecclesias acquisita, non transferant in alios usus; 16°, ut firma habeantur, quae a maiori et saniori parte capituli

---

1) Moneta, *Tractatus adversus Catharos et Waldenses*, Rom. 1743 in-fol.; Sacchoni, *De Catharis et Leonistis*; De Hovedem, *Annales rerum angl.* ad an. 1176; Labbe, *Concil.* t. X, p. 1404, 1419, 1470.

fuerint decreta; 17°, ut si patroni in praesentandis ad beneficia sint discordes, ii praeponantur, qui maioribus meritis et plurimorum assensu probantur; 18°, ut in ecclesiis cathedralibus competens beneficium assignetur magistro, qui clericos et discipulos pauperes doceat; 19°, magistratus civitatum aut consules ecclesias non gravent oneribus; 20°, ut milites in torneamentis occisi, priventur sepultura ecclesiastica; 21° et 22°, ut pax seu trewga Dei religiose servetur; 23°, ut leprosi simul viventes habeant propriam sibi ecclesiam, coemeterium et sacerdotem; 24° excommunicantur ii, qui Saracenis arma contra christianos suppeditant aut piraticam exercent vel naufragorum bona invadunt; 25° communione altaris et sepultura christiana privantur usurarii manifesti; 26° prohibetur Christianis, ne serviant Iudaeis; canone 27° et ultimo haeretici, qui in Vasconiae, Albigae et Tolosae partibus atque alibi sub Catarorum aliisque nominibus degebant, eorum fautores et receptores anathemate damnantur, et Christianorum arma contra eosdem utpote tranquillitatis publicae ac ecclesiarum perturbatores invocantur [1].

55. *Lucius III, Pontifex* (*an.* 1181) — Biennio post hoc concilium Alexander Pp. III, III° calendas septembris 1181, in urbe Castellana vita excessit [*]. Post eum Ecclesiam rexit Lucius III, patria Lucensis, antea Humbaldus Allucingolus, cardinalis episcopus Ostiensis, vir aetate, vitae integritate et prudentia in rebus gerendis commendandus; qui, ut decessores sui, civili seditione, ab Arnaldistis in Vrbe excitata, exagitatus, Roma discessit, et Velitris proximisque in locis consedit. Postea Romam iterum contendit, ut Romanorum animos tranquillaret. Sed aliter evenit, atque cogitarat. Etenim civili seditione expulsus est, et Veronam secedere coactus est.

Huc ad Pontificem convenerunt Fridericus I imperator, multique episcopi et viri principes, quibuscum Lucius varia christianae reipublicae negotia composuit. Pontifex omnium consilio constitutionem edidit, in qua omnis haeresis, quocumque appellaretur nomine, condemnabatur; Catari, Patareni, Humiliati sive Pauperes de Lugduno, Passagini, Arnaldistae perpetuo anathemati subdebantur; eodem anathemate percellebantur ii, qui sine Apostolicae Sedis auctoritate sive publice sive privatim verbum divinum praedicare auderent; decernebatur praeterea, quomodo agendum esset cum suspectis de haeresi, cum convictis, poenitentibus et relapsis; ut contumaces neque ecclesiastico iudicio correcti, relinquerentur saecularis iudicis arbitrio secundum leges extantes corripiendi; mandabatur, ut singuli episcopi bis in anno per se vel per alios visitarent parochias, in quibus haereticos degere fama esset, utque tres vel plures boni testimonii viros illic iureiurando obstringerent, haereticos, si quos cognovissent, episcopo aut archidiacono indicandi; statuebatur etiam, ut comites, barones et consules civitatum in praedictis omnibus, cum ab episcopis conquirerentur, Ecclesiam contra haereticos eorumque complices adiuvarent, et pro suo quisque officio ecclesiastica atque imperialia statuta executioni mandanda curarent [1].

In eodem congressu actum est de sacra expeditione contra Turcas. Heraclius patriarcha Hierosolymitanus, Arnaldus magister equitum Hospitalariorum et Rogerius Templariorum, a rege Hierosolymorum in Occidentem legati, exposuerunt grande discrimen, in quod res christianorum a Saladino rege Ægypti et Syriae essent adductae, atque Pontificis, imperatoris, aliorumque auxilia implorarunt. Fridericus imperator expeditioni assensit, seque in Germaniam reducem, de ea cum principibus acturum spopondit. Pontifex in eamdem rem legatis Hierosolymitanis litteras dedit ad reges Galliae et Angliae. Philippus Augustus, qui an. 1180 Ludovico patri suo in regno Francorum successerat, legatos honorifice excepit, et convocatis Parisios episcopis et proceribus mandavit, ut commissos sibi populos ad bellum sacrum excitarent. Henricus rex Angliae iisdem legatis milites et pecunias promisit. At praeter principum promissa legati vix alia subsidia in Palaestinam retulerunt [2].

Lucius Pp. VIII° calendas decembris 1185 Veronae e vivis migravit.

56. *Vrbanus III, Pontifex* (*an.* 1185) — Post Lucium III summa cardinalium concordia in Petri cathedram evectus est Vrbanus III, antea Lambertus Cribellus, cardinalis ar-

---

[1]) Labbe, *Concil.* t. X, p. 1503.

[*]) Alexander Papa III contulit Alphonso Duci Lusitanorum Regis titulum, ob gesta praeclara adversus Saracenos. Decrevit etiam, ut nullus haberetur in numero Sanctorum, nisi auctoritate Ecclesiae Romanae. Cf Benedictus XIV, *De servorum Dei Beatifical. et Beator. Canonizat.* lib. I, c. 10, n. 4.

[1]) Labbe, loc. cit. p. 1737.

[2]) Baronius et Pagi, ad an. 1185.

chiepiscopus Mediolanensis; qui, turbatis adhuc Romae rebus, Veronae mansit. Is confestim decessoris sui sollicitudinem de comparando bello prosecutus est ; sed Fridericus I imperator ei ab initio negotia facessivit. Hic enim Henricum filium suum Mediolani regem Langobardiae coronandum curavit non a Pontifice, qui adhuc civitatis huius erat archiepiscopus, sed a patriarcha Aquileiensi, deinde eumdem propria auctoritate caesarem et imperatorem dixit ; praeterea terras, a Mathilde comitissa R. Ecclesiae legatas, restituere recusavit, defunctorum episcoporum bona in fiscum redegit, moniales praetextu reformationis e nonnullis coenobiis expulit , eorumque reditus usurpavit. De quibus omnibus Vrbanus III graviter cum imperatore expostulavit, eique, nisi Ecclesiae faceret satis, excommunicationem minatus est [1]. Interim Pontifex Venetias migraturus ad classem contra Turcas comparandam, Ferrariae, accepto tristi nuncio de expugnatis a Saladino Hierosolymis, conceptoque e moerore animi morbo decessit XIV calendas novembris 1187.

57. *Religionis christianae status in Oriente* — Post infaustum vero cruciatae expeditionis sub Conrado III et Ludovico VII exitum [2], res christianorum in Asia deperibant tum propter Christianorum principum inter se invicem discordias, tum propter mahomethanorum progressiones. An. 1162 Balduino III in regno Hierosolymitano successerat Amalricus comes Iaffae, princeps magni animi reique militaris peritus , qui regni excidium praepedivit, sed internam concordiam restituere non potuit. Eum an. 1173 excepit Balduinus IV, filius eius, annis tredecim natus, regni vero procuratio commissa est Raymundo comiti Tripolitano, qui tamen brevi post propter occultum cum Saladino commercium eadem exutus fuit. An. 1177 Christiani insignem victoriam retulerunt de Saladino; sed anno sequente ab eodem superati, ad redimendam pacem compulsi sunt.

In Syria res Christianorum in grande discrimen vocavit Boamundus III, an. 1163 princeps Antiochenus, quem, quod repudiata uxore, aleret pellicem, Aimericus patriarcha excommunicaverat; ille vero furore percitus, patriarcham, episcopos et clericos persecutus est; postea tamen opera patriarchae et regis Hierosolymorum discordia composita fuit.

Praedictus patriarcha Antiochenus iisdem temporibus eos, qui inter Maronitas in haeresim monotheliticam lapsi fuerant, ad catholicam fidem reduxit. Maronitae in catholica doctrina constantissime perseveraverant usque ad initium huius saeculi, quo Thomas Haranita, episcopus Kfartabensis, monothelitarum haeresim in montem Libanum intulit, multisque et ipsi eorum patriarchae persuasit; sed maxima Maronitarum pars, praesertim honoratiores in clero et populo in catholica fide perseverarunt, patriarchae communionem vitarunt, aliumque in eius locum elegerunt. Erravit profecto Guilielmus Tyrius , pluresque scriptores recentiores in errorem duxit, dum toti Maronitarum nationi haeresim monotheliticam attribuit.

Graeci vero praesertim Cpni magis magisque ab unitatis catholicae centro, Romana ecclesia, declinabant. Quum imperator Manuel Comnenus tum litteris tum legationibus cum Alexandro Pp. III communicaret, Ioannem R. E. cardinalem ad tractandam ecclesiarum concordiam susciperet, Latinis in urbe Constantinopoli faveret, et publica munia demandaret, tantam Graecorum in Latinos invidiam excitavit, ut mortuo, an. 1180, Manuele imperatore, Graeci Constantinopoli horrendam caedem in Latinos ediderint, in qua ipse cardinalis Ioannes, Apostolicae Sedis legatus, trucidatus est. At quo magis Graeci ab unitate catholica discedebant, eo magis eorum imperium tum barbarorum incursionibus tum imperatorum inertia aut tyrannide et magnatum dissensionibus atque rebellionibus deperibat [1].

58. *Ierusalem a Saladino capitur* (*an.* 1187) — An. 1187 vox ex Oriente audita est lugentium interfectum populum Dei et captam ab hostibus sanctam civitatem. Etenim post Balduinum IV an. 1185 rex Hierosolymorum factus est Balduinus V, puerulus sub tutela Raymundi comitis Tripolitani; sed anno sequente defuncto Balduino V, regnum accepit Guido comes Ioppensis, quod grandia dissidia inter proceres christianos excitavit. Quum sic christiani ipsi discordiis atque flagitiis suis divinam iustitiam provocarent, permisit Deus, ut sancta civitas in hostium manus veniret. Reipsa Saladinus, qui devictis Turcarum in Ægypto et Siria regulis, amplissimum im-

[1]) Arnold. Lubecensis, *Chron. Slav.* l. III, c. 16-18; Muratori, *Annali d'Italia,* an.1187.
[2]) Vid. p. 30-31.

[1]) Guil. Tyrius, l. 21-22; Nicetas Choniat. *Annales*; Lequien, *Oriens christian.* t. III; Allatius, *De consens. Ecclesiae orient. et occident.*, c. 3.

perium consecutus fuerat, an. 1187 christianos apud Tiberiadem post acerrimum certamen superavit, Guidonem regem multosque proceres cepit, Acconem seu Ptolemaidem obsedit et ad deditionem compulit, Ascalonem accepit ea lege, ut Guidoni regi aliisque proceribus captivis libertatem redderet, tandem postridie calendas octobris eiusdem anni Ierusalem ad deditionem coëgit. Christiani orientales, Syri, Georgiani, Armenii, Graeci in urbe remanserunt sub dominio Turcarum; Europaei vero eam deseruerunt, alii cum Heraclio patriarcha Antiochiam, alii Tyrum, alii Tripolim, alii in Siciliam migrarunt. Turcae capta Ierusalem, cruces et campanas ecclesiarum fregerunt, equos et iumenta in ecclesiis stabulaverunt, alias ecclesias in templa ritus mahomethani converterunt, ecclesiam vero s. Sepulcri christianis Syris pretio cesserunt [1].

59. *Gregorius VIII, Clemens III, Pontifices* — Perlato in Europam nuncio de capta sancta civitate, Vrbanus Pp. III e moerore animi, XIV calendas novembris 1187, occubuit, ut supra diximus. In eius locum Ferrariae postridie obitus Vrbani III electus fuit Gregorius VIII, Beneventanus, antea appellatus Albertus, cardinalis cancellarius, vitae probitate et eruditione clarus. Is confestim litteris encyclicis Europaeos ad sacram expeditionem pro recuperanda Ierusalem hortatus est, crucem sumentibus indulgentiam concessit, et ad Supremi Numinis patrocinium sibi comparandum quinquennale ieiunium singula feria sexta, atque abstinentiam a carnibus feria IV et sabbato indixit [2]. Ipse autem et Cardinales cum familiis suis feria etiam secunda id observabant. Deinde Ferraria profectus Pisas, ut urbis huius cives cum Genuensibus conciliaret, et ambos, opibus maritimis tunc temporis pollentes, ad instruendam classem contra Turcas excitaret, ibi intempestivo morbo occubuit XVI calendas ianuarias 1188, cum non ultra dies septem et quinquaginta Pontificatum gessisset.

Tertio post die cardinales Pisis elegerunt Clementem III, Romanum, appellatum antea Paulinum, cardinalem episcopum Praenestinum. Is duo magni momenti negotia confecit, nimirum pacem cum Romanis et foedus christianorum principum ad Terrae sanctae recuperationem. Romani ab Arnaldistis excitati, longo tempore, ut vidimus, Pontifices vexaverant, eiusque Vrbis dominio erepto, senatum et patriciatum creaverant. Clemens III pacem cum iis composuit ea lege, ut Vrbs esset in potestate Pontificis, abrogato patricio, restitueretur praefectus, et senatores annui auctoritate Pontificis crearentur. Quibus factis, Clemens summa Romanorum laetitia in Vrbem exceptus est. Idem Pontifex ad excitandum bellum sacrum legatos misit ad principes Europaeos, effecitque, ut in Italia, Germania, Gallia et Anglia copiosi crucigerorum exercitus colligerentur.

60. *Cruciata expeditio III* (*an.* 1188) — Omnibus ad bellum sacrum comparatis, Pisani an. 1188 cum classe 50 navium profecti, pervenerunt Tyrum et opem opportunissimam tulerunt Conrado marchioni de Monteferrato, Tyri domino, ad repellendos Saladini impetus. Brevi post in Asiam advenerunt varii crucigerorum exercitus e Dania, Germania, Belgio, Gallia et Anglia collecti, opemque tulerunt Guidoni Hierosolymorum regi, qui an. 1189 Ptolemaidem oppugnandam suscepit. Hoc ipso anno Fridericus I imperator copiosum exercitum in Orientem duxit, et superatis insidiis et vexis quas Isaac Angelus, imperator Graecorum, ei struxerat, in Asiam minorem pervenit, sultanum Iconii duplici praelio vicit, Iconium expugnavit, iterque in Syriam prosecutus venit Seleuciam; sed quum hinc digressus fluvium Saleph transnatare vellet, torrente abreptus periit anno 1190. Post eius mortem exercitus dispersus est, alii sine duce et ordine huc illuc vagati, aut in Europam regressi sunt, alii cum Friderico duce Sueviae se coniunxerunt crucigeris Ptolemaidem obsidentibus. An. 1191 ad hanc urbem quoque cum exercitu venit Philippus Augustus, rex Galliae. Advenit etiam Richardus rex Angliae, cognomine *Cor Leonis,* qui in itinere ab Isaac Comneno Cypri tyranno lacessitus, hunc debellarat et totam insulam subegerat. Ambo reges opportunissime advenerunt, tum quod Saladinus copias suas undique contra christianos contraxisset, tum quod inter Guidonem, morte coniugis suae Sybillae regiis iuribus privatum, et Conradum Tyri dominum dissidia periculosa de regio nomine et honore essent excitata. Postquam Guidoni iura regia fuissent confirmata ea lege, ut post eius mortem transferrentur ad Conradum huiusque haeredes, christiani bellum contra Turcas prosecuti sunt, et III idus iulii 1191 Ptolemaidem occupa-

1) Baronius et Pagi, ad an. 1187; Michaud, *Hist. des Croisades*, t. II.

2) Labbe, *Concil.* t. X, p. 1748.

runt. Posthaec Philippus rex Galliae, morbo atque invidia in regem Angliae correptus, in Europam regressus est, 10 millibus virorum sub Hugone Burgundiae duce in Palaestina relictis. Richardus rex Angliae bellum contra Saladinum mira cum fortitudine prosecutus est, plures victorias de hostibus retulit; Ioppen et alias aliquot Palaestinae urbes occupavit, tantumque terrorem Saladino intulit, ut hic inducias postularit. Sed Richardus tum propter dissensiones ipsorum christianorum tum propter commotiones, a Ioanne fratre suo in Anglia excitatas, an. 1192 consilium redeundi in Europam iniit, postquam cum Saladino inducias 3 annorum et 8 mensium pepigisset, regni Hierosolymitani reliquias e procerum consilio, extincto Conrado, contulisset Henrico comiti Campaniae, et Guidonem quondam Hierosolymorum regem, constituisset regem Cypri. Saladinus autem brevi post obiit, ortisque inter Turcas dissidiis et bellis domesticis, Christiani utcumque res suas conservaverunt [1].

61. *Teutonicorum et SS. Trinitatis Ordines* — Huius cruciatae expeditionis occasione an. 1190 novus Ordo religioso-militaris in Palaestina institutus fuit, nimirum equitum Teutonicorum. Ordinis huius sodales in 3 classes distributi erant, equitum qui pro Terrae sanctae et Religionis defensione dimicarent, sacerdotum qui rem divinam administrarent, et fratrum qui infirmos curarent. Prima Ordinis domus cum oratorio et xenodochio extructa est in urbe Ptolemaide. An. 1192 Caelestinus Pp. III Ordinem approbavit sub titulo equitum Teutonicorum B. V. M., quia a viris Teutonicis sub patrocinio B. Mariae institutus fuerat, ei cuncta privilegia equitum Hospitalariorum et Templariorum concessit, eiusque sodalibus vestes albas cruce nigra signatas dedit. Ordo, cuius primus magister fuit Henricus Walpot, a Pontificibus, imperatoribus et regibus confirmatus, privilegiis, viribus et possessionibus magnopere auctus est [2].

Quum autem occasione bellorum christianos inter et infideles in Hispania atque in Oriente illorum multi in hostium manus venissent, in dura et periculosa captivitate gemerent, an. 1198 pro eorum redemptione institutus fuit Ordo ss. Trinitatis. Primi eius auctores fuere Ioannes de Matha, sacrae Facultatis Parisiensis doctor et presbyter, et Felix Valesius, celebris eremita. Ambo coelesti visione angeli, duos captivos tenentis, ad redimendos Christianos de potestate infidelium excitati, an. 1197 Romam profecti sunt, ut cum Pontifice ea de re conferrent. Innocentius III, qui tunc temporis pontificatum gerebat, pari visione excitatus, eorum consilium de instituendo Ordine sub titulo ss. Trinitatis de redemptione captivorum ratum habuit, eius regulam approbavit, et sodalibus vestes albas cum cruce rubei et caerulei coloris concessit an. 1198 [1]. Ioannes de Matha, primus Ordinis Praepositus generalis, et Felix Valesius in Galliam reduces, apud Cervum frigidum in dioecesi Meldensi Ordinis fundamenta posuerunt, moxque plures ei nomina sua dederunt. Philippus Augustus rex, proceres et multi alii, benefico Ordinis fine et piis Ioannis praepositi adhortationibus permoti, largas eleemosynas contulerunt, quibus Ioannis socii iam an. 1199 in Marochium profecti, fere 200 captivos redemerunt, sicut et ipse Ioannes Tunetum bis profectus, ultra 100 e captivitate liberavit. Vix dici potest quanta celeritate Ordo per Gallias, aliasque Occidentis regiones propagatus fuerit, et quam praeclare de christianorum captivorum redemptione meruerit [2].

62. *Caelestinus III, Pontifex* (*an.* 1191) — Postquam Clemens Pp. III morti IV calendas aprilis 1191 occubuisset, ad summum sacerdotium electus fuit Hyacinthus, Romanus, diaconus cardinalis, qui sub Caelestini III nomine XVIII cal. maias sollemni Paschae die Pontifex consecratus *, postridie Henricum VI, Germaniae Regem, consecravit Imperatorem. Ecclesiam maxima cum laude rexit

1) Baronius et Pagi, ad an. 1188-92; Michaud, *Hist. des Croisades*, t. II.

2) R. Duelli, *Historia Ordinis Equitum Teuton.* Viennae 1727 in-fol.; Helyot, *Hist. des Ordres relig.* t. III.

1) *Epist.* 481, l. I.

2) A. Miraeus, *Origines monast.* l. I, c. 8; Helyot, loc. cit. t. II.

*) Cencius de Sabellis, Celestini III cubicularius, *Cencius Camerarius* propterea dictus, ritum electionis et consecrationis Pontificiae id temporis servari solitum describit, ut videre est apud Baronium ad an. 1191, § 2, et apud Mabillonium *Musaei Italici* t. II. Ipse loquitur de Sede *Stercoraria*; quam non ita fuisse appellatam, quasi esset perforata, sed quod Pontifice in ea stante, haec *Ps.* CXII verba canerentur: *et de stercore erigit pauperem,* docet Mabillonius *Commentario* praevio in *Ordinem Roman.* (p. 121), addens facile revinci eos, qui huius sedis originem deducunt ab Ioanna pseudo-papissa, quod nulla mentio eius inveniatur ante saeculum duodecimum. Vid. quoque *La Scienza e La Fede,* v. 82, p. 137 in not.

annis fere 7. Is disciplinam ecclesiasticam multis decretis instauravit, et inter alia statuit, ut pueri a parentibus oblati monasteriis, cum ad adultam aetatem pervenissent, pro arbitrio in iis permanere vel discedere possent[1]. Negotia gravia habuit cum Henrico VI imperatore et cum Philippo Augusto rege Galliae.

Henricus VI, Friderici I filius et successor, an. 1191 cum coniuge sua Constantia a Caelestino Pp. Romae augustus coronatus est postquam iurasset, se Ecclesiae iura conservaturum et restituturum quae illius patrimonio fuerant ablata. Posthac, invito Pontifice, exercitum in Apuliam duxit coniugis suae iura ad regnum Siciliae vindicaturus. Etenim Guilielmus II rex Siciliae, liberis carens, regni haeredem scripserat Constantiam amitam suam, sed Siculi an. 1189 post mortem Guilielmi II evocaverant Tancredum, filium nothum Rogerii ducis Apuliae, eumque e consensu Clementis Pp. III regem creaverant. Henricus VI Salernum et alia nonnulla loca occupavit, sed brevi post, exercitu morbis attrito, in Germaniam regressus est, et Tancredus amissa recuperavit. Imperator in Germaniam redux, grande facinus commisit in Richardum regem Angliae, quem, cum ab expeditione Hierosolymitana rediens in mari Adriatico naufragium passus esset, a Leopoldo duce Austriae interceptum, custodiae mancipavit et ad redimendam grandi pecuniae summa libertatem coëgit. Propter tantum facinus commissum in regem crucigerum Caelestinus Pp. Henricum imperatorem et Leopoldum ducem excommunicavit, donec iniuriam Richardo regi illatam repararent et extortam ab eo pecuniam restituerent. Verum Henricus VI Pontificis sententiam sprevit; et an. 1194 post mortem Tancredi, qui filium suum Guilielmum sibi in successorem elegerat, omnem Apuliam, Calabriam et Siciliam subegit, iuniori Guilielmo contra datam ei fidem oculos erui iussit, et in Siculos, teutonicum iugum aegre ferentes, crudeliter saeviit. Attamen paulo ante mortem, quae ei anno 1197 Messanae obtigit, poenitentiam egit, et Friderico filio mandavit, ut extortam Angliae regi pecuniam restitueret, atque iura a regibus Siciliae Apostolicae Sedi debita tribueret[2].

In Gallia Philippus II rex expeditionem sacram in Palaestinam suscepit, ut vidimus, in regno suo ecclesias et clericos a quorumdam magnatum iniuriis vindicavit, in blasphemos poenas graves sancivit; Iudaeos, quod opes immensas usuris cogerent, servos christianos ad iudaizandum compellerent, milleque molestias christianis inferrent, regno exire iussit; sed an. 1193 graves turbas excitavit facto cum Ingelburge, Canuti regis Daniae sorore, divortio. Hanc quippe post obitum Elisabethae coniugem duxerat, sed altera post nuptias die ita ab ea aversatus est, ut divortium petierit, adlegans cognationem. Post mensem praeside archiepiscopo Rhemensi habitus est Compendii episcoporum et procerum conventus, in quo cum aliquot testes iurati cognationem affirmassent, matrimonium Philippi cum Ingelburge, iam consummatum, ut haec testabatur, nullum declaratum est. Verum Caelestinus Pp. ab Ingelburge et Canuto rege interpellatus et de conficta cognatione instructus, in Galliam legavit Meliorem presbyterum cardinalem et Centium subdiaconum, qui episcoporum procerumque conventum indixerunt Parisiis; sed episcopis ipsisque legatis iram regis metuentibus, nihil effectum est. Caelestinus vero postquam causam cognovisset, sententiam divortii irritam fecit, episcopos Gallos graviter corripuit, quod in tanto negotio non recurrissent secundum priscum morem ad Apostolicam Sedem, et regi inhibuit, ne, vivente Ingelburge, aliam uxorem duceret. Nihilominus Philippus an. 1196 superduxit Agnetem, ducis Meraniae filiam; quam tamen Innocentii Pp. III monitis censurisque tandem dimisit, ut infra videbimus[1].

63. *Scriptores ecclesiastici* — Posteriori huius saeculi dimidio praeter alios floruerunt scriptores qui sequuntur: Richardus a s. Victore, Scotus, Ordinis s. Augustini in coenobio Parisiensi canonicus, pietate ac doctrina insignis; scripsit plures tractatus exegeticos, dogmaticos, mysticos et philosophicos[2]. Hugo Etherianus, Hetruscus, graece ac latine doctus; edidit libros 3 de Haeresibus, quas Graeci Latinis falso adscribebant, et librum eruditum de regressu animarum[3]. Petrus Blesensis, pietate atque eruditione valde commendandus; reliquit 183 epistolas, 65 sermones, pluresque tractatus de variis argu-

---

[1]) Baronius et Pagi, ad an. 1191-98.
[2]) Baronius et Pagi, ibid.

[1]) Baronius et Pagi, ad an. 1193-96; Labbe, *Concil.* t. X, p. 1800.
[2]) Rothomagi 1650, 2 tom. in-fol.
[3]) *Biblioth. PP.* Lugdun. t. XXII.

mentis [1]. Ioannes Sarisberiensis, episcopus Carnotensis; praeter epistolas ad diversos et vitam s. Thomae Cantuariensis, dedit Polycraticum seu 8 libros de nugis curialium et vestigiis philosophorum, et *Metalogicum*, in quo de omni re logica, philologica et philosophica disputat. Petrus Comestor, Trecensis, ecclesiae Parisiensis cancellarius et s. Theologiae magister, deinde Ordinis s. Augustini canonicus, exaravit historiae scholasticae libros 16 [2]. Guilielmus, secundum Vossium Syrus, secundum alios Gallus aut Germanus, archiepiscopus Tyri; scripsit libros 23 de bello sacro [3]. Albertus can. Aquisgranens. reliquit Chronicon Hierosolymit. seu sacr. expeditionum [4]. Godefridus Viterbiensis, presbyter, Conradi III, Friderici I et Henrici VI cappellanus; exaravit Chronicon universale ab orbe condito usque ad annum aerae vulgaris 1186 [1]. Petrus ex abbate Cellensi et Rhemensi episcopus Carnotensis; elucubravit sermones varios, epistolarum libros 9 et opuscula de diversis argumentis [2].

64. *Caelestini III obitus* — Postquam Caelestinus Pp. III, cuius gesta supra retulimus, postridie nonas ianuarii 1198 decessisset, summa Cardinalium consensione, omniumque Ordinum gaudio electus fuit Innocentius III, ex illustri comitum Signiae domo, antea appellatus Lotharius, Cardinalis diaconus, pietate, rerumque theologicarum ac iuris peritia spectatissimus, cuius pontificatus celebrem in historia ecclesiastica epocham constituit.

1) Paris. 1667 in-fol.
2) Lugdun. 1543 et alibi.
3) Basileae 1549, in-fol., et in opere, *Gesta Dei per Francos*.
4) Helmestad. 1584, 2 voll. in-4.°

1) Pistor. *Scriptor. rer. German.*
2) Paris. 1613 in-8°, et 1671 in-4°.

HISTORIAE ECCLESIASTICAE

EPOCHA OCTAVA

A PONTIFICATV INNOCENTII III VSQVE AD SCHISMA OCCIDENTIS, AN. 1378

PROOEMIVM

Innocentius Pp. III rebus praeclare gestis tantam sibi nominis celebritatem comparavit; tanta sapientia atque constantia Ecclesiam gubernavit, Fidei deposito contra haereses consuluit, disciplinam instauravit, difficillimas quasque res peregit, societatis christianae bono prospexit, concordiam inter principes et populos conciliavit fovitque, ut ab eius pontificatu nova epocha iure deducatur. Durante hac epocha Ecclesiae paci ac prosperitati obfuerunt novorum haereticorum, praesertim Waldensium et Albigensium sectae, Graecorum schisma, Turcarum in Oriente progressiones, Friderici II et Ludovici Bavari imperatorum atque Philippi Pulcri regis Francorum turbae et prava molimina. His aliisque procellis divina Providentia opposuit Pontifices, qui emergentes haereses damnaverunt, invalescentes abusus correxerunt, pravis principum consiliis eorumque in res sacras audaciae fortiter restiterunt, atque doctores egregios, s. Bonaventuram, s. Thomam, aliosque, qui avitam doctrinam defenderunt, haereticas novitates confutarunt, Ecclesiae iura tuiti sunt, de litteris profanis ac sacris praeclare meruerunt. Accessit ad Fidei victoriam et fidelium solamen renovata pietas per novos Ordines religiosos, praesertim Franciscanorum et Dominicanorum, qui disciplinam regularem in claustris et pietatem in populo christiano restituerunt, haereses debellarunt, Fidem ad populos nondum credentes pertulerunt. Ad componenda graviora Ecclesiae negotia habita sunt 4 concilia generalia, Lateranense IV, Lugdunensia I et II, et Viennense. Demum ad litterarum et scientiarum incrementa, RR. Pontificibus operam conferentibus, institutae sunt celebres Academiae, Salmanticensis, Patavina, Tolosana, Neapolitana, Cantabrigensis, Mons-

pessulana, Olissiponensis, Avenionensis, Aurelianensis, Dublinensis, Pisana, Andegavensis, Heidelbergensis, Pragensis, Arausicana, Genevensis.

1. *Innocentius III, Pontifex* (*an.* 1198)— Innocentius III, qui an. 1198 Caelestino III in summo pontificatu successit, Apostolicae Sedis dignitatem et temporalem potestatem, iniquorum imperatorum et rebellium Romanorum (Arnaldistarum) machinationibus labefactatam erexit, civitates arcesque, ad patrimonium B. Petri pertinentes, recuperavit, Fridericum iuniorem, Henrici VI filium, an. 1198 regno Siciliae investivit, eum contra rebelles tuitus est, et abrogato pacto, quod Guilielmus rex I ab Hadriano Pp. IV extorserat, res siculas aequioribus conditionibus composuit. Nihil omisit, ut bellum civile inter Ottonem Saxonem et Philippum Suevum, de imperio dimicantes, componeret, et interfecto an. 1208 Philippo, principes Ottoni conciliavit, eumque anno sequente imperatorem coronavit. Norwegiam contra Sueronem tyrannum, qui ecclesias et populum opprimebat, tuitus est, archiepiscopo Nidrosiensi mandavit, ut fautores Sueronis anathemate percelleret, et finitimos Danorum ac Suecorum reges contra eumdem tyrannum excitavit. In Suecia et Dania dissensiones componere et abusus, qui contra disciplinam ecclesiasticam irrepserant, proscribere studuit. Hungariae regno, quod bello civili flagrabat, prospexit, et Henricum regem eiusque filium et successorem Ladislaum adversus rebelles tuitus est. In Dalmatiam et Diocliam legavit Ioannem cappellanum et Simonem subdiaconum, qui ad corrigendos abusus et ad restituendam in clero ac populo disciplinam ecclesiasticam an. 1199 cum Ioanne Diocliensi et Antibarensi archiepiscopo et 6 eius suffraganeis episcopi synodum habuerunt [1]. Bulgaros ad R. Ecclesiae obedientiam revocavit, eorum regem Ioannitium seu Caloiohannem, qui regnum suum Apostolicae Sedi obtulit, per legatum suum Leonem cardinalem coronavit, Trinovitanum archiepiscopum totius Bulgariae primatem constituit, 2 novos archiepiscopos illic creavit, sacrasque ordinationes secundum ritum romanum instituit. Leonis regis et Gregorii patriarchae Armeniorum oratores et litteras, quibus illi devotionem suam erga Romanam ecclesiam « matrem omnium ecclesiarum et fundamentum legis totius christianitatis » et obedientiam erga Pontificem profitebantur, excepit, legatosque ad illos misit, qui regi coronam et vexillum B. Petri, patriarchae pallium conferrent. Accepta ab Alexio Angelo, imperatore Graecorum, legatione, ad eumdem legatos cum litteris misit, ut Graecos ad unionem cum R. Ecclesia reduceret; de eadem rescripsit ad Ioannem Camaterum, patriarcham Cpnum. Europaeos litteris, indulgentiis et crucis praedicatione excitare conatus est ad bellum sacrum contra Turcas comparandum. Alphonso regi Castellae adversus Maurorum impetus certanti, animum addidit, ei celebrem victoriam an. 1212 de hostibus relatam gratulatus est, caeterisque Hispaniae regibus pacem cum illo, quamdiu bello maurico occuparetur, sub censurarum ecclesiasticarum periculo imperavit. Alphonsum regem Legionis propter incestas nuptias excommunicationi eiusque regnum interdicto subdidit, donec is incestas nuptias dissolveritet absolutionis beneficium meruerit. Petrum Aragoniae regem, qui regnum suum Apostolicae Sedi obligavit, Romae coronavit. Sancium regem Lusitaniae, tyrannorum more ecclesiasticam libertatem et iurisdictionem violantem, severe coarguit, postea ei poenitentiam gratulatus est, et absolutionem eidem a Bracarensi archiepiscopo impertitam, ratam habuit. Antiquam litem inter Turonensem et Dolensem ecclesias terminavit, et posteriorem ut suffraganeam priori subiectam voluit. Alia eius gesta in causis Philippi regis Galliae, Ioannis regis Angliae, Ottonis IV imperatoris et haereticorum Albigensium infra videbimus [1].

2. *Cruciata IV* — In Asia mors Saladini (1193) et discordiae principum mahomethanorum Christianis opportunam praebebant occasionem recuperandi Terram sanctam, si horum principes inter seipsos fuissent magis concordes et rei publicae bono potius quam privatis commodis studuissent. Interim Caelestinus Pp. III Europaeos ad bellum sacrum excitaverat, ut diximus, et Henricus VI imperator copiosum crucigerorum exercitum in Palaestinam destinavit; qui una cum Christianis palaestinis celebrem victoriam de Malec-Adel fratre Saladini retulerunt, et Sydone, Laodicea, aliisque urbibus ad litus Syriae recuperatis, ingentem captivorum numerum liberarunt. Verum an. 1198 crucigeri audita

[1]) Labbe, *Concil.* t. XI, p. 7.

[1]) Innocent. III *Epistolarum libri*; Raynald. *Annal. eccl.* ad an. 1198-1216; Hurter, *Histoire d' Innocent III et de ses contemporains.*

morte Henrici imperatoris, in Europam regressi sunt, eodemque anno Almaricus rex Hierosolymorum inducias iniit cum Turcis.

Innocentius III ab initio Pontificatus sui excitandae novae expeditioni adlaboravit, multique in Italia, Gallia et Belgio crucem susceperunt. Hi iuncti cum Venetis primo oppugnarunt Zaram in ora maritima Dalmatiae; deinde consilio Alexii iunioris castra moverunt versus Constantinopolim. Etenim Alexius Comnenus fratrem suum Isaac-Angelum et imperio graeco et oculis privaverat, contra quem Isaac eiusque filius Alexius crucigerorum opem implorarunt, spondentes, se restitutos iis auxilium praebituros adversus Turcas et unionem Graecorum cum Ecclesia latina conciliaturos. Cruciferi an. 1203 Constantinopolim advenerunt, et fugato Alexio Comneno, Isaac eiusque filium restituerunt.

Imperium Latinum Cp. (*an.* 1204) — Verum brevi post dissidia Graecos inter et Latinos, quum de unione ageretur, recruduerunt; Alexius Ducas, cognomine Murtzuphlus, seditionem in urbe excitavit, deiecto Isaac, qui mox mortuus est, et interfecto filio eius Alexio, imperium usurpavit, et arma contra crucigeros vertit. Hi vero profligato usurpatore, an. 1204 Constantinopolim ceperunt, ibique imperium latinum instituentes primum imperatorem crearunt Balduinum comitem Flandriae, patriarcham vero constituerunt Thomam Moresinium, nobilem Venetum, R. Ecclesiae subdiaconum. Tunc cruciferi expeditioni Hierosolymitanae nuncio remisso, armis suis usi sunt ad proferendos imperii sui fines et ad repellendos Graecorum impetus. Graeci autem dissectam imperii sedem transtulerunt partim Nicaeam Bithyniae, ubi Theodorus Lascaris, partim Trapezum Cappadociae, ubi Alexius imperator salutatus est. Ex hoc tempore Graecorum schisma et odium in Latinos culmen attigit [1].

3. *Waldenses et Albigenses* — In Occidente autem, praesertim in Gallia, detrimenta grandia Ecclesiae intulerunt Waldensium et Albigensium sectae. Waldenses nomen acceperunt a Petro Waldo, Lugdunensi, qui an. circiter 1170 subitanea socii sui morte territus, perfectioris vitae rationem sibi proposuit, s. Scripturae libros in linguam vulgarem sibi vertendos curavit, et apicem perfectionis, quam Christus et Apostoli professi fuerant, in paupertate ac humilitate constituens, bona sua vendidit eorumque pretium pauperibus distribuit, et eamdem perfectionem Lugduni praedicare coepit; eos, qui sermonibus suis parebant, in pagis colligebat, omnibus sine sexus aut conditionis discrimine praedicationis officium committebat. Quum Ioannes archiepiscopus Lugdunensis eos praedicationis ministerio interdixisset, illi contenderunt, id sibi, apostolicam vitam sectantibus, esse proprium. Celebri constitutione, a Lucio Pp. III an. 1184 Veronae edita, excommunicati, ab Ecclesia schisma fecerunt et secesserunt in Occitaniam, ubi dynastae eos aeque ac Catharos tuiti sunt. Confestim schismati haeresim addiderunt, nam reiecta episcoporum et sacerdotum auctoritate, contenderunt, omnibus, qui sandalia apostolica gerebant et in statu gratiae erant, licere verbum divinum praedicare, confessiones excipere et Eucharistiam consecrare; R. Ecclesiam propter luxum et possessiones ministrorum suorum non amplius esse veram Christi Ecclesiam; sacramentum a ministro peccatore collatum, esse nullum; poenam capitis et iusiurandum esse semper illicita. Praeterea Purgatorium, orationes pro defunctis, Sanctorum eorumque reliquiarum cultum, ecclesiasticum cantum, ritus, dies festos, Ecclesiarum usum repudiabant, aliosque errores, quos brevitatis studio omittimus, docuerunt.

Hi sectarii, qui etiam *Pauperes Lugdunenses, Leonistae, Humiliati, Sabbatati et Insabbatati* dicti sunt, se per Galliam meridionalem et adiacentes Hispaniae atque Italiae partes diffuderunt. Eorum progressioni profuerunt multorum animi, iam per novos manichaeos in istis regionibus ab Ecclesia catholica abalienati, divulgata ab illis s. Scripturae in lingua vulgari lectio, dynastarum seu magnatum patrocinium, nonnullorum clericorum inordinata vita. Anno autem 1215 in concilio Lateranensi IV damnati sunt [1].

His nequiores fuerunt Albigenses, quos quidam scriptores cum Waldensibus male confuderunt, quamvis ii cum his in odio et persecutione Ecclesiae catholicae concordarent. Albigensium nomine passim appellati sunt novi Manichaei, Petrobrusiani, Cathari,

[1]) Raynald. loc. cit.; Michaud, *Hist. des croisades.*

[1]) R. Sachonius, *L. contra Waldenses*, in *Biblioth. PP.* Lugdun. t. XXV; Natal. Alexand. *Hist. eccl.* saec. XII, c. 4; A. Charvasius, *Recherches historiques sur la véritable origine des Vaudois et sur le caractère de leurs doctrines primitives*, Paris 1836.

allique qui saeculo XII et XIII in Gallia circa Tolosam, Biterras, Carcassonem, Albigam, Narbonem grassati sunt, quorumque errores supra indicavimus [1]. Dicti sunt Albigenses vel ab Albiga urbe Occitaniae, vel ab Albigesio, quo nomine maxima pars Narbonensis provinciae veniebat, quod eorum primi coetus in ea regione coaluerint. Isti sectarii Ecclesiam catholicam eiusque Pontificem, episcopos et ministros turpissimis probris et conviciis proscindebant, et, faventibus sibi comitibus, ecclesias expilabant, calices et vasa sacra confringebant, clericos decimis bonisque spoliabant, adeo ut sub exitum saeculi XII Religio in istis regionibus pene collapsa et pax publica tumultibus atque facinoribus atrocibus perturbata esset.

Quum episcopi ibidem partim auctoritate partim fervore necessario carerent, Innocentius Pp. III sub initia huius saeculi legatos et vicarios suos, maxima ex parte monachos Cistercienses, ampla potestate instructos, in Gallia meridionali constituit, ut catholicos in fide conservarent, haereticos converterent vel palam excommunicarent. His legatis se an. 1206 coniunxit Didacus, episcopus Vxamensis in Hispania, cum s. Dominico eiusdem ecclesiae canonico. Ii habitis cum magistris haereticorum disceptationibus, eos haereseos convicerunt, multosque e populo ad veritatem reduxerunt. Sed cum magnates sectariis patrocinarentur, episcopi legatos pontificios parum adiuvarent, unus legatorum, Petrus de Castro Novo, anno 1208, fuisset interfectus, eodemque anno obiisset Didacus Vxamensis, plerique Cistercienses in monasteria sua regressi sunt. S. Dominicus vero opus coeptum constanter nec sine maximis fructibus continuavit. De eius in convertendis haereticis et de bello sacro contra eosdem excitato infra agemus [2].

4. *Almaricus et Ioachim* — In ipsa Vniversitate Parisiensi sub initia huius saeculi perversam doctrinam tradere ausus est Almaricus de Bena, clericus et philosophiae magister; qui pantheistico more de Deo sentiens, asserebat, neminem salvari posse, nisi crederet se esse membrum Christi. Hunc errorem sacra Facultas an. 1204 damnavit, eiusque sententiam Innocentius Pp. III confirmavit. Almaricus errore suo sacrae Facultatis mandato eiurato, brevi post obiit; sed discipuli eius dogma pseudo-magistri sui magis explicarunt novisque erroribus auxerunt. Constituerunt hi tres Religionis status seu regna, Patris sub Lege Veteri, Filii sub Lege Nova usque ad saeculum XIII, et exinde Spiritus S. in quo postremo statu abrogatis sacramentis, sacrificio, omnique cultu externo quisque sola interna Spiritus gratia salvaretur; quidquid ex hac gratia seu caritate committeretur, sive stuprum, sive adulterium, sive alia facinora, honestum dicebant. Nefandae huius doctrinae magistri an. 1209 in synodo Parisiensi convicti, damnati, et curiae saeculari traditi sunt, a qua 10 ad ignem et 4 ad perpetuum carcerem condemnati, alii dimissi fuerunt. Perversum Almarici dogma etiam damnavit concilium Lateranense IV, can. 2 [1].

Idem concilium Lateranense eodem canone damnavit libellum Ioachimi, abbatis Floriacensis in Calabria, contra Petrum Lombardum de unitate seu essentia ss. Trinitatis. Ioachim, qui an. 1202 obiit, pluresque commentarios in s. Scripturam reliquit, haereseos insimulaverat has Petri Lombardi propositiones: « Catholicis tractatoribus consentientes dicimus, quod nec Pater divinam essentiam genuit, nec divina essentia genuit Filium, nec divina essentia genuit essentiam. Hic nomine essentiae intelligimus divinam naturam, quae communis est tribus personis et tota in singulis ». Existimabat Ioachim, his propositionibus non Trinitatem sed quaternitatem in divinis doceri, easque oppugnando incidit in hos errores: In divinis non esse aliquam rem unam, quae sit Pater, Filius et Spiritus S., sive illa res una dicatur substantia, essentia sive natura; tres personas esse quidem unam essentiam, non vero unam essentiam esse tres personas; tresque personas esse unam essentiam non vere, proprie et realiter, sed collective et similitudine, sicuti multi homines dicuntur unus populus. Quum autem Ioachim omnia scripta sua Ecclesiae iudicio subiecisset, concilium Lateranense librum quidem eius, non vero personam damnavit [2].

Nonnulli scriptores asserunt, eundem Ioachim esse auctorem celebris libri, qui inscribitur Evangelium aeternum; sicque patrem

---

[1]) Vid. p. 39-40.
[2]) P. de Valle Cernai, *Historia Albigensium*; Lucas Tudensis, *L. contra Albigens.*; Bossuet, *Histoire des variations*, l. XI.

[1]) Rigordus, *Gesta Philippi II*; Labbe, *Concil.* t. XI, p. 49.
[2]) Matthaeus Paris, *Hist. Angl.* ad an. 1179; Labbe, loc. cit.

fuisse fanaticorum haereticorum, qui novum regnum Spiritus S. praedicarunt. Alii vero eum ab istis accusationibus vindicarunt [1].

5. *Lites inter Innocentium III et reges Galliae, Angliae et imperatorem* — Interea Innocentius Pp. III magnas simultates habuit cum regibus Galliae et Angliae et cum imperatore Ottone IV, in quibus quemadmodum in aliis negotiis apostolica constantia Ecclesiae, iustitiae et aequitatis causam defendit. Philippus II rex Galliae contra Caelestini Pp. III sententiam et minas, repudiata Ingelburge, superduxerat Agnetem, ut supra vidimus [2]. Innocentius III ab initio pontificatus sui regem monuit, ut dimissa Agnete, Ingelburgem reciperet; deinde Petrum Capuanum in Galliam legavit cum potestate regnum sacris interdicendi, nisi Philippus monitis pareret. Legatus post repetita frustra monita an. 1200 in synodo Viennensi sententiam interdicti promulgavit. Rex iratus episcopos et clericos, interdictum observantes, vexavit eiecitque; victus tamen Pontificis constantia, obtemperandi consilium iniit; an. 1201 in synodo Suessionensi Ingelburgem recepit, sed neque ut coniugem neque ut reginam habuit; tandem an. 1213 eamdem in consortium suum plene restituit [3].

In Anglia iam dudum existebat controversia inter canonicos seu monachos Cantuarienses et episcopos Anglos de iure eligendi archiepiscopum Cantuariensem; reges etiam se eidem electioni immiscebant, vindicantes sibi ius assentiendi. Quum an. 1205 post mortem Humberti duo fuissent electi, Reginaldus et Ioannes, causa Romam delata est; Innocentius III utramque electionem, quia illegitime factam, irritam dixit, Stephanum cardinalem, natione Anglum, ordinavit archiepiscopum Cantuariensem, iusque eligendi Cantuariensem antistitem confirmavit Capitulo seu monachis huius ecclesiae. Ioannes rex Angliae, appellatus *Sine-terra*, quasi iura sua in hac re fuissent spreta, Stephanum archiepiscopum ingressu in regnum prohibuit, monachos Cantuarienses eiecit eorumque fundos occupavit, et petulantes litteras ad Innocentium III scripsit. Pontifex primo adhortationibus minisque regem ad meliorem mentem revocare conatus, deinde an. 1208 ecclesiasticum interdictum in omnem ditionem Ioannis fulminavit, et cum rex maiori furore episcopos et ecclesiasticos viros vexaret, Innocentius post novam admonitionem eum nominatim excommunicavit. Demum an. 1212 ab episcopis Anglis contra eumdem regem, qui monachos et ecclesiasticos saevius persequebatur, interpellatus, Ioannem declaravit indignum, qui populo christiano imperaret, subditos a fidei sacramento absolvit, et Philippo regi Francorum concessit, ut Ioannem, Dei et Ecclesiae hostem, bello impeteret eiusque ditionem invaderet. Ioannes his perterritus, post longam cum Pandulpho Pontificis legato concordiae pertractationem, tandem Stephanum archiepiscopum Cantuariensem admisit, exules revocavit, damna ecclesiis illata resarcivit; R. Pontifici obedientiam professus est, regnumque suum R. Ecclesiae obtulit; proinde interdictum fuit sublatum et rex ab excommunicatione absolutus [1].

In eumdem Pontificem ingratissimus extitit Otto imperator IV, qui an. 1209 Romae ab Innocentio III augustus coronatus, contra praestitum iuramentum armata manu regnum Siciliae, quod erat R. Ecclesiae feudum, quoque Innocentius Pp. iuniorem Fridericum investiverat, invasit. Cum Poutifex imperatorem ab hoc bello deterrere frustra tentasset, eum an. 1210 excommunicavit. Otto excommunicationem sprevit, et ad maiorem nequitiam prolapsus est. Quapropter Innocentius post novas admonitiones eum rursus excommunicavit et imperio privatum, omnesque subditos a fidei iuramento solutos declaravit. Principes imperii una cum Siffrido, archiepiscopo Moguntino et Apostolicae Sedis legato, congregati, Ottonem reiecerunt, et an. 1212 in eius locum elegerunt Fridericum II, regem Siciliae, Henrici VI filium. Innocentius Fridericum Romam venientem magno cum gaudio excepit et in Germaniam dimisit. Otto in Germaniam redux, Friderico resistere tentavit, sed a suis desertus, in Saxoniam secessit, ubi nulla re gesta insignis an. 1218 decessit. Fridericus II omnibus spem magnam fecit; iureiurando constituit, se imperio potitum, regnum Siciliae cessurum filio suo Henrico, R. Ecclesiae in illud iura conservaturum, B. Petri patrimonium, sacrarum electionum libertatem aliaque ecclesiarum iura defensurum. Verum postea, ut videbimus, a bene coeptis turpiter descivit [2].

6. *Bellum adversus Albigenses* (*an.* 1209)

---

1) Papebroch. *Acta SS.* 29 maii.
2) Pag. 45.
3) *Histoire de l'Église gall.* l. 29-30; Raynald. ad an. 1198-1213.

1) Lingard, *Histoire d'Anglet.* t. III; Raynald. ad an. 1205-12. — 2) Raynald. ad an. 1210-15.

— In Occitania vero seu Gallia meridionali haeretici Albigenses, Raymundi comitis Tolosani aliorumque magnatum patrocinio freti, ecclesias dirum in modum vastabant, catholicisque sine sexus aut conditionis discrimine vim inferebant. Quapropter Innocentius Pp. III regem Galliae proceresque excitavit ad cruciatam contra perduelles sectarios expeditionem. Confestim copiosus crucigerorum exercitus coaluit. His perterritus Raymundus comes Tolosanus, coram Milone Pontificis legato iuravit, se bona clericis ablata restituturum et crucigeris adversus haereticos opem laturum. An. 1209 cruciger duce Simone comite Montfortio bellum contra perduelles sectarios inchoarunt, ditionem Rogerii vicecomitis Biterrensis, haereseos fautoris, Biterras, Carcassonam, aliasque urbes et arces expugnarunt, easque tradiderunt Simoni Montfortio. Cum Raymundus Tolosanus contra iurata supra promissa sectariis clam faveret et crucigeris insidias strueret, rursus excommunicatus est, et bello impetitus a Simone Montfortio, post varia praelia magnam terrarum suarum partem et an. 1214 ipsam urbem Tolosam amisit, quarum omnium possessio Simoni Montfortio a synodo Monspeliensi et ab Innocentio Pp. confirmata fuit. Simon Montfortius bellum cum Raymundo aliisque dynastis vario marte continuavit usque ad annum 1218, quo in obsidione Tolosae, quam Raymundus anno praecedente recuperaverat, ex vulnere obiit [1]. Qua ratione bellum contra Albigenses continuatum fuerit, suo loco videbimus.

7. *S. Dominicus* — Interim s. Dominicus, apostolica missione ab Innocentio Pp. ad convertendos Occitaniae haereticos instructus, ardore impigro et invicta constantia confutandae haeresi et praedicandae Fidei adlaboravit. In eumdem finem instituit celeberrimum Ordinem Fratrum Praedicatorum, de quo mox dicemus. Magnas etiam victorias de haeresi retulit sacratissimi Rosarii prece, quam summo studio propagavit. Deus apostolici viri sermones atque labores miraculis confirmavit. Sic factum est, ut s. Dominicus prae aliis omnibus de expugnatione haereseos, de haereticorum conversione, et de catholicae fidei restitutione in Occitania meruerit [2].

1) P. de Valle Cernai, *Hist. Albigens.*; I. B. Langlois, *Histoire des Croisades contre les Albigeois*, Paris 1703, in-12°.
2) Touron, *Vie de s. Dominique*; Bolland. *Acta SS.* 4 august

8. *FF. Minorum et Praedicator. Ordines* — Iisdem temporibus ad haereseos expugnationem, fidei orthodoxae praedicationem et sincerae pietatis instaurationem excitati sunt celeberrimi Ordines Fratrum Minorum et Praedicatorum. Prioris Ordinis auctor est s. Franciscus, qui an. 1182 Asisii in ducatu Spoletano natus, primo mercaturam exercuit, deinde omnium terrenarum rerum curis abiectis, vitam ad Apostolicae paupertatis normam instituit, vili habitu indutus, victum sibi mendicando parans, simul leprosos curans, stipem pro reparandis ecclesiis colligens, hominesque ad poenitentiam exhortans. Anno 1209 iam vitae suae asceticae piorumque operum plures sectatores nactus, eos pariter ad praedicandam poenitentiam sibi adscivit et ad perfectam paupertatem instituit. Iis auctis an. 1210 vivendi regulam praescripsit, cuius fundamentum erat strictissima paupertas, omnis peculii expers non tantum pro singulis sed etiam pro societate, adeo ut ex manuum labore et eleemosynis sibi victum compararent. Ad exercendam humilitatem sociis commendabat, ut frequenter inter mendicos, infirmos et alias personas despectas versarentur, omnesque appellarentur Fratres Minores, unde *Minoritarum* nomen descendit [1]. Ad promovendam aliorum salutem sociis praecipue iniungebat, ut hominibus poenitentiam praedicarent, ii etiam, quibus necessariae dotes essent, infideles convertere studerent, quem in finem Franciscus ipse aliquando in Ægyptum profectus est. Regulam eius approbavit Innocentius III, et s. Francisco eiusque discipulis facultatem praedicandi ubique poenitentiam et catholicam fidem concessit, eosque simul inter clerum suscepit. Brevi tempore Franciscanorum numerus ita auctus est, ut non tantum in Italia, sed etiam in Hispania, Lusitania, Gallia, aliisque regionibus plura domicilia instituerint, et Capitulo generali, quod s. Franciscus an. 1219 coëgit, iam ultra quinque Fratrum millia interfuerint [2].

Ad feminas quoque institutum s. Francisci translatum est, praeeunte s. Clara, parentibus nobilibus Asisii nata, quae a teneris piam austeramque vitam sectata, se s. Fran-

1) Idem Ordo dictus est Franciscanus a nomine sui auctoris, item Seraphicus, quod s. Francisco in solitudine montis Alverni sacra stigmata impresserit Seraphim, crucifixi imaginem referens. S. Bonaventura, *Vita s. Francisci*.
2) S. Bonaventura, ibid.

cisci directioni subiecit, sedem suam fixit apud ecclesiam s. Damiani haud procul ab ecclesia Portiuncula, B. Mariae Angelorum dedicata, quam s. Franciscus a Benedictinis acceperat et in qua Ordinis sui fundamenta iecit. Confestim aliae plures exemplum s. Clarae secutae sunt, quibus s. Franciscus an. 1224 regulam praescripsit, a Gregorio Pp. IX approbatam. Hic monialium Ordo dicebatur secundus Ordo s. Francisci, item pauperum feminarum, Clarissarum, Damianistarum; et iam vivente adhuc s. Clara valde numerosus, postea ita auctus est, ut plura centena monasteria comprehenderet. Denique laici etiam utriusque sexus, in saeculo degentes, certa Franciscanorum instituta sibi congrua adoptarunt, unde Tertius s. Francisci Ordo enatus est, cuius membra Tertiarii dicebantur [1].

Eodem tempore Ordinem presbyterorum, qui non tantum propriae perfectioni, sed reliquorum etiam hominum saluti operam darent, fundavit s. Dominicus. Hic cum convertendis haereticis Albigensibus adlaboraret, consentiente R. Pontifice, Ordinem creare constituit, cuius supremus finis esset, praedicare verbum divinum omnibus, in primis haereticis et infidelibus. Postquam cum sociis suis simili studio accensis, de adoptanda regula s. Augustini, de severiori ieiunio et restrictione proventuum ad necessarium victum convenisset, an. 1216 sollemnem Ordinis sui approbationem impetravit ab Honorio Pp. III, qui eos *Fratres Praedicatores* appellavit, iisque praeter alias facultates et privilegia ius tribuit habendi ecclesias parochiales et presbyteros ab episcopo approbatos in iis constituendi. Dominicus primum monasterium aedificavit Tolosae iuxta ecclesiam sibi ab episcopo concessam. Mox Fratres suos in Hispaniam, Galliam, Italiam misit, ubi etiam eiusdem Ordinis monasteria excitata sunt. In primo Capitulo generali, an. 1220 Bononiae habito, praeter diversa instituta severiora sociis persuasit abiectionem omnium fundorum et proventuum fixorum, eosque e Canonicis Regularibus s. Augustini monachos mendicantes fecit. In altero Capitulo generali, habito anno sequente, Ordinem, qui iam 60 monasteria habebat, distribuit in 8 provincias, Hispaniam, Provinciam, Galliam, Lombardiam, Romam, Germaniam, Hungariam, Angliam; quibus sub s. Dominici, anno 1221 defuncti, successore Iordane accesserunt 4 novae provinciae, scilicet Polonia, Dania, Graecia et Palaestina. Ordinis propagatio tanta continuo incrementa cepit, ut an. 1278 iam 470 monasteria numeraret. Eorum etiam quemadmodum Franciscanorum Institutum ad feminas sanctimoniales propagatum est [1].

Quum autem hi Ordines de Ecclesia praeclarissime mererentur, amplissima privilegia a RR. Pontificibus consecuti sunt. Quanta vero bona ex iisdem Ordinibus in Religionem et societatem manarint, sat evincitur ex eo, quod in iis omni tempore reperti sint viri, vitae sanctitate et eruditione clarissimi, praecipuis Ecclesiae dignitatibus ornati, gravissimis legationibus perfuncti, ad ss. Litterarum theologiae ac philosophiae cathedras in academiis evecti, de morali populorum reformatione, de expugnatione haeresum, deque Religionis ubique propagatione optime meriti.

9. *Concilium Lateranense IV, generale XII* (*an.* 1215) — Interea Innocentius Pp. III ad proscribendas haereses, ad restituendam disciplinam ecclesiasticam et ad excitandam novam expeditionem contra Turcas an. 1215 in basilica Lateranensi concilium generale celebravit. Interfuerunt huic concilio 412 episcopi, inter quos patriarchae Cp. et Hierosolymitanus, Antiocheni et Alexandrini vicarii. Aderant praeterea ultra 800 abbates et priores, multi absentium praesulum et capitulorum procuratores, oratores Friderici II electi imperatoris, Henrici imperatoris Cp., regumque Galliae, Hispaniae, Angliae, Hungariae, Hierosolymorum, Cypri. Praesedit Innocentius Pp., editique sunt 70 canones seu capitula. Canone 1° exponitur, catholica fides de ss. Trinitate, Incarnatione, Ecclesia et Sacramentis [2]; 2° damnantur libellus Ioachimi abbatis et perversum dogma Almarici [3]; 3° proscribitur omnis haeresis, haeretici eorumque fautores, defensores et receptores excommunicantur, contumaces in haeresi post ecclesiasticum iudicium traduntur potestatibus saecularibus debita animadversione puniendi;

1) L. Wadding, *Annales Ordinis Minorum.*

1) *Annales Ord. Praedicatorum*; Quetif et Echard, *Scriptores Ord. Praedicator.*

2) Concilii PP. ad significandam veram et substantialem in ss. Eucharistia conversionem panis et vini in Corpus et Sanguinem Christi, consecrarunt vocem *transubstantiationis*, aptissimam exprimendo avito catholico dogmati et refellendis haereticorum novitatibus et subterfugiis.

3) Vid. p. 49.

dominis temporalibus sub poena excommunicationis, et si hanc contempserint, amissionis terrarum suarum mandatur, ut haereticos e terris suis pellant; episcopis praecipitur, ut saltem semel in anno dioecesim suam visitent, et ubi fama est habitare haereticos, tres aut plures boni testimonii viros constituant, qui haereseos suspectos indicent; crucigeris contra haereticos belligerantibus indulgentiae conceduntur; 5° Ordo ecclesiarum patriarchicarum ita componitur, ut post Romanam 1m locum habeat Cpna, 2m Alexandrina, 3m Antiochena, 4m Hierosolymitana; 6° praescribitur, ut synodi provinciales singulis annis celebrentur; 7° et 8°, ut ecclesiarum praesules in subditorum praesertim clericorum mores inquirant, eorumque reformationi diligenter intendant; 10° et 11° decernitur de viris ad officium praedicationis assumendis et de magistris ecclesiarum cathedralium ac theologo metropolitanae; 21° praecipitur omnibus utriusque sexus fidelibus, ut cum ad annos discretionis pervenerint, saltem semel in anno peccata sua proprio sacerdoti confiteantur, suscipientes reverenter saltem in Paschate Eucharistiae sacramentum; 23° ne ecclesia cathedralis vel regularis ultra tres menses praelato careat; 24° praelati eligantur a Capitulis ecclesiarum vacantium; 25° et 26° proscribuntur electiones per saecularis potestatis abusum factae, et poenae definiuntur in metropolitas, qui electiones minus canonicas confirmarint. Caeteri autem canones ad clericorum et religiosorum disciplinam, ad sacras Ordinationes, ad causas matrimoniales, iudicia ecclesiastica, aliaque pertinent [1].

Decreta etiam est cruciata expeditio contra Turcas pro an. 1217, crucigeris indulgentiae concessae, pax in quadriennium toti orbi christiano imperata, et constitutum, ut clerici vigesimam et Pontifex cum cardinalibus decimam partem proventuum ecclesiasticorum in subsidium Terrae sanctae conferrent per triennium. Christiani, qui Saracenis naves aut arma subministrarent, item piratae eorumque fautores excommunicationi subditi sunt. Tolosa aliaeque terrae a crucigeris in Occitania occupatae, confirmatae fuerunt Simoni Montfortio. Etiam confirmata est electio Friderici imperatoris II et reiectus Otto IV [1].

10. *Honorius III, Pontifex* (*an.* 1216) — Absoluto concilio, Innocentius III Pisas profectus, ut dissidia Pisanos inter et Genuenses componeret, Perusiae obiit postridie idus iulias 1216 [2]. Ibidem biduo post electus fuit Honorius III, nobilissima Sabellorum familia natus, presbyter cardinalis, antea appellatus Cencius, vir doctrina morumque integritate praestantissimus [*]. Is s. Dominici suasu instituit officium Magistri Palatii, qui, dum Cardinales cum Pontifice negotiis ecclesiasticis occuparentur, eorum clericos pia lectione distineret [3]; s. Francisci rogatu plenariam indulgentiam concessit iis, qui contriti et confessi visitarent ecclesiam dictam Portiunculam [4]; — cavit sub poena anathematis *ne lecto Evangelio liber ad osculandum aliis, quam personis deferretur inunctis oleo sacro* [5]; omnium primus largitus dicitur indulgentiam aliquot dierum per occasionem canonizationis Sanctorum; ipse quoque statuit, si Nativitas Christi in diem Veneris cadat (multo magis si in diem Sabati), ob Festi excellentiam, cuivis Christiano licere vesci car-

---

1) E. Dupin, *De antiqua Ecclesiae disciplina*, diss. VII, § 4, et pauci alii dixerunt, canones huius Concilii ab uno Innocentio papa et non a Concilio fuisse conditos; contra quos videsis Natal. Alexand. *Hist. eccl.* saec. XIII, diss. 1.

1) Labbe, *Concil.* t. XI, p. 118 seq.—2) Praeter epistolas multas, a Balutio an. 1680 2 vol. in fol. editas, reliquit Innocentius Commentarium in Psalmos poenitentiales, libros 3 *de contemptu mundi* et alia, edita Colon. 1575 et Venet. 1578 in fol.—Ludovicus Iacobus a s. Carolo in *Bibliotheca Pontificia* inter scripta Innocenti III recenset Prosam *Stabat Mater dolorosa*, quam B. Iacopono tribuunt Guilielmus Cave, in Appendice ad *Historiam Litterariam*, et Iustus Fontaninus *De Itala Eloquentia* l. II, c. 8. Eckeardus, auctor vitae B. Notkeri, Innocentio III coaevus, dicit piam illam de Spiritu Sancto sequentiam *Veni, Sancte Spiritus* ab eodem Pontifice fuisse compositam. Cf Mabillonium in *Saec. V Benedictino.* Benedictus XIV, *De Sacrificio Missae*, sect. 1, n. 110, scribit, Innocentium III auctorem fuisse Orationis *A cunctis* etc.

*) Ciaconius in *Vita Honorii* III falso scribit ab huius Pontificis electione coeptum laudabilem morem inclusionis Cardinalium in conclavi. Verissime id asseritur de Gregorio X, siquidem ante eum haud soliti fuerunt Cardinales intra Conclave includi.

3) Spondanus, ad an. 1216, n. 17. Isto officio s. Dominicus et deinceps FF. Praedicatores functi sunt. Cf A. I. Catalan. *De Magistro s. Palatii*, Romae 1751 in-4°.

4) De celebri hac indulgentia videsis Benedict. XIV, *De synodo dioecesana*, l. XIII, c. 8, nec non eius Disquisitionem *de Indulgentia Portiunculae*; Grouwels, *Historia critica de indulgentia Portiunculae:* B. Picart, *Apologie de l' histoire de l' indulgence de la Portiuncule.*

5) Benedictus XIV, *De Sacrificio Missae*, sect. 1, § 144; Meratus, t. I, part. 1.

nibus, qui nec voto, nec regulari observantia ad ieiunium, vel abstinentiam a carnibus sit adstrictus: non tamen reprehendendos qui ob devotionem voluerint abstinere [1]: episcopos et religiosorum Ordinum superiores excitavit, ut sacerdotes pietate et doctrina insignes Romam mitterent, quibus officium praedicandi infidelibus Evangelium commendaret; Guilielmum episcopum Mutinensem legavit in regiones septentrionales, ut ecclesiarum ibidem statum componeret, operamque praeberet propagando in Livonia et Borussia Evangelio; exscindendae Albigensium sectae, et reducendis ad catholicam fidem haereticis, belloque sacro contra Turcas parando magnam curam adhibuit; Roderico archiepiscopo Toletano indulsit, ut partem pecuniae, in subsidium Hierosolymitanum imperatae, converteret in sumptus belli maurici, et eos, qui se transmarinae expeditioni devoverant, commutato voto excitaret ad pugnandum contra Mauros; Petrum Corteniacum an. 1217 Romae coronavit imperatorem Cp., iuvenem Henricum III, post obitum Ioannis patris sui (1216) regem Angliae, in tutelam Sedis Apostolicae suscepit, et Philippum regem Galliae eiusque filium Ludovicum ab occupanda illius ditione deterruit; an. 1220 Fridericum II coronavit imperatorem; componendis etiam Italiae motibus animum adiecit [2].

11. *Cruciata V*.—Maxime sollicitus fuit Honorius III, ut bellum sacrum, in concilio Lateranensi contra Turcas decretum, compararetur; sed Pontificis conatibus obstiterunt perversa voluntas Friderici imperatoris, factiones Italorum, tumultus Albigensium in Gallia, dissensiones civiles in Anglia, bellum Mauricum in Hispania. Anno 1217 Andreas rex Hungariae, cui Leopoldus dux Austriae et Ludovicus dux Bavariae se adiunxerunt, exercitum in Orientem duxit: cum Ptolemaidem pervenisset, cum regibus Hierosolymorum et Cypri atque magistris equitum Hospitalariorum, Templariorum et Teutonicorum de instaurando bello contra Sephedinum sultanum Ægypti contulit; verum post 3 menses cum parte exercitus sui in Europam regressus est. Post eius discessum Ptolemaidem advenit magnus crucigerorum numerus e Germania, Brabantia, Frisia, Batavia et Norwegia, quorum auxilio in spem erecti principes Palaestini, an. 1218 classem duxerunt in Ægyptum, et anno sequente munitissimam urbem Damiatam incredibili virium contentione expugnarunt. Inde progressi sunt versus Cairum, sed ruptis Nili aggeribus et viis ab hostibus undique obstructis, anno 1221 cum barbaris pacisci coacti fuerunt et in Palaestinam redierunt.

Sub idem tempus Rusudes regina Georgianorum ad Honorium Pp. scripsit, se copiosum exercitum comparasse in Palaestinam mittendum, quum primum imperator Fridericus II in eam advenisset. Patriarcha Alexandrinus etiam Pontificem supplex precatus est, quatenus Eurapaeos excitaret ad liberandos fratres suos a dura infidelium tyrannide. Honorius III eo instantius de hac re egit cum Friderico imperatore, quod hic crucem suscepisset; sed praeter speciosa promissa nihil ab eo impetravit [1].

12. *Status imperii Latini Cp.*—In imperio autem Cpno Latini res suas auxerunt[2]; Atticam, Corinthum, Thebas, Athenas, aliasque Greciae civitates subegerunt; quarum tamen multae postea, inito foedere cum Ioannitio Bulgarorum rege, Latinorum iugum excusserunt. Anno 1205 Balduinus imperator in oppugnatione urbis Adrianopolis a rege Bulgarorum interceptus et in Mysiam abductus, post 16 menses interiit. Henricus, frater eius et in imperio successor, Bulgaros et Scytas, Thraciam vastantes, repressit, anno 1209 cum eorum rege pacem sancivit, ipsos Graecos sibi conciliavit, finesque imperii sui protulit. Post eius obitum (1216) electus et an. 1217 Romae ab Honorio III coronatus fuit Petrus Corteniacus, comes Antisiodorensis; sed dum cum Ioanne Columna cardinali, R. Pontificis Legato, Constantinopolim tenderet, a Theodoro Comneno, Epiri dynasta, perfidiose interceptus, in carcere extinctus est. Tunc imperium demandatum fuit Roberto, Petri Corteniaci filio, qui an. 1221 Constantinopoli a Matthaeo patriarcha coronatus, cum Theodoro Lascari, Nicaeae imperatore, pacem iniit, cum Ioanne Duca, Theodori successore, diuturnum et adversum bellum gessit, pluresque civitates in Asia minori amisit: adverso etiam marte certavit cum Theodoro Comneno, Epiri dynasta, qui capta Thessalonica, se imperatorem dixit et maio-

[1]) Reffenstuel, t. III *Iuris Canonici universi*, l. III, tit. 46; De observatione Ieiuniorum in cap. *Explicari* 3, eod. tit.

[2]) Honorius III, *Epistolarum libri*; Raynal. ad an. 1216-27.

[1]) Raynald. ad an. 1217-22; Michaud, *Hist. des croisades*.—[2]) Cf supra p. 48.

rem partem Romaniae, seu veteris Thraciae occupavit. Anno 1228 post mortem Roberti imperator salutatus fuit iuvenis Balduinus II sub tutela Ioannis Briennii, olim regis Hierosolymorum. Ex hoc tempore Latinorum imperium magis magisque imminutum, tandem an. 1261 deletum est.

13. *Gregorius IX Pontifex* (*an.* 1227) — Interea Honorius Pp. III xv° calendas aprilis 1227 vita excessit *. In eius locum omnium Cardinalium consensu electus fuit Gregorius IX, antea appellatus Vgolinus, cardinalis episcopus Ostiensis, vitae probitate, animi fortitudine ac doctrina conspicuus, qui Ecclesiam gubernavit usque ad annum 1241. Is in primis adlaboravit colligendis undique auxiliis bellicis contra Turcas; conciliandae concordiae et componendis dissidiis inter principes et populos egregiam operam navavit; simultatem gravem habuit cum Friderico II, ut infra videbimus; ad excindendas Albigensium et Stadingorum sectas ardenter incubuit; ad convertendos infideles et reducendos haereticos Evangelii praecones legatosque destinavit ad Saracenos, Graecos, Ruthenos, Borussos, aliosque; ecclesiasticam libertatem et immunitatem fortiter tuitus est; decessorum suorum Decretales, ope B. Raymundi de Pennafort correctas et in 5 libros redactas, vulgavit, huiusque collectionis usum iudicibus in foris ecclesiasticis et magistris in scholis praescripsit; discordiam inter academiam Parisiensem et Ludovicum IX regem componere studuit, academiae leges et privilegia instauravit, sed magistros eius corripuit, quod in exponenda s. Scriptura et tradenda theologia potius philosophorum quam Patrum sententiis uterentur, magisque inanibus ratiociniis quam solidae doctrinae indulgerent [1]. — Constituit quoque, *ut semper in sexta Feria in Vesperis completo solito cursu* (Divini Officii) *cantetur Salve Regina* **, *et in nocte Antiphona*, Beata Dei Genitrix Maria, *secuta oratione*, Deus qui de Beatae Mariae; *et quod ante Corpus Domini*, *cum idem conficitur*, *campana pulsetur* *. Idem, cum antea administrare Sacramentum poenitentiae Regularibus non liceret, primis omnium sacerdotibus Dominicani Ordinis ius hoc esse voluit [2]. Inter caeteros D. Antonium Vlyssiponensem, Patavinum a loco dormitionis nuncupatum, vitae sanctimonia, et miraculorum gloria toto orbe clarum in Coelitum numero habendum decrevit anno ab eius morte nondum exacto **.

14. *Ordo B. M. V. de Mercede Redemption.* — Idem Pontifex sollemniter approbavit Ordinem B. M. V. de Mercede redemptionis captivorum. Iam supra a Ioanne de Matha et Felice Valesio religiosum Ordinem

---

*) Honorius III, praeter caetera, scripsit *Ordinem Romanum*, qui extat apud Mabillonium t. II *Musaei Italici*, et *Librum Censuum Romanae Ecclesiae*, qui est apud Muratorium in *Antiquitat. Italicis medii aevi*, dissert. 69, t. V.

[1]) Gregor. IX *Epistolarum libri*.

**) Antiphonae *Salve regina* quidam auctorem faciunt Petrum Archiepiscopum Compostellanum iuxta illud, quod legitur apud Mabillonium, t. IV *Annal. Benedict.* ad an. 986, n. 89. Idque iam prius docuerat Durandus in *Rationali* l. IV, c. 22. Durando consentit etiam Claudius de Rota in *notis* ad Pseudo-Luitprandum. Arnoldus Wion hanc Antiphonam attribuit Hermanno Contracto monacho Benedictino saeculis XI, ut videre est l. V *Ligni Vitae* c. 105. Wioni accedit Bona, *Divinae Psalmodiae* c. 16, § 20. Cum autem haec Antiphona caneretur a Clericis urbis Spirae coram B. Bernardo tunc temporis Legato Apostolico in Germania, ipse addidit illa verba *O clemens*, *o pia*, *o dulcis Virgo Maria*, uti narrat Guilielmus Heisengerus in suo *Chron. Spirensi* l. XII, ad an. 1147. Huius Antiphonae cantus antequam praescriberetur a Gregorio IX in fine Completorii, inceptus fuerat a Fratribus Praedicatoribus in suo Conventu Bononiensi; vid. Fleury, in *Histor. Ecclesiast.* l. LXXX, n. LXII.

*) Auctor Vitae Gregorii IX, *Scriptor. Rer. Italic.* t. III; Spondan. ad an. 1239, § 12. Campana, cum in Missa sacrum Domini Corpus conficitur, longe ante haec tempora pulsari consuevit. Ivo Carnotensis, qui obiit an. 1115, Epist. 142, gratias agens Mathildi Anglorum Reginae ob campanas Ecclesiae suae dono datas, ait, earum sonitu memoriam eiusdem Reginae renovari tum praesertim, *quando illa salutaris hostia pro nobis redimendis in ara Crucis oblata per novi Sacerdotii ministros in Domini mensa quotidie consecratur;* ut est apud Mabillonium, *Comment. in Ordinem Romanum*, c. 7. *Quo fere tempore*, ut idem Mabillonius subiicit, *Guilielmus Episcopus Parisiensis, et in Germania Guido Cardinalis statuerunt*, *ut ad elevationem campanula pulsaretur.* Vide Bonam, *Rer. Liturgic.* l. II, c. 13, § 3.

[2]) Bulla Anagniae data IV cal. octobris Pontificatus Gregorii IX, an. I, aerae vulgaris 1227. Cf Matthaeum Parisiensem ad an. 1246.

[3]) Mortuus est Divus Antonius an. aetatis suae 36, Christi 1231, idibus iunii, feria 6; et anno insequente III calend. iunias die sacro Pentecostes Spoleti relatus in Sanctos. Videsis Gregorii IX Constitut. 4, et in eam Comment. Cardinalis Petrae ad *Constitut. Apost.* t. II. D. Antonii imago pingitur a qualibet Franciscana Familia ea forma vestis, qua unaquaeque earum utitur, ut legitur apud Benedictum XIV, *De servorum Dei* etc. l. IV, part. 2, c. 21, n. 11. De Divo Antonio fuse Lucas Waddingus in *Annal. Minor.* et Bolland. die 13 iunii, t. II, eiusd. mens.; strictim Franciscus Pagi, in *Breviario Historico* t. III, § 27, in *Vita* Gregorii IX.

pro redimendis Christianis, inter infideles captivis, institutum vidimus [1]. Quum autem in Hispania bella Christianos inter et Mauros fere essent continua, novum in ea Ordinem ad redimendos captivos an. 1218 instituit s. Petrus Nolascus, qui nobili Occitaniae familia oriundus, filii regis Aragoniae paedagogus, omnes suas facultates redimendis captivis Christianis impendit, et ad idem opus, Raymundo de Pennafort tunc Barcinonensi canonico et Iacobo rege Aragoniae cooperantibus, alios eodem spiritu animatos sibi sociavit, Ordinemque, cuius ipse primus Praepositus generalis fuit, sub patrocinio B. V. M. fundavit. Sodales quarto voto omnia bona sua, imo, si opus foret, semetipsos pro redimendis captivis tradendi adstrinxit. Confestim multi viri nobiles et divites huic Ordini adscripti sunt, eique Gregorius IX observandam proposuit regulam s. Augustini [2].

15. *Albigensium fata* — In Occitania vero post mortem Simonis Montfortii (1218) bellum contra Albigenses recruduit [3]. Honorius Pp. III Ludovicum VIII regem Francorum excitavit, ut Almarico, patris sui Simonis Montfortii in comitatu Tolosano et in bello contra sectarios successori, opem ferret contra iuniorem Raymundum, senioris filium et alterum sectariorum defensorem. Regem etiam interpellavit Almaricus, eique comitatum Tolosanum obtulit. His perterritus Raymundus litteras submissionis ad Honorium Pp. dedit, et anno 1224 in synodo Monspeliensi obedientiam erga R. Ecclesiam eiusque Pontificem professus, iureiurando spopondit, se fideliter custoditurum fidem catholicam, haereticam pravitatem e terris suis extirpaturum, et Almarico facturum satis; sed nihil executioni mandavit [4]. Quapropter Romanus cardinalis, Honorii III legatus, an. 1226 in synodo Parisiensi Raymundum excommunicavit, Ludovicum regem ad cruciatum bellum contra perduellem haereticorum fautorem hortatus est, eique comitatum Tolosanum et alias terras, quas Almaricus regi cesserat, confirmavit. Ludovicus VIII exercitum in Occitaniam duxit, varias urbes et arces cepit, sed an. 1226 obiit. Sub iuniori Ludovico IX, hortante Gregorio Pp. IX, Imbertus Belloiocensis bellum prosecutus est eo cum successu, ut Raymundus ad incitas redactus, anno 1228 praescriptis ab apostolico legato et Francorum rege pacis conditionibus assenserit. Earum summa erat, ut Raymundus Ecclesiae et regi fidelis esset, haereticos e terris suis pelleret, damna ecclesiis illata resarciret, earumque libertatem et iura defenderet, duobus theologis, totidem decretorum magistris, sex liberalium artium professoribus et duobus grammaticis, qui Tolosae docerent, annuum stipendium numeraret [1]. Quibus pactis et iuratis Raymundus a legato Pontificis ab excommunicatione absolutus et Ecclesiae reconciliatus fuit, accepta in poenitentiam quinquennali militia in Palaestina contra Turcas [2]. Ita demum bello Albigensi finis constitutus est; cumque brevi post formata in Occitania s. Inquisitione, haeretici nusquam tuto agerent, secta deperiit.

16. *Inquisitio* — Contra s. Inquisitionem querelas, obtrectationes atque convicia congesserunt Religionis catholicae hostes, haeretici, deistae, increduli, inter quos encyclopedistae, Voltaire, Rousseau. Ii omnes vel e magna inscitia vel e malevola mente s. Inquisitionis instituto eiusque scopo et rationi turpiter detraxerunt, leges a potestate civili contra haereticos sancitas, poenasque corporales a curiis saecularibus in eos exercitas, cum s. Inquisitione confuderunt, immoderatas quandoque inquisitorum procedendi rationes, quas petulanter exaggerant, contra ipsum Inquisitionis institutum obiecerunt.

Finis autem s. Inquisitionis fuit catholicae fidei conservatio, quae cum in primis episcoporum in suis dioecesibus et maxime RR. Pontificum in universa Ecclesia curis sit demandata, summum eorum officium est, inquirere in eos, qui Fidei depositum corrumpunt, eosdem iudicare, ab haeresi reducere et obstinatos condemnare; quemadmodum in omni societate contra praevaricatores agitur. Eiusmodi Inquisitionis genus ab Ecclesiae initiis contra haeresum auctores eorumque asseclas exercitum fuit. Ex quo tempore imperatores, reges, principes et populi catholicam fidem professi sunt, illi etiam, utpote Ecclesiae filii et protectores, leges poenasque sanxerunt contra catholicae doctrinae corruptores et ecclesiasticae pacis perturbatores seu haereticos et schismaticos, tanto magis, quod hi sua

---

1) Cf p. 44.
2) Bolland., *Acta SS.* 31 ian.; Helyot, *Hist. des Ordres relig.* t. III.
3) Vid. p. 50-51.
4) Labbe, *Concil.* t. XI, p. 289.

1) Sic instituta fuit Vniversitas Tolosana, quam Gregorius Pp. IX an. 1233 confirmavit, eique eadem, quibus Parisiensis gaudebat, privilegia concessit.
2) Labbe, *Concil.* t. XI, p. 415.

in Ecclesiam rebellione ipsius reipublicae seu societatis pacem et securitatem passim perturbarent. Media aetate societas christiana ita erat comparata, ut qui Religionis catholicae capita violarent, in ipsam quoque societatem graviter delinquere reputarentur, et idcirco non ecclesiastica tantum, sed civilis etiam potestas in eosdem animadverteret. Quum vero XII et sequentibus saeculis haeretici non, ut veteres olim, unum alterumve Fidei dogma, sed totam Ecclesiae auctoritatem, cunctam regiminis ecclesiastici formam et saluberrima quaeque catholicorum instituta temere oppugnarent, omnique obedientiae freno excusso, Ecclesiam et civitatem funestissimis motibus concuterent, ab utraque potestate, ecclesiastica ac civili, diligentius in illos inquisitum et secundum leges sancitas animadversum fuit.

An. 1163 synodus Turonensis, ab Alexandro Pp. III coacta, episcoporum et sacerdotum vigilantiam excitavit contra haereticos, in partibus Tolosanis commorantes, mandavitque, ut deprehensi sectarii per principes catholicos custodiae manciparentur et bonorum suorum iactura mulctarentur[1]. An. 1179 concilium Lateranense III christianos principes et populos excitavit, ut Catharos, Albigenses, aliosque diversorum nominum sectarios Ecclesiae et societatis perturbatores, armis, bonorum confiscatione, carcere, exilio compescerent[2]. Anno 1184 Lucius Pp. III in frequenti episcoporum, imperatoris aliorumque principum conventu, Veronae habito, constituit, ut episcopi tum per se tum per alios boni testimonii viros et iuramento obstrictos, in haereticos inquirerent et obstinatos relinquerent saecularis iudicis arbitrio pro gravitate facinoris puniendos[3]. Vidimus quae supra an. 1215 de eodem negotio statuta fuerunt in concilio Lateranensi IV. Anno 1229 synodus Tolosana sub Romano cardinali legato, Raymundo comite aliisque praesentibus, decrevit, ut episcopi in singulis parochiis constituerent unum sacerdotem et duos vel tres boni testimonii laicos, iureiurando adstrictos, qui haereticos diligenter inquirerent et episcopis dominisque locorum seu bailivis indicarent, ut nullus dominus haereticos in suis terris toleraret, ut qui sponte ab haeresi ad catholicam fidem rediissent, domicilia eligerent in civitatibus, nulla haereseos suspicione notatis, qui vero metu poenarum aut alia de causa se converterint, ab episcopo custodiae traderentur, ne alios corrumperent, nemo autem ut haereticus puniretur nisi qui talis ab ecclesiastica potestate iudicatus. Quae decreta ut ab omnibus observarentur, Raymundus comes Tolosanus an. 1233 e consilio episcoporum procerumque statuta, iisdem decretis maxime conformia, promulgavit[1]. Anno 1233 Gregorius Pp. IX, forsan propter quorumdam episcoporum in hoc negotio negligentiam aliasve causas, officium s. Inquisitionis in Gallia meridionali demandavit FF. Praedicatoribus, scripsitque ad episcopos, ut iis in isto officio opem et consilium praestarent. Quapropter an. 1236 episcopi provinciarum Narbonensis, Arelatensis et Aquensis convenerunt Narbonem, edideruntque 29 capitula de ratione fungendi munere Inquisitionis, de poenis constituendi tum iis qui ab haeresi converterentur, tum iis qui in ea essent obstinati, deque signis, quibus haeretici eorumque fautores detegi possent[2].

Ex hoc tempore tribunalia Inquisitionis instituta sunt, ad quae haeretici vel de haeresi suspecti aut gravium in Religionem criminum rei deferebantur; iis, qui criminis convicti, convertebantur, poenitentia praescribebatur; obstinati vero post iudicium ecclesiasticum tradebantur curiae saeculari, quae de iisdem secundum leges decernebat. Gregorius IX sicuti in Gallia meridionali, ita etiam in aliis regionibus officium Inquisitionis demandavit FF. Praedicatoribus; cooperante enim utraque potestate, ecclesiastica et civili, sacrae Inquisitionis tribunalia in Italia, Gallia, Germania, Hispania, Lusitania, aliisque in locis instituta sunt[3].

17. *Stadingorum secta* — Interea circa saeculi huius initia in partibus Germaniae Oldenburgensibus erupit nefaria secta *Stadingorum*, maxima parte rusticorum, qui daemone magistro se nefandis flagitiis dabant, omnem potestatem civilem ac ecclesiasticam spernebant, Ecclesiam eiusque ministros, instituta, sacramenta conviciis proscindebant et ignominiose tractabant. Gregorius Pp. IX archiepiscopos Moguntinum et Bremensem

---

1) Labbe, *Concil.* t. X, p. 1419.
2) Ibid. p. 1522. — 3) Vid. p. 41.

1) Labbe, *Concil.* t. XI, p. 426-449.
2) Ibid. p. 487.
3) Cf R. P. Panni, *Della punizione degli eretici e del tribunale della s. Inquisizione*, Rom. 1795, in-4°; A. Muzzarelli *su l'Inquisizione*, opusc. 10; De Maistre, *Lettres sur l'Inquisition espagnole.*

litteris excitavit, ut nefarios sectarios perquirerent, secundum canonum rigorem in eos procederent et cruciatam expeditionem contra eosdem compararent. Conradus Bremensis demandatum sibi officium fortiter, non nunquam nimia severitate, executus est. Alii sectam deseruerunt, alii igne damnati, alii a crucigeris sub Henrico duce Brabantiae et Florentio comite Hollandiae caesi, reliqui huc illuc dispersi sunt [1].

18. *Livonum, Estonum, Curlandorum et Borussorum conversio* — In regionibus vero septentrionalibus ad litora maris Baltici christiana Religio nova incrementa cepit. In primis bellicosa Livonum gens ab idolorum cultu et barbara vitae ratione ad veri Dei cultum et humaniores mores perducta fuit. Iam anno 1186 Meinardus, canonicus regularis monasterii Segebergensis, in Livoniam transierat et Ykescolae ecclesiam seu coetum christianum e conversis Livonibus formavit. Quod cum audivisset Hartvicus archiepiscopus Bremensis, ad cuius provinciam ista regio referebatur, Meinardum ordinavit episcopum Livonum. An. 1196 defuncto Meinardo successit Bertholdus, antea abbas Lukensis Ordinis Cisterciensis in Saxonia. Cum vero Livones ethnici Evangelii praecones et credentes omni modo vexarent, Bertholdus ad vindicandam evangelicae praedicationis libertatem in Livonia cruciatam expeditionem e Saxonia evocavit, qua domiti Livones Evangelii ministros admiserunt et magno numero baptismum susceperunt. Verum post crucigerorum discessum multi Fide abiecta, eos qui in illa erant constantes, cruciatibus affecerunt et sacerdotibus e terris suis exire sub poena mortis mandarunt. Albertus, e canonico Bremensi an. 1198 post Bertholdum episcopus Livonum, an. 1200 nova expeditione cruciata Livones vicit, ad defendendam Religionis christianae professionem in loco, qui Riga dicta est, Germanorum coloniam condidit, quo et sedem episcopalem transtulit, et an. 1202 ad praestanda contra infidelium impetus servitia militaria instituit Ordinem equestrem Ensiferorum seu Fratrum militiae Christi. Ex hoc tempore Livones passim christiana sacra amplexi sunt; cumque an. 1210 princeps Poloczensis pro tributis, quae ei Livones antea pendebant, eorum terram cessisset Alberto episcopo, Religionis christianae dominium in Livonia firmatum fuit [2].

[1]) Raynald. ad an. 1233-34. — [2]) Helmold, *Chron. Slavor.*; H. Letti, *Origines Livoniae sacrae et civiles.*

Idem Albertus omnes suas vires impendit ad convertendos Estones, quos cum an. 1211 crucigerorum opera vicisset, Evangelium inter eos praedicandum curavit, et ex assensu R. Pontificis Theodoricum, abbatem Cisterciensium Dunamundensium, illorum episcopum ordinavit. Brevi post etiam Semgallos, qui orientalem partem Curlandiae incolebant, ad postulandum baptismum adduxit, et anno 1217 Bernardum, alterum abbatem Dunamundensem, Semgalliae episcopum consecravit. Anno 1218 Waldemarus II rex Daniae adversus rebelles Estones evocatus, eos vicit, ad pendendum tributum et ad admittendos Evangelii praecones adegit, duosque episcopos Danos ibidem constituit, unum Revaliae, alterum Wironiae. Incolae quoque insulae Oeseliae a crucigeris subacti, an. 1227 piraticis excursionibus nuncium remiserunt et baptismum atque episcopum, quem Guilielmus Apostolicae Sedis legatus pro iis ordinavit, susceperunt. Anno 1230 Curlandi sua sponte christiana sacra amplexi sunt, quos idem Guilielmus legatus partim episcopo Rigano partim episcopo Semgalliae et partim proprio episcopo commisit [1].

Simili fere ratione Borussorum conversio effecta fuit. Erat Borussorum gens ferocissima. Iam sub exitum saeculi X s. Adalbertus et sub initia saeculi sequentis s. Bruno alias Bonifacius frustra illis Evangelium praedicare tentaverant [2]. Frustra etiam duces Poloniae saeculo XI et sequente ferocem gentem, quae fines eorum continuo vastabat, armis domare et ad christianam Religionem perducere conati fuerant. Demum primis huius saeculi annis Christianus, monachus Cisterciensis in Pomerania, cum aliquot sociis eiusdem Ordinis Borussis Evangelium praedicavit eo cum successu, ut multi baptismum susciperent, quibus an. 1215 idem Christianus a R. Pontifice episcopus datus est. Verum paulo post Borussi christianam Religionem proscripserunt, eos qui illam susceperant, ad eandem deserendam suppliciis coëgerunt, provincias Polonicas, Chelmum et Masoviam, dire vastaverunt, ultra 300 ecclesias et monasteria destruxerunt. Conradus dux Masoviae et Christianus episcopus armis crucigerorum territorium Chelmense recuperarunt, cuius partem Christianus episcopus a duce Conrado accepit. Cum

[1]) *Chronic. Livon.*; Gebhard., *Geschichte aller Wendisch-Slavischen staaten*; Doellinger, *Histoire de l' Eglise*, ep. IV, ch. 1.
[2]) Vid. t. I, p. 262.

tamen ambo ad reprimendos Borussorum impetus non sufficerent, evocarunt equites Teutonicos, tunc temporis Venetiis morantes, qui, accepto R. Pontificis et imperatoris assensu, an. 1230 bellum contra Borussos susceperunt ea conditione, ut sibi cederentur omnes terrae, quas infidelibus eriperent. Reipsa equites Teutonici auxilio crucigerorum, qui e Germania et Polonia accurrebant, aucti iam anno 1240 quinque Borussae provincias, deinde reliquas sibi subegerunt. Ex eo tempore missionarii, praesertim FF. Praedicatores, a RR. Pontificibus in Borussiam destinati, Evangelium longe lateque illic praedicaverunt et incolas passim ad christianam fidem converterunt. Anno 1253 Innocentius Pp. IV Borussiam in 4 dioeceses seu episcopatus, nimirum Chelmensem, Pomeraniensem, Vomariensem, et Sambiensem, distribuit, e quibus ultima dioecesis, tunc nondum conquisita, an. 1255 a crucigeris sub Ottocaro rege Bohemiae subacta est, eiusque incolae pariter baptismum susceperunt[1].

Ex quo tempore Livones, Estones, Curlandi, Borussi christiana sacra amplexi sunt, feroci suae vivendi rationi, piraticis excursionibus, polygamiae, sacrificiis humanis, aliisque nefandis facinoribus nuncium remiserunt, et una cum Religione humanitas ac opulentia inter eos floruerunt.

19. *Lis inter sacerdotium et imperium* — Interea dissidia gravia sacerdotium inter et imperium exorta sunt. Fridericus II, qui ante suam inaugurationem spoponderat, se nunquam regnum Siciliae cum imperio coniuncturum, crucem pro expeditione Hierosolymitana susceperat, et anno 1220 Romae ab Honorio Pp. III augustus coronatus, rursus crucem e manu Vgolini accipiens promiserat, se anno sequente in Syriam profecturum, contra pacta iurata regnum Siciliae retinuit, profectionem suam in Syriam, non obstantibus continuis Pontificis admonitionibus, in dies distulit, Ioannem Briennium Hierosolymorum regem, cuius filiam Iolandam post obitum Constantiae uxorem duxit, ad cedendum sibi regis Hierosolymitani honorem et iura coëgit, ius eligendi episcopos ad sedes vacantes in Italia usurpavit et canonice electos eiecit. Honorius Pp. eum frequenter admonuit; imperator vero Pontificem iuste offensum, novis promissis placare studuit. Eadem promissa Fridericus fecit Gregorio Pp. IX, edixitque, ut crucigeri Brundusium in Italia convenirent. Reipsa illuc e diversis regionibus convenerunt plurima crucigerorum millia, sed imperatore moras nectente, magna illorum pars saevientibus caloribus, morbis, siti, aliisque incommodis periit. Gregorius IX haud amplius cum periuro imperatore simulandum ratus, eum III calendas octobris 1227 excommunicavit et qua talem universae Ecclesiae denuntiavit. Anno sequente excommunicationem in eumdem redintegravit in Coena Domini, sacrisque interdixit loca, in quibus Fridericus ageret. Imperator ira percitus, Romanos, praesertim Frangipanes, contra Pontificem, qui secessit Perusiam, excitavit, et ut se iniuste excommunicatum probaret, cum paucis copiis in Syriam transfretavit; sed illic cum hostibus non dimicare, at pacisci coepit, et an. 1229, reclamantibus licet christianis Palaestinae, cum sultano Ægypti indecoras 10 annorum inducias pepigit. Interim Raynaldus et Bertholdus, ducis Spoletani filii, quibus imperator vices suas in Italia demandaverat, R. Ecclesiae patrimonium armis invaserunt, magnamque saevitiam in clericos et laicos exercuerunt.

Fridericus in Italiam redux cognovit, sua ipsius interesse, ut cum Pontifice pacem iniret; quapropter ad Gregorium IX, iam a Romanis in Vrbem revocatum, oratores misit. An. 1230 pax composita fuit, et postquam imperator iureiurando spopondisset, se Ecclesiae libertatem et iura, quae violaverat, restituturum, illataque ecclesiis, monasteriis vel personis mala reparaturum, ab omnibus censuris absolutus fuit[1].

Verum perfidus imperator facta Pontifici promissa parum curavit; Langobardorum dissidiis et rebellione filii sui Henrici in Germania distractus, aliquamdiu ab apertis inimicitiis contra Pontificem abstinuit, sed filio suo Henrico et plerisque Langobardiae civitatibus in ordinem redactis, novis iniuriis Gregorium Pp. saturavit; Entium nothum suum creavit regem Sardiniae, quae ab antiquis temporibus Apostolicae Sedis iuris erat; totius Italiae ipsiusque Vrbis Romae, deleto Pontificis principatu, imperium concupivit; Romanos, praesertim Frangipanes, ad seditionem et ad pellendum ex Vrbe Pontificem excitavit; in Sicilia ecclesiasticas libertates et personas oppressit graviterque vexavit. Quapropter Gregorius Pp. an. 1239 con-

[1]) Doellinger loc. cit.; P. de Dusburg, *Chronicon Prussiae;* Arnold, *Kirchengeschichte des konigr. Preussen.*

[1]) Raynald. ad an. 1220-30.

tumacem et periurum imperatorem rursus excommunicavit, omnesque fidei iuramento ei obstrictos, ab illius observatione solutos declaravit. Fridericus furore in Pontificem percitus, exercitum Romam duxit; sed Romani se Vrbis defensioni accinxerunt; quare mutato consilio ditionem R. Ecclesiae pervasit et summa barbarie devastavit, in omnes qui stabant a partibus Pontificis saeviit, totamque Italiam dissidiis, odiis, factionibus, bellisque complevit. Notissimae sunt factiones Guelphorum et Gibelinorum, e quibus hi imperatoris, illi Pontificis partes defendebant, adeo ut provinciae provinciis, civitates civitatibus, familiae familiis essent infensae.

Gregorius IX, ut luctuosis Ecclesiae malis praesentissimum adferret remedium, e Cardinalium consilio anno 1240 generale concilium ex omni orbe catholico Romae convocavit. Fridericus, qui antea concilium generale appellaverat, nunc terrore minisque illud impedire conatus est; quin imo Genuensium triremes, qui multos praesules e Gallia, Hispania et aliis regionibus Romam ducebant, per Entium nothum intercipi iussit, nonnulli praesules aquis submersi, alii, paucis qui evaserunt exceptis, in carceres coniecti sunt [1].

Brevi post, nempe XII calendas septembris 1241, Gregorius Pp. moerore confectus, sed pietate rebusque gestis clarissimus occubuit. In eius locum electus fuit Caelestinus IV, Mediolanensis, antea Gaufridus Castilionaeus, qui die 17 ab electione, secundum multos scriptores nondum consecratus, obiit. Tunc propter turbas, quas iniquus imperator in Italia et in Vrbe Roma fovebat, Sedes Apostolica vacavit fere 20 mensibus. Tandem Fridericus, a Ludovico IX rege Francorum aliisque principibus interpellatus, Cardinales et alios praesules, quos supra carceri mancipavit, dimisit. Tunc coactis Anagniae comitiis, VIII calendas iulias 1243, Pontifex electus fuit Innocentius IV, Genuensis, antea cardinalis Sinibaldus Fliscus [2]. Hic omnia tentavit, ut concordiam sacerdotium inter et imperium restitueret. Fridericus a Viterbiensibus magna clade affectus, an. 1244 cum Pontifice de restituenda pace egit; sed paulo post omnes pacis conditiones, de quibus utriusque partis legati convenerant, reiecit, Pontificem novis iniuriis affecit, eique ad se properanti insidias struxit. Quapropter Innocentius Pp. in Galliam transiit, et an. 1245 Lugduni generale concilium, a Gregorio IX supra Romae convocatum, celebravit. In hoc concilio Pontifex, Friderici improbitate et tyrannide expositis, sententiam in eum dixit, qua eumdem excommunicatum, omnique honore, imperio et regno Siciliae privatum denuntiavit, subditos a iurata ei fide absolvit, iis, ad quos spectabat, potestatem eligendi novum imperatorem fecit, et omnibus prohibuit, ne Friderico consilium aut auxilium praestarent.

Secundum Pontificis rescriptum principes Germani, abiecto Friderico, an. 1246 elegerunt Henricum lantgravium Hassiae et Thuringiae, qui cum anno sequente e vulnere, in praelio cum Conrado filio Friderici accepto, occubuisset, electus fuit Guilielmus comes Hollandiae, qui cum Conrado de imperio certavit. Fridericus vero bellum prosequebatur in Italia; an. 1248 ingenti clade affectus a Parmensibus, secessit in Apuliam, bellum continuandum relinquens Entio notho suo. Entius anno sequente a Bononiensibus captus, postea in carcere obiit. Fridericus vero Mauros ex Africa evocavit, sed anno 1250 Florentiolae apud Tarentum omnibus invisus decessit [1]. Verumtamen post eius mortem neque in Italia neque in Germania turbarum finis fuit, ut videbimus.

20. *Concilium Lugdunense I, generale XIII* (*an.* 1245) — Concilio, quod supra ab Innocentio Pp. IV Lugduni celebratum fuisse diximus, interfuerunt praeter Cardinales patriarchae Cpnus, Antiochenus, et Aquileiensis, 140 episcopi, multi religiosorum Ordinum superiores, Balduinus II imperator Cp. et principum europaeorum oratores. Praesedit Pontifex ipse, qui in celebri ad concilium oratione causas, propter quas Patres convocati erant, exposuit, nimirum disciplinam in clero et populo collapsam, Friderici improbitatem et persecutionem, Turcarum in Palaestina progressiones, Cpni Latinorum imperii discrimen, Mogolorum seu Tartarorum in Russiam, Poloniam et Hungariam irruptiones. Habitae sunt 3 sessiones. Vidimus, quid actum fuerit in causa Friderici; de caeteris causis edita sunt 17 capitula, quorum 12 priora spectant ad iudicia ecclesiastica eorumque formas; 13° capitulo consulitur bonorum ecclesiasticorum conservationi; 14° et 15° decernitur subsidium ferendum Terrae

---

1) Raynald. ad an. 1230-41.
2) Idem, ad an. 1241-43.

1) Raynald. ad an. 1243-50.

sanctae et imperio Cp.; 16° agitur de reprimendis Tartarorum in terras Christianorum irruptionibus, et 17° de expeditione cruciata contra Turcas [1]. Porro hoc Lugdunense concilium a catholicis constanter inter oecumenica numeratum fuit *.

21. *Cruciata I s. Ludovici IX* — Christianorum res in Palaestina post pactas an. 1229 a Friderico II cum sultano Ægypti inducias collapsae sunt. Anno 1244 tartarica gens Chorosanorum seu Charizinorum, quae a Mogolis terra sua eiecta, in Asiam anteriorem irruit, consilio sultani Ægypti Hierosolymam, quam sultanus supra cesserat Friderico, expugnavit, s. Sepulcrum evertit et ingentem cladem christianis intulit. An. 1248 s. Ludovicus, Francorum rex IX, secundum votum Deo factum copias in Orientem duxit; utque expeditius opem ferret christianis Syriae et Palaestinae, primo movit in Ægyptum, anno 1249 Damiatam, fugato sultano, occupavit, et hostes perterritos persequi cogitabat, sed alii ei moras suaserunt usque ad novorum crucigerorum adventum. Verum sultanus recollectis viribus crucigeros, otio et morbis labefactatos, aggressus est, acie vicit, ipsumque regem et multos nobiles cepit an. 1250. S. Ludovicus in captivitate egregia christianae constantiae specimina praebuit; deinde sua suorumque libertate redempta, transiit in Palaestinam, ubi rebus christianorum utcumque consuluit, donec, audita matris suae morte, pactisque cum sultano induciis, anno 1254 in Galliam rediit [2].

22. *Religionis status in Oriente et Asia* — Quantum ad ecclesiarum statum in Oriente spectabat, ecclesia Graeca tristi schismate se a Latina divellerat. Gregorius IX an. 1233 ad restituendam utriusque ecclesiae unionem legatos miserat Nicaeam ad Ioannem Ducam et Germanum patriarcham; multae quidem collationes de negotio unionis, de processione Spiritus S. et pane eucharistico habitae sunt, sed nihil effectum. Idem negotium an. 1249

[1]) Labbe, *Concil.* t. XI, p. 638.
*) Illud praeterea in hoc concilio sancitum fuit, ut dies natalis B. Mariae Virginis, Deique Matris octo dierum spatio celebraretur, ut est apud Labbe, *Concil.* t. XI, p. 112. Rubeus quoque galerus Cardinalibus datus traditur, *quo Pontifex eos admonitos esse voluit, paratos omni tempore esse debere sanguinem fundere pro christiani populi libertate tuenda*, uti ait Gaguinus, *De Francorum Regum gestis*, l. VII, p. 636.
[2]) Joinville, *Vie de s. Louis*; Raynald. ad an. 1248-54.

Innocentius IV et an. 1256 Alexander IV novis legationibus tentarunt, sed sine effectu. Graeci enim de unione non ex animo agebant, sed tantum ut Pontifices a mittendis latino Cp. imperatori subsidiis detinerent. Ex eodem fine Michaël Palaeologus, capta an. 1261 Constantinopoli, R. Pontificis amicitiam quaesivit. Vrbanus IV eiusque successor Clemens IV legatos Constantinopolim destinaverunt, qui cum praesulibus Graecis de unione contulerunt, sed hi continuis et moris ambagibus usi sunt [1].

Alii populi orientales, iam dudum Nestorianorum vel Eutychianorum erroribus ab Ecclesia avulsi, maiorem propensionem redeundi ad catholicam unionem praebuerunt, partim adlecti spe fore ut Latinorum crucigerorum ope a saracenica tyrannide liberarentur, partim excitati a piis missionariis, quos RR. Pontifices ex Ordinibus s. Dominici et s. Francisci ad populos istos destinaverant. Anno 1237 Philippus, FF. Praedicatorum in Terra sancta prior, in litteris ad Gregorium Pp. IX datis scribebat, patriarcham Iacobitarum, cuius iurisdictio ad 60 provincias extendebatur, et in qua erant Chaldaei, Medi, Armeni et Persae, cum multis episcopis et monachis venisse Ierusalem et abiurata omni haeresi obedientiam R. Ecclesiae esse professum; idem praestitisse duos archiepiscopos, unum iacobitam qui in Phoenicia, alterum nestorianum qui in Syria sectae suae ecclesiis praeerat, patriarcham Iacobitarum, cui Ægyptus, Lybia, Æthiopia et India minor suberant, conversionem ad Ecclesiae unitatem promisisse, iamque varios errores correxisse; idem pollicitum esse patriarcham Nestorianorum in India maiori, Maronitas montis Libani constanter in Ecclesiae obedientia perseverare, quatuor FF. Praedicatores in Armeniam, rege et proceribus postulantibus, esse profectos ad ediscendam regionis linguam, et generatim FF. Praedicatores magno cum fructu fidem catholicam in istis regionibus propagare, solos Graecos in suo schismate manere pertinaces [2].

Gregorius acceptis his litteris, epistolam scripsit ad patriarcham Iacobitarum orientalium, qua ei suum ad Ecclesiae unitatem reditum gratulatus est; Armeniorum regi et reginae varia privilegia et eorum *catholico* seu

[1]) L. Allatius, *De Ecclesiae occident. et orient. perpetua consensione.*
[2]) Apud M. Paris. *Hist. Angl.* ad an. 1237; Raynald. ad an. 1237.

patriarchae pallium misit. Innocentius Pp. IV a patriarcha Armeniorum litteras accepit maximae in Sedem Apostolicam observantiae plenas. Idem Pontifex accepit fidei professionem ab Ignatio patriarcha Iacobitarum orientalium, qui Pontifici tanquam summo Patrum, et R. Ecclesiae ceu omnium matri obedientiam, doctrinam de Iesu Christo Deo et homine sine naturarum confusione, damnato Eutychete, fidemque a B. Petro principe Apostolorum praedicatam et a Nicaeno concilio definitam profitebatur, addebatque, hanc ipsam esse fidem suorum subditorum. Alias litteras cum fidei professione accepit Innocentius IV a Nestorianis, qui etiam suam erga R. Pontificem obedientiam, fidemque de Iesu Christo Deo et homine in una persona testabantur [1].

Innocentius Pp. IV ad reducendos Iacobitas, Nestorianos et schismaticos Graecos ad Ecclesiae unionem, an. 1247 vices suas in Armenia, Syria et Ægypto commisit Laurentio ex Ordine FF. Minorum. Iam anno 1245 viros religiosos e s. Francisci et s. Dominici Ordinibus legaverat in remotas Asiae partes ad Mogolorum Tartarorum principes. Religionem christianam in regionibus ad orientem et septentrionem Persidis quondam a Nestorianis propagatam vidimus [2]. Sub initia huius saeculi regiones istas longe lateque occuparunt Mogoli duce Chingischano seu Tehinguiz khan, qui imperium suum in omnem Tartariam, Persidem et in Sinas usque extendit, obiitque an. 1227. Eius filii ab extremitate Coreae usque ad Russiam et Poloniam imperium protulerunt. Interim plerique principes Mogoli, praesertim summi eorum khani seu imperatores, in terris suis christianos tolerarunt, FF. Praedicatores et Minores, quos Innocentius IV et alii deinceps Pontifices ad eos destinarunt, passim bene habuerunt, nonnulli etiam baptismum susceperunt. Piis missionariorum catholicorum conatibus plurimum obstabant invidia Nestorianorum et inhumanitas atque indifferentia principum barbarorum quantum ad religionis negotium spectabat. Nihilominus post saeculi huius dimidium Christianorum coetus in Sinis, Perside aliisque regionibus aucti sunt. Ioannes de Montecorvino, Ordinis s. Francisci, cum aliis eiusdem Ordinis Fratribus a Nicolao Pp. IV an. 1288 in praedictas terras destinatus, in civitate Sinarum metropoli Cambali seu Pechino 6,000 hominum baptizavit et anno 1307 a Clemente Pp. V Cambaliensis seu Pechinensis archiepiscopus creatus fuit, cui idem Pontifex 7 episcopos suffraganeos ex eodem s. Francisci Ordine designavit. Verum ab anno 1369 tum propter missionariorum defectum tum propter novam imperantium dynastiam Religio christiana ibidem deperiit [1].

23. *Fides propagatur in Marochium* — Vigesimis huius saeculi annis etiam in Marochitano Africae regno Religio christiana propagata fuit. Anno quippe 1220 quinque viri religiosi ex Ordine FF. Minorum in Marochium profecti sunt ad tentandam Maurorum conversionem; quamvis iniuriis affecti et regni eiecti, ardore apostolico Evangelium infidelibus annuntiarunt, sed eodem anno rursus intercepti omnes 5 martyrium perpessi sunt [2]. Eorum exemplo excitati alii 7 eiusdem Ordinis viri an. 1221 sacram missionem ad Mauros susceperunt, sed in urbe Septa prehensi, capitis damnati sunt [3]. Fortissimis his Fidei praeconibus successerunt alii, quorum laboribus atque sudoribus christianorum numerus ita auctus est, ut Gregorius Pp. IX anno 1237 episcopum ex eodem Franciscanorum Ordine pro Marochio ordinaverit [4].

24. *Innocentius IV, Pontifex* — Interea Innocentius Pp. IV, ut vidimus, VIII calendas iulias 1243, ad summum Ecclesiae regimen evectus fuit [5]. Iam diximus quae hic Pontifex tum in simultate cum Friderico Imperatore II, tum Lugduni in concilio et pro conversione haereticorum atque infidelium egerit. Idem Pontifex congregationem Silvestrinorum, an. 1231 a B. Silvestro Guzolino sub regula s. Benedicti ad Montemfanum in Piceno institutam, et Ordinem Servorum B. V. M. a septem viris Florentinis, genere ac pietate claris, an. 1233 sub regula s. Augustini in monte Senario coeptum, approbavit. Alia eius gesta suis locis indicabimus.

25. *Scriptores ecclesiastici* — Scriptoribus autem ecclesiasticis, qui priori huius saeculi dimidio floruerunt, adnumerandi sunt hi qui sequuntur: B. Albertus propter multipli-

---

1) Raynald. ad an. 1238, 1239, 1247.
2) Vid. t. I, p. 246, t. II, p. 35.

1) Assemani *Biblioth. orient.* t. III; Wadding, *Annales FF. Minor.*; Renaudot, *Relations anciennes.*
2) Bolland. *Acta SS.* 16 ian.
3) Ibid. 13 oct.
4) Raynald. ad an. 1237.
5) Vid. p. 60.

...cem eruditionem cognominatus Magnus, qui an. 1202 nobili Sueviae familia natus et anno 1221 Ordinem FF. Praedicatorum ingressus, Coloniae et Parisiis sacras Literas summa cum fama interpretatus est, an. 1260 ab Alexandro IV creatus episcopus Ratisbonensis, post biennium episcopatu dimisso, Coloniam rediit, seque totum tradendis rebus theologicis et scribendis libris dedit; opera multa reliquit dialectica, mathematica, physica, metaphysica, ethica, theologica [1]. Hugo a s. Caro, doctor Parisiensis, Ordinis FF. Praedicatorum et R. E. Cardinalis, reliquit concordantiam Bibliorum et glossas breves in universam Scripturam secundum quadruplicem sensum [2]. Alexander, anglus, a monasterio Hales, in quo institutus fuit, cognominatus Halensis, Ordinis FF. Minorum, Parisiis tanta cum laude philosophiam et theologiam tradidit, ut doctor irrefragabilis diceretur, scripsit Summam theologicam in 4 partes distributam [3]. Guilielmus, patria Arvernus et episcopus Parisiensis, docte scripsit de Fide, de Sacramentis, de Vniverso, aliisque [4]. S. Raymundus de Pennafort, Barcinonensis, Ord. FF. Praed., Gregorio IX in conficienda Decretalium collectione opem praestitit, scripsitque Summam casuum conscientiae [5]. Vincentius Bellovacensis, Ord. FF. Praed., e variis auctoribus adornavit Speculum triplex, doctrinale, naturale et historiale [6]. Moneta, patria Cremonensis, Ord. FF. Praed. et in ditione Mediolanensi haereticorum inquisitor, edidit libros 5 contra Catharos et Waldenses [7]. Reinerus Sachonius Ord. Praed. et in Langobardia haereticorum inquisitor, scripsit Summam de Catharis et Leonistis. Lucas, episcopus Tudensis in Hispania, reliquit libros 3 de fidei controversiis contra Albigenses [8], et Chronicon [9]. Petrus, monachus Cisterciensis vallis Cernai, edidit Historiam Albigensium [10]. Iacobus de Vitriaco, ex episcopo Ptolemaidis in Palaestina cardinalis episcopus Tusculanus, adornavit libros 3 Historiae orientalis et occidentalis. Rodericus Ximenes, archiepiscopus Toletanus, reliquit libros 9 de rebus Hispaniae cum brevi historia Gothorum, Suevorum, Alanorum, Vandalorum et Arabum. Matthaeus Paris, anglus, Ordinis s. Benedicti, collegit historiam rerum anglicanarum ab an. 1067 usque ad 1259 [1].

26. *Alexander IV, Pontifex* (*an.* 1254) — Innocentius Pp. IV, VII° idus decembris 1254, Neapoli supremum diem obiit et in Templo maiore sepultus est. Ei pridie eiusdem mensis idus, comitiis in eadem urbe habitis, suffectus est Raynaldus episcopus Ostiensis et Veliternus, pietate, humilitate et mansuetudine spectatissimus, qui sub Alexandri IV nomine Ecclesiam gubernavit usque ad annum 1261. Is Ordines Mendicantes contra eorum adversarios tuitus est; lites contra eosdem in Vniversitate Parisiensi excitatas composuit, mandavitque doctoribus saecularibus, ut illis magisterium et cathedras, quibus privati fuerant, redderent; Guilielmum a s.-Amore, sacrae Facultatis doctorem et praecipuum turbarum auctorem, ecclesiasticis beneficiis privavit, ex albo Doctorum expunxit, eiusque librum de periculis novissimorum temporum, contra Ordines Mendicantes editum, damnavit et igni devovit. Varias diversorum nominum congregationes eremitarum sub eadem s. Augustini regula, sub eodem habitu et eiusdem Prioris generalis regimine adunavit. Vniversitatem Salmanticensem, ab Alphonso X rege Castellae instauratam, confirmavit, concessitque, ut doctoratus laurea in ea insigniti, professorum munere fungi possent in omnibus Academiis, Bononiensi et Parisiensi exceptis. Ad exscindendas in Galliis Waldensium et Albigensium reliquias, postulante s. Ludovico rege, Inquisitionis officium ibi demandavit Provinciali FF. Praedicatorum et Guardiano Franciscanorum [2]. —Veritatem Stigmatum s. Francisci comprobavit testimonio suo [*]. —Alia, quae Alexander Pp. IV gessit, infra videbimus.

---

1) Lugdun. 1651, 21 tom. in-fol.
2) Venet. 1737, 8 tom. in-fol.
3) Venet. 1575. 4 vol. in-fol.
4) Aurel. 1674, 2 vol. in-fol.
5) Lugdun. 1728 et Veron. 1744 in-fol.
6) Duaci 1624, 4 vol. in-fol.
7) Romae 1743, in-fol.
8) Ingolstad. 1612.
9) *Hispan. illustrat.* t. IV.
10) Trecis 1615, in-8°.

---

1) Londin. 1640, 2 vol. in-fol.
2) Raynald. ad an. 1254-61.
*) *Bullarii* t. I, Constit. 4; et apud Raynald. ad an. 1255, § 27. S. Bonaventura, in *Legenda* S. Francisci c. 13, t. VII *Oper.*, haec habet: *Summus Pontifex Alexander cum populo praedicaret coram multis fratribus, et me ipso affirmavit, se dum Sanctus viveret stigmata illa sacra suis oculis conspexisse.* — Pagius, in *Vita* huius Pontificis § 12, subiungit: *Eadem stigmata ante Alexandrum IV iam commendaverat Gregorius IX anno 1237, apud Waddingum ibidem n. 1 et seq., et postea Nicolaus III literas Gregorii IX confirmavit, ut videre est apud*

27. *Ecclesiae status in Italia et Germania* — Porro post mortem Friderici imperatoris II, quae accidit an. 1250, ut supra vidimus[1], Conradus filius eius, iam a R. Pontifice propter crimina sua excommunicatus, e Germania in Italiam copias duxit, Apuliam atque Siciliam subegit, omnesque R. Pontifici deditos insectatus est. Innocentius Pp. IV contra eum imploravit opem Francorum, regnumque Siciliae obtulit Carolo Andegavensi, fratri s. Ludovici regis: sed quo minus istud negotium efficeretur, obstabat regis, tunc in Oriente agentis, absentia. Conrado an. 1254 extincto, regnum Siciliae occupavit Manfredus, filius nothus Friderici II. Cum eo concordiam tentavit Alexander Pp. IV; sed Manfredus omnes Pontificis propositiones reiecit, Mauros in exercitu suo stipendia merentes, in terras R. Ecclesiae immisit, aliaque iniqua perpetravit, propter quae merito ab Alexandro IV anathemate fuit perculsus. Vrbanus IV, Alexandri successor, an. 1263 rursus regnum Siciliae obtulit Carolo Andegavensi, qui cum copioso Francorum exercitu in Italiam profectus, et an. 1266 Romae a Clemente Pp. IV rex coronatus est—cum conditione pendendi quotannis octo millia unciarum auri die festo s. Petri, equum item albi coloris, et redeundi Regnum ad Sedem Apostolicam deficiente stirpe Caroli.*—Hic eodem anno Manfredum in campis Beneventanis vicit caeditque, et utraque Sicilia potitus, regni sedem constituit Neapoli.

In Germania rerum status tristem in modum erat perturbatus. Guilielmus an. 1247 a plerisque principibus imperator electus, non nisi aegerrime factiones compescuit, cumque an. 1256 in bello contra rebelles Frisios occubuisset, secutae sunt dissensiones inter principes Germanos in eligendo successore; alii Richardum comitem Cornubiae et regis Angliae fratrem, alii Alphonsum regem Castellae elegerunt. Propter has dissensiones et contentiones, quas RR. Pontifices, Alexander IV, Vrbanus IV et Clemens IV, frustra componere conati sunt, interregnum in Germania duravit usque ad an. 1273. Disciplina vero ecclesiastica tum in clero tum in populo Germaniae erat collapsa, in clero scientia, fervor et morum castimonia, in coenobiis sincera pietas et regularis observantia desiderabantur. De his malis, praesertim de publica clericorum cum mulieribus cohabitatione, ed incongruo eorum habitu, turpi negotiatione et ignorantia, graviter quaestus est Conradus archiepiscopus Coloniensis in synodo provinciali, an. 1260 habita, in qua ad corrigendos abusus 14 capitula, et pro reformatione monachorum 28 statuta edidit [1]. In eumdem finem Guido presbyter cardinalis, Apostolicae Sedis legatus, an. 1267 synodum celebravit Viennae in Austria, in qua 19 capitula promulgata sunt de vita, castitate et correctione clericorum, de visitatione ecclesiarum, de pluralitate beneficiorum, de aliis [2]. Magnam quoque operam reformandis moribus et restituendae pietati navabant pii monachi Franciscani et Dominicani, per Germaniam vicinasque regiones diffusi. Eorumdem religiosorum sermonibus Cumanorum natio, commorans ad Moldaviam et os Danubii, an. 1227 ad suscipiendam Religionem christianam adducta est, quorum conversionem perfecit archiepiscopus Strigoniensis, ab Apostolica Sede ad eam nationem legatus [3].

28. *Religionis status in Russia et regionibus septentrionalibus* — Isti religiosi viri, praesertim Dominicani, usque in Russiam penetrarunt, ubi multos ab erroribus ad Ecclesiae unitatem reduxerunt. Rutheni iam a saec. X christianam fidem profitebantur [4], sed lapsu temporis ad varios errores et ad schisma graecum defecerant. Annis vigesimis huius saeculi plures Ruthenorum principes Guilielmum episcopum Mutinensem, Sedis Apostolicae in septentrione legatum, rogarunt, quatenus eos sinceram Evangelii doctrinam doceret. Qua re audita Honorius Pp. III an. 1227 principes istos litteris hortatus fuerat, ut abiectis erroribus ad R. Ecclesiae obsequium redirent [5]. An. 1246 Daniel, inter principes Ruthenos potentissimus, suo suorumque nomine obedientiam R. Ecclesiae professus est, et a Pontifice legatum regisque titulum petiit. Innocentius Pp. IV votis eius annuit, Albertum archiepiscopum Livoniae et Borussiae, in Russiam legavit, eique mandavit, ut ecclesiis Ruthenorum praeficeret episcopos idoneos sive e clero saeculari sive e Dominicanorum et Franciscanorum familiis; praeterea sacerdotibus Ruthe-

eundem in Regesto ad t. II. Postea Benedictus IX eorundem stigmatum festum celebrari, Officium vero etiam Paulus V recitari concessit. —[1]) Pag. 60.
*) Raynald. ad an. 1267, § 4; Spondan. § 8.

[1]) Labbe, *Concil.* t. XI, p. 783.
[2]) Ibid. p. 858.
[3]) Raynald. ad an. 1227 et 1229.
[4]) Vid. t. I, p. 256-57, et 262.
[5]) Raynald. ad an. 1227.

nis usum panis fermentati et aliorum rituum, qui non essent oppositi catholicae fidei, indulsit [1].

In Livonia, Estonia et Borussia Religio christiana magis magisque propagabatur. Alexander Pp. IV ad stabiliendam in istis provinciis ecclesiastici regiminis formam, anno 1225 metropoliticam dignitatem cum potestate instituendi episcopos confirmavit archiepiscopo Rigensi [2]. In Dania, Norwegia, Suecia aliisque septentrionis regionibus fides catholica conservata fuit; sed frequentium bellorum tumultu ecclesiarum status saepe perturbatus est. Innocentius Pp. IV an. 1250 ab archiepiscopo Ypsalensi eiusque suffraganeis interpellatus contra abusum, quo in Suecia episcopi a sola saeculari potestate eligebantur, mandavit, ut episcoporum electiones essent apud canonicorum Capitula, electi vero neque regi neque alii hominium praestarent, quum nulla regalia aut feuda haberent [3]. Cum etiam in Dania libertas atque dignitas ecclesiastica in magnum discrimen essent adductae, episcopi Dani anno 1257 synodum coëgerunt, in qua ad illas tuendas promulgarunt quatuor decreta [4].

29. *Ecclesiae status in Gallia et Hispania* — In Gallia sub s. Ludovico rege IX, qui nihil magis cordi habebat, quam ut Religio et sincera pietas in regno suo florerent, res ecclesiasticae et civiles prospero erant in statu. Rex ad instaurandam disciplinam ecclesiasticam et corrigendos abusus cogendis synodis auxilium prestitit. Extat autem in *Bibliothecis* Patrum et in collectionibus Conciliorum sub regis huius nomine sanctio pragmatica, in qua mandatur 1°, ut ecclesiarum praelatis patronis et beneficiorum collatoribus sua iura integra serventur; 2°, ut electiones ecclesiarum cathedralium et aliarum in toto regno sint liberae, suumque effectum integrum habeant; 3°, ut pestiferum simoniae crimen a regno penitus eliminetur; 4°, ut promotiones, collationes, provisiones et dispositiones dignitatum et beneficiorum ecclesiasticorum fiant secundum dispositionem iuris communis, sacrorum Conciliorum et Patrum antiquorum; 5°, ut libertates, iura et privilegia, ecclesiis, monasteriis, locis piis et personis ecclesiasticis a regibus Galliae concessa, rata et firma maneant. Praeter haec 5 capitula, quae sanctio praedicta continet, prout extat in *Bibliothecis* Patrum, in aliis eius editionibus habetur capitulum 6, positum quinto loco, quod sic sonat: « Item exactiones et onera gravissima pecuniarum, per curiam Romanam Ecclesiae regni nostri imposita, quibus regnum nostrum depauperatum extitit, vel etiam imponenda, levari aut colligi nullatenus volumus, nisi dumtaxat pro rationabili, pia et urgentissima causa vel inevitabili necessitate et de spontaneo et expresso consensu nostro et Ecclesiae regni nostri ». Verum hanc sanctionem pragmaticam, cuius per 200 annos et amplius a tempore, quo condita perhibetur, nullus scriptor meminit, merito suspectam habet Thomassinus, supposititium aut saltem falsum esse praedictum capitulum contra Curiam Romanam, evincunt A. Charlas et alii [1].

In Hispania simul cum christianorum principum imperio Religionis ambitus dilatatus est. Hac in re plus caeteris regibus praestiterunt Ferdinandus III rex Castellae et Legionis et Iacobus I rex Aragoniae. Ferdinandus, qui ab an. 1217 usque ad 1252 regnavit et propter vitae integritatem in Ssrum numerum relatus fuit, civitates plures et provincias Mauris eripuit, in quibus, depulsa mahometica superstitione, Religioni christianae priscum splendorem reddidit, ecclesias instauravit, sedesque episcopales restituit [2]. Iacobus, qui regno Aragoniae ab anno 1213 usque ad 1276 praefuit, glorioso *expugnatoris* titulo insignitus, 30 victorias de Mauris retulit, eos e Maiorica et Minorica, seu Insulis Balearibus, e regno Valentiae aliisque terris pepulit, et ex auctoritate Gregorii Pp. IX Maurorum delubra in ecclesias convertit, episcopos constituit, aliaque ad restituendam ubique christianam Religionem effecit [3].

30. *Flagellantium secta* — In Italia, ubi Friderici II et Manfredi tyrannide, et factionum praesertim Gibelinorum et Guelphorum discordiis bellisque, statum rerum ecclesiasticarum et civilium perturbatum vidimus,

---

1) Raynald. ad an. 1246-47.
2) Epist. 312, l. I.
3) Raynald. ad an. 1250.
4) Labbe, *Concil.* t. XI, p. 772.

1) Thomassin, *Discipl. eccl.* part. II, l. 3, c. 33, part. III, l. 1, c. 44; Charlas, *Libert. Eccl. Gall.* l. I, c. 15; Roncaglia, *Animadv.* in Natal. Alex. *Hist. eccl. saec. XIII*, c. 10, a. 3; Thomassy, *De la pragmatique sanction attribuée à s. Louis*, Paris 1844.
2) Bolland. *Acta SS.* 30 maii; Mariana, *De rebus Hispan.* l. XII-XIII.
3) Mariana, ibid.

an. 1260 ortum habuit secta Flagellantium, cuius originem monachus Paduanus sic refert: Quum Italia multis esset flagitiis inquinata, quaedam subitanea et a saeculo inaudita superstitio invasit primo Perusinos, postmodum Romanos, deinde universos fere Italiae populos. In tantum divinae iustitiae timor irruit in eos, ut nobiles et ignobiles, senes et iuvenes, corporibus ab umbiculo et sursum nudis diu noctuque bini incederent, sacerdotibus cum crucibus et vexillis praecedentibus, cum gemitu et ploratu scapulas suas usque ad sanguinis effusionem flagellis caedentes per dies 33 in honorem vitae passibilis Christi Domini. Silebant omnia cantica laeta et instrumenta musica et nonnisi lugubris poenitentium cantus in civitatibus et villis audiebatur, quo corda etiam saxea movebantur. Mulieres quoque, etiam matronae nobiles et virgines, eidem poenitentiae se sociarunt, sed tantum in cubiculis. Dissidentes ad concordiam redibant, usurarii et raptores male parta restituebant, peccatores sua crimina humili confessione expiabant [1].

Eamdem poenitentiae publicae devotionem penetrasse in Germaniam, testatur H. Stero [2]. Quum vero ea neque Apostolicae Sedi neque Episcopis probaretur, brevi post sicut quaevis res immoderate concepta, tepescere coepit. Tandem in superstitionem imo in haeresim degeneravit male ordinata devotio; contenderunt quippe Flagellantes, neminem a peccatis absolvi posse, qui sectae suae non esset adscriptus, seque invicem, quamvis laici essent, audita confessione a peccatis absolvebant [3].

31. *Ioachitae* — Erant hac aetate alii fanatici homines, perversorum errorum magistri, appellati Ioachitae, seu Ioachimitae, a Ioachimo abbate Floriacensi, de quo supra diximus [4]. Illi e scriptis huius abbatis male intellectis et e propriis deliramentis finxerunt tres Religionis status: primum, qui a mundi creatione duravit usque ad Christum natum, appellabant regnum Patris, in quo Religionis regimen demandatum fuit coniugatis et homines vivebant secundum carnem; secundum, qui a Christo nato usque ad hanc aetatem duravit, vocabant regnum Filii, in quo regimen Ecclesiae fuit apud clericos, et homines vivebant inter carnem et spiritum; tertium ab hac aetate semper duraturum et caeteris duobus perfectiorem, appellabant regnum Spiritus S., in quo Ecclesiae regimen erat proprium monachis nudipedibus, et homines viverent secundum spiritum.

Haec commenta latius evolvit auctor libri, qui inscriptus erat *Evangelium aeternum*. Quis fuerit istius libri, quem Alexander Pp. IV an. 1254 condemnavit, auctor, disputant eruditi. Anno 1260 synodus Arelatensis declaravit, Ioachitas haereticorum loco esse habendos, et sub anathematis poena prohibuit, ne quis libris aut commentariis, in quibus illorum errores continerentur, uteretur [1]. Eadem commenta de triplici Religionis seu Ecclesiae statu deinceps ab aliis in medium prolata videbimus.

32. *Vrbanus IV, Pontifex* (*an.* 1261) — Post Alexandri IV obitum, qui contigit VIII calendas iunias 1261, Apostolica Sedes vacavit amplius duobus mensibus propter Cardinalium discordiam; deinde concordibus eorum suffragiis extra collegium electus fuit Vrbanus IV, antea appellatus Iacobus Pantaleon, qui Augustae Trecarum in Gallia celtica natus, primo canonicus Trecensis, deinde archidiaconus Leodiensis, Sedis Apostolicae in regionibus septentrionalibus legatus, episcopus Verdunensis, demum patriarcha Hierosolymitanus, hoc tempore in Italiam venerat de Palaestinae rebus acturus.

Hic Pontifex lugubres litteras scripsit ad s. Ludovicum regem Galliae de calamitatibus Terrae sanctae, eiusque auxilium imploravit et pro subsidio Christianorum Syriae centesimam redituum ab ecclesiis Galliae per quinquennium exegit. Pro recuperanda Constantinopoli quam Michaël Palaeologus anno 1261 expugnavit, cruciatam expeditionem indixit; deinde acceptis ab eodem imperatore litteris, de negotio unionis cum eo tractavit, ut supra diximus [2]. Regulam a s. Francisco virginibus s. Clarae traditam, non nihil mitigavit et teneri sexus infirmitati accommodavit, unde quae sic mitigatam eam regulam profitentur, appellantur Vrbanistae. Festum Corporis Christi, quod secundum revelationem s. Iulianae virgini in coenobio montis Cornelii prope Leodium factam, Robertus episcopus Leodiensis an. 1246 pro ecclesia sua approbaverat, in universa Ecclesia quotannis feria V post octavam Pente-

1) *Chronic.* l. III.
2) *Chronicon*, apud Canis. *Antiq. lect.* t. I.
3) Natal. Alex. *Hist. eccl.* saec. XIII, c. 3, a. 5.
4) Vid. p. 49.

1) Labbe, *Concil.* t. XI, p. 2360; Natal. Alex. *Hist. eccl.* saec. XIII, c. 3, a. 4.
2) Vid. p. 61.

costeos celebrandum instituit secundum Officium a s. Thoma Aquinate compositum[1]. — Vetuit, ne quis citra permissum Pontificis (quod antiquitus cautum fuisse legimus) in Vaticana Basilica tumularetur[*].

33. *S. Thomas Aquinas* — S. Thomas Aquinas, qui hoc ipso tempore floruit, nobilissima comitum Aquinatum familia natus anno 1225, a monachis Casinensibus pietate litterisque institutus, postquam Neapoli grammaticam, dialecticam et physicam didicisset, an. 1243 Ordini FF. Praedicatorum nomen dedit. Parisiis atque Coloniae B. Alberto Magno in philosophicis atque theologicis disciplinis magistro usus est; deinde in Parisiensi et in nonnullis Italiae Academiis tanto cum applausu sacram theologiam tradidit, ut Doctoris Angelici praeconium meruerit. Archiepiscopatum Neapolitanum, sibi a Clemente Pp. IV oblatum, constanter recusavit. A Gregorio Pp. X ad generale concilium Lugdunense II postulatus, in itinere morbo correptus est, et an. 1274 in monasterio Cisterciensi decessit[2]. Vir sanctitate, eruditione, ingenii subtilitate et foecunditate plane eximius, theologorum facile princeps, reliquit plurima opera, inter quae eminent: Commentarii in libros Aristotelis, *Summa* Fidei contra gentiles, Commentarii in sacram Scripturam et in 4 libros Sententiarum, Summa Theologiae, Quaestiones quodlibeticae et disputatae, Opuscula de variis argumentis[3].

S. Bonaventura — D. Thomae aequalis fuit s. Bonaventura, qui an. 1221 Balneoregii in Hetruria natus et an. 1243 Ordinem s. Francisci ingressus, Parisiis magistrum habuit Alexandrum de Hales. Postquam Doctoris laurea insignitus, sacram theologiam in Vniversitate Parisiensi tradidisset, anno 1256 electus fuit Generalis Ordinis minister, deinde a Gregorio Pp. X constitutus Cardinalis et episcopus Albanensis, obiit anno 1274[4]. Vitae sanctitate ac doctrina clarus, reliquit expositiones in Libros sacros, Commentaria in Magistrum Sententiarum, Sermones, Opuscula moralia atque ascetica[1].

34. *Clemens IV, Pontifex* (*an.* 1265) — Quum Vrbanus IV postridie calendas octobris 1264 Perusiae obiisset, Apostolica Sedes vacavit 5 mensibus, post quos communi Cardinalium suffragio electus fuit Guido Grossus, Gallus, cardinalis episcopus Narbonensis, vitae probitate, iuris peritia et in rebus gerendis solertia commendandus, qui sub nomine Clementis IV Ecclesiam gubernavit 3 annis et 9 mensibus. Quid hic Pontifex pro componendis rebus Siculis egerit, quidque pro terminanda lite inter Richardum et Iacobum de imperio contendentium ac pro conciliando unione Ecclesiae Graecae cum Latina tentaverit, supra significavimus. Iacobo Aragoniae et Alphonso Castellae regibus ad prosequendum bellum contra Mauros centesimam partem redituum ecclesiasticorum in eorum regnis concessit. A Bela rege Hungariae adversus Tartaros, qui Hungaris et Polonis minitabantur, interpellatus, Colociensi et Strigoniensi archiepiscopis potestatem fecit praedicandi cruciatam militiam. Ad restituendam pacem in Dania, ubi iunioris regis Erici inertia discordiae fovebantur, et praesules ecclesiastici multis vexis erant obnoxii, illuc destinavit Guidonem cardinalem, eique Sedis Apostolicae legationem pro Dania finitimisque regionibus credidit. In Angliam, in qua baronum in Henricum regem III rebellionibus res publicae deperibant, legavit Ottobonum diaconum cardinalem, qui coacta an. 1267 apud Nortantoniam synodo, rebelles excommunicationi subdidit et regi per 7 annos decimam ecclesiasticorum proventuum concessit, si necessitas gerendi contra rebelles belli id exigeret; ad reformandam vero disciplinam in clero, in monachis et populo anno sequente nationalem synodum ex Anglia, Scotia et Hibernia indixit Londini, in qua 54 capitula edita sunt[2].

Magno dolore affectus est Clemens IV e progressionibus Turcarum in Syria et Palaestina; christianos principes maxime s. Ludovicum regem Galliae, ad opem christianis Syriae ferendam excitavit, eique decimam

---

1) B. Fisen, *Origo prima festi Corporis Christi*, Leod. 1628, in 12°; I. Bertholet, *Histoire de l' institution de la Fête-Dieu*, Liège 1746, in 4°; Sandini, *Vitae RR. PP.*, *Vrbanus IV.*

*) Mabillonius, *Musei Italici* t. I, ubi refert Diploma Vrbani IV, ea de re ad Capitulum Basilicae Vaticanae.

2) A. Touron, *Vie de s. Thomas d' Aquin*, Paris 1737, in-4°; De Rubeis, *Vita et gesta s. Thomae Aquinatis*, Venet. 1750, in-fol.

3) Romae 1570, 18 tom., et Paris 1636, 23 tom. in-fol.

4) P. Boule, *Histoire abrégée de la vie, des vertus et du culte de s. Bonaventure*, Lyon 1747, in-8°.

1) Romae 1588, 8 vol. in-fol., Venet. 1751-56, 14 vol. in 4°.

2) Labbe, *Concil.* t. XI, p. 857 et 866.

redituum ecclesiasticorum in regno suo per triennium pro bello sacro dedit[1].

35. *Cruciata II s. Ludovici* — S. Ludovicus una cum tribus filiis suis crucem e manu Simonis cardinalis legati suscepit; eius exemplum secuti sunt regni proceres, item Carolus rex Siciliae et Eduardus regis Angliae filius, pluriumque millium exercitus collectus est. Convenit inter principes, ut per maritimas Africae oras trasmitterent. Ludovicus Francorum rex pervenit usque in portum Tunetum, sed cum urbem obsideret, multi milites et rex ipse an. 1270 pestilentia sublati sunt[2]. Philippus II, s. Ludovici filius et successor, cum Carolo rege Siciliae Tunetanam obsidionem continuavit, deinde propter invalescentem hyemis asperitatem et annonae penuriam cum rege Tuneti decennes inducias composuerunt, in quibus inter alia stipulatum est, ut Christiani captivi libertati redderentur et religio christiana in toto regno libere praedicari et exerceri posset. Post quae Carolus et Philippus misso itinere Syriaco, cum exercitu domum remigrarunt. Eduardus Anglus iter in Syriam prosecutus est, rem forti animo gessit, sed cernens crucigerorum vires valde attritas, omnique spe accipiendi auxilii carens, an. 1272 cum hostibus inducias pepigit ea lege, ut ambae partes belligerantes loca iam occupata retinerent[3].

36. *Gregorius X, Pontifex* (*an.* 1271) — Interea an. 1268 exeunte mense novembri Clemens Pp. IV Viterbii decessit. Tunc propter dissensiones Cardinalium Apostolica Sedes vacavit 2 annis et 9 mensibus, post quos Cardinales potestatem eligendi Pontificis refuderunt in sex e collegio, qui sic per compromissum an. 1271 elegerunt Viterbii Theobaldum Placentinum, archidiaconum Leodiensem*, probitate, prudentia et rebus praeclare gestis in Syria commendatum. Electione per caeterorum Cardinalium assensum approbata, Theobaldus consecratus fuit sub nomine Gregorii X et Ecclesiam gubernavit usque ad annum 1276; an. 1274 Lugduni celebravit Concilium generale, ut mox videbimus; pacandis Italiae provinciis et extinguendis Gibelinorum et Guelphorum factionibus constantem operam navavit; conciliandae inter principes christianos concordiae studuit; imperii res inter competitores sic composuit, ut Alphonsus rex Castellae, si quid iuris sibi ex electione sua obtigisset, eo cesserit, et Rodulphus comes Hasburgensis, an. 1273 post mortem Richardi Angli a principibus Germanis electus, ab omnibus susciperetur, qui domitis factionibus et dissensionibus, Germaniam pacavit.

37. *Concilium Lugdunense II*, *generale XIV* (*an.* 1274) — Prae primis Gregorius X cordi habuit christianorum statum in Syria, unionem ecclesiae Graecae cum Latina et morum reformationem. Propter has causas litteris encyclicis antistites et principes ex Oriente et Occidente convocavit ad generale concilium, Lugduni calendis maii 1274 inchoandum. Convenerunt ad hoc concilium 500 episcopi, 70 abbates, alii praelati 1,000: adfuerunt etiam legati Michaëlis Palaeologi imperatoris Graecorum et oratores regum Germaniae, Galliae, Angliae, Siciliae; praesedit Pontifex ipse, curam vero dirigendi concilii demandavit s. Bonaventurae, qui ideo a quibusdam praesedisse dicitur. Coeptum est concilium nonis maii 1274 et intra 3 menses sex sessionibus absolutum. I[a] Sessione Gregorius X orationem habuit de causis, propter quas Patres erant convocati. II[a] Sessione alteram de iisdem fere causis allocutionem habuit. Inter utramque sessionem cum episcopis et abbatibus convenit de decimis redituum ecclesiasticorum in subsidium Ter-

---

1) Raynaldus et Spondanus, ad an. 1265-68.
2) Joinville, *Vie de s. Louis*; Bolland. *Acta SS.* 25 august.
3) Raynaldus et Spondanus, ad an. 1270-72.
*) *Reperimus alicubi*, ait Spondanus, ad an. 1271, n. 5, *expetitum tunc fuisse B. Philippum Benitium Florentinum Ordinis Servorum ob insignem miraculorum eius famam*; *illum re cognita apud montem Tuniatum delituisse*, *quo usque facta esset electio alterius*. Archangelus Gianius, in *Annalibus Ordinis Servorum* t.I, Centur. 1, l. III, c.17, subiungit: *Id vero indicant cum perantiqua scriptorum traditio tum vetustae eius imagines Pontificiam tiaram ad pedes habentes, tum etiam temporum illorum usus, quando in huiusmodi vacatione dissidentibus Cardinalibus, alii etiam non Cardinales, etiam Regulares et Eremitae in Pontifices eligebantur. Nam defuncto Alexandro IV eligitur Vrbanus IV, non Cardinalis; post ipsum parum abfuit, quin eligeretur F. Ioannes Vercellensis Generalis Praedicatorum, cuius loco electus fuit Guido Fulcodius absens, nec talia praesumens. Sic Eugenius III ex simplici Abbate Trium Fontium Cisterciensi; sic Vrbanus V, ex simplici Abbate s. Victoris Massiliae; sic Clemens V, ex simplici Burdegalae Archiepiscopo; sic Vrbanus II, sic Caelestinus V ab eremo praeter intentionem ad Pontificatum evectus.* Vid. Benedictum XIV, *De Servorum Dei Beatif. et Beator. Canoniz.* l. III, c. 31, n. 3.

rae sanctae per sexennium conferendis. Post II[m] sessionem adlatae sunt litterae Hieronymi et Bonagratiae FF. Minorum, qui Constantinopolim legati, scribebant, se quam primum ad concilium venturos cum nuntiis Graecorum, qui imperatoris et episcoporum nomine obedientiam R. Ecclesiae profiterentur. III[a] Sessione lectae sunt aliquot constitutiones. Posthaec advenerunt Graecorum legati, qui honorifice excepti sunt, et in missa sollemni a Pontifice celebrata, dum symbolum cantabatur, ter repetiverunt: *Qui a Patre Filioque procedit.* Advenerunt etiam legati Abagae regis Tartarorum, qui cum principibus christianis foedus contra Turcas inire optabat. IV[a] Sessione lectae sunt literae Michaëlis imperatoris et episcoporum Graecorum, in quibus secundum praescriptam sibi formulam profitebantur fidem catholicam, praesertim processionem Spiritus S. e Patre et Filio atque primatum R. Pontificis in universam Ecclesiam, simul postulabant, ut sibi sicut ante schisma, liceret symbolum recitare, eosque ritus conservare, qui neque Fidei aut s. Scripturae neque divinis praeceptis aut ss. Patrum vel Conciliorum decretis essent contrarii; et postquam Graecorum legati abiecto schismate, eamdem Fidei professionem in concilium fecissent, utriusque Ecclesiae unio conclamata est *. V[a] et VI[a] Sessionibus lectae sunt plures constitutiones, et Pontifex finem concilio constituit. Extant huius concilii 31 canones seu constitutiones; quorum 1° definitur, Spiritum S. procedere ex Patre et Filio, non tanquam ex duobus principiis et duabus spirationibus, sed tanqum ex uno principio et unica spiratione; 2° praescribuntur leges de conclavi pro electione R. Pontificis; 3°-11° agitur de electionibus, postulationibus et provisionibus ecclesiarum, praesertim episcopalium; 12° excommunicantur quicumque regalia, custodiam advocationis, vel defensionis titulum in ecclesiis, monasteriis vel aliis locis de novo usurpare tentantes, ecclesiarum, monasteriorum aut piorum locorum vacantium bona occuparent; reliquis decernitur de iis, qui assumendi sunt ad ecclesias parochiales, de temporibus sacrarum ordinationum et ordinandorum dotibus, de bigamis, de officio iudicis ordinarii, de praebendis et dignitatibus, de religiosis familiis, aliisque [1].

38. *Innocentius V Pontifex* (*an.* 1276) — Absoluto concilio Gregorius Pp. X in Italiam regressus est; cum pervenisset Aretium, multaque de recuperanda Palaestina animo volveret, IV idus ianuarii 1276 morte interceptus fuit. Post eius obitum Cardinales in conclavi conclusi, elegerunt Innocentium V, antea appellatum Petrum de Tarantasia, vitae probitate et eruditione clarum, qui primus ex FF. Praedicatorum familia summus Pontifex creatus est. Is Aretio profectus Romam in aede Principis Apostolorum Pontifex est inauguratus; dissidia Genuensium componere conatus est, Pisanos Lucensibus conciliavit, pluraque pro Ecclesiae bono ac splendore meditabatur, quum morbo correptus XI calendas iulias, post 5 menses Pontificatus decubuit.*

Hadrianus V—Brevior fuit pontificatus Hadriani V, Genuensis, antea appellatus Ottobonus Fliscus, cardinalis diaconus.—Qui post mortem Clementis IV, missus ad s. Philippum Benitium, ut ei Pontificiam dignitatem offerret, tulit ab eo, summum hunc in terris gradum abnuente, responsum, se ad tantum fastigium aliquando evehendum, sed brevi eo potiturum. Statim post suam electionem constitutionem Gregorii X, de recludendis Cardinalibus in conclavi pro summi Pontificis electione, suspendit, intendens eam aliter ordinare**. Mox Roma Viterbium contendit, ubi XV calendas septembris, post 37 dies a sua electione necdum suscepta sacra Ordinatione (erat enim diaconus), decessit.

Ioannes XXI—Brevis pariter fuit pontificatus Ioannis XX, vulgo XXI, Lusitani, antea appellati Petri et episcopi Tusculani, qui octavo mense regiminis nondum exacto, idibus maii 1277, camerae ruina oppressus Viterbii occubuit. Is Philippo Galliae et Alphonso Castellae regibus, mutuo inter se bello expeditionem Syriacam, quam prior parabat, retardantibus, inducias imperavit; Petro regi Aragoniae ad propulsandos Mauros, et Guidoni comiti Flandriae atque marchioni Namurcensi, arma pro defensione Syriae paranti, decimas redituum ecclesiasticorum in eorum ditionibus concessit; constitutionem

———

*) Inter alia statutum est, ut Cardinales inclusi in conclavi *nullo intermedio pariete, seu alio velamine, omnes habitent in communi.* Nullus ad eos pateat aditus, nullum eis liceat nuntium audire, nullam accipere aut dare epistolam, neminem alloqui sub anathematis poena. Sed leges conclavis processu temporis paululum variatae sunt; explicanturque a Panvinio in annot. ad Platinam, p. 179.

———

1) Labbe, *Concil.* t. XI, p. 938 seq.

*) Sandini, *Vitt. citt., Innocent. V.*

**) Apud Raynaldum, ad an. 1276, n. 26.

Gregorii X de legibus conclavis abrogavit; unde eius successores usque ad Caelestinum V sine conclavis reclusione creati sunt.—Legatos misit ad Michaëlem Paleologum, ut ratam faceret pacem Ecclesiae Graecae cum Latina iuratam ab eius oratoribus in Concilio generali Lugdunensi II.

Nicolaus III — Post obitum Ioannis XXII Apostolica Sedes propter dissensionem Cardinalium vacavit 6 mensibus, post quos Cardinales, a Viterbiensibus longioris morae pertaesis in Vrbis praetorium inclusi, elegerunt Ioannem Caietanum-Vrsinum, cardinalem diaconum,—cui adhuc parvulo s. Franciscus summum Pontificatum praenuntiaverat*—, et sub Nicolai III nomine Ecclesiam gubernavit 1 anno et 9 fere mensibus. Is animi magnitudine, morum integritate et sigulari in rebus gerendis prudentia claruit; conciliandae inter Galliae et Castellae reges concordiae et restituendae in Italia paci atque abolendis Gibelinorum et Guelphorum factionibus adlaboravit; magni Tartarorum chani legatos excepit, et cum iis misit 5 viros religiosos ex Ordine FF. Minorum Evangelium apud illos praedicatum. Eius consilio Rodulphus rex Germanorum omnes donationes, privilegia et iura, a regibus et imperatoribus R. Ecclesiae facta ac concessa, rata habuit, Ludovici Pii, Ottonis M. et Henrici II in eamdem rem diplomata confirmavit et ab electoribus imperii comprobari iussit [1].— In conferendis sacerdotiis viros pios et religiosos praeoptavit doctioribus, dicere solitus, *doctrinam vitae probitate destitutam venenum esse immedicabile*. Eidem attribuunt historiae, quod magnus eleemosynarius fuerit, quod devotissime celebrabat, et semper in Missis flebat [2]. Ad impetrandam pacem inter principes christianos statuit, in Missa sollemni, postquam Sacerdos dixit: *Pax Domini*, ante *Agnus Dei* cantari psalmum *Laetatus sum* cum aliquot versiculis, et *collecta* pro pace [3].

39. *Status Ecclesiae Graecae* — Vidimus supra in concilio Lugdunensi II unionem Ecclesiae Graecae cum Latina conclamatam. Absoluto concilio Gregorius Pp. X cum Graecorum legatis Constantinopolim apocrisiarium misit abbatem Casinensem, eique litteras gratulatorias dedit ad Michaëlem imperatorem eiusque filium Andronicum et ad antistites Graecos, ut abiecto schismate in unione constanter perseverarent. Imperator assensum suum unioni initae testatus est in epistola ad Pontificem, operamque dedit, ut ea effectum suum consequeretur; Iosephum patriarcham Cp. infensissimum unionis hostem, deponendum et Ioannem Veccum, eruditione, fidei sinceritate et morum integritate clarum, in eius locum subrogandum curavit; quotquot e clero vel optimatibus unioni obsistebant, exilio aliisve poenis affecit. Ioannes Veccus an. 1277 Constantinopoli synodum coëgit, in qua unionis negotium confirmatum fuit, obstinati in schismate Ecclesiae communione exclusi et epistola scripta ad Ioannem Pp. XXI, in qua praesules Graeci schisma detestati, R. Pontificis summum perfectumque in universam Ecclesiam primatum, veramque doctrinam de processione Spiritus S., de septem Sacramentis aliisque professi sunt.

Verumtamen plurimi e clero, populo et monachis unionem aversabantur, cum unitis communicare nolebant, gravissimos tumultus et coniurationes in Michaëlem imperatorem excitarunt; multi etiam, qui unioni assenserant, brevi post ab ea defecerunt. Martinus Pp. IV existimans, tam subitae defectionis auctorem esse Michaëlem imperatorem, tanto magis quod imperator promissa christianis contra infideles auxilia non praestaret, bellumque pararet contra Carolum regem Siciliae, illum an. 1281 excommunicatione perculit. Multi tamen putant, Michaëlem usque ad obitum suum (1283) in unione perseverasse et Martinum IV mala fama fuisse deceptum. Andronicus vero Michaëlis filius et successor, schismaticorum tumultibus minisque excitatus, omnem cum Ecclesia latina concordiam abrupit, et deiecto Ioanne Vecco, in sedem Cp. intrusit Georgium Cyprium, unioni infensissimum. Ioannes Veccus, Georgius Metochita et Constantinus Meliteniota, neque exilio neque carcere fracti, Ecclesiae catholicae causam fortiter defenderunt, et a schismaticorum conviciis vindicarunt. Attamen unitorum numerus magis magisque diminutus est [1].

40. *Martinus IV, Pontifex* (*an.* 1281) —

*) Cf Wadding. in *Annalibus Minorum* ad annum 1222, n. 3.

1) Rodulphi diplomata extant apud Raynald. ad an. 1278-79.

2) Ptolomaeus Lucensis, *V. Scriptores Rer. Italicar.* t. II.

3) Bona, *Rer. Liturgicar.* l. II, c. 16, § 4.

1) Georg. Pachymeres, *De gestis Michaëlis Palaeologi*; L. Allat. *De eccl. orient. et occident. perpet. consensione.*

Quum Nicolaus Pp. III xi° calendas septembris 1280 Sorani prope Viterbium obiisset, Sedes Apostolica propter Hannibaldensium et Vrsinorum aemulationem vacavit 6 mensibus, post quos electus est Martinus IV, Gallus, antea appellatus Simon Briensis seu de Bria, presbyter cardinalis, seditque 4 annis et 1 mense. Michaëlem Palaeologum anathematizavit, quod defecisset ab Romanae Ecclesiae societate, quam et per oratores in concilio Lugdunensi, et ipse deinde per se coram legatis apostolicis iuraverat usque servaturum.

41. *Vesperae Siculae* (*an.* 1282) — Altero pontificatus Martini IV anno, Siculi immanissimam coniurationem inierunt contra Gallos, quae nomen *Vesperarum Sicularum* accepit. Etenim Petrus III, rex Aragoniae, Caroli Andegavensis, qui sublatis aemulis utriusque Siciliae regnum fuerat adeptus, fortunae invidens, et propter coniugium suum cum Constantia, Manfredi quondam regni Siculi usurpatoris filia, sibi ius ad illud contendens, Siculos iugum Gallorum aegre ferentes, ad rebellionem excitavit. Anno 1282 die sacro Paschatis dum campanarum sonitu populus ad vespertinos hymnos convocabatur, Siculi arma capessiverunt, et in inermes nihilque mali suspicantes Gallos irruentes, omnes, viros, mulieres, pueros internecione deleverunt. Id primo Panormi, deinde in aliis civitatibus perpetratum est. Duarum horarum spatio, ut refert Frazellus mox citandus, octo Francorum millia occisa fuerunt.

Martinus Pp. IV Caroli regis, qui cum Pontifice in Hetruria agens a caede fuerat praeservatus, iura vindicavit, Siculis sub poena excommunicationis in personas et interdicti in loca imperavit, ut ad R. Ecclesiae, in cuius fide erat Siciliae regnum, et Caroli regis obsequium redirent, et Petrum regem Aragoniae ab invadenda Sicilia deterruit; copiis a Philippo III rege Francorum in Siciliam destinatis, eamdem indulgentiam concessit, quae pro Terrae sanctae defensione dimicantibus concedebatur, Siculos vero qui Petro Aragonio opem ferrent, excommunicationi subdidit. Cum nihilominus Petrus ad occupandam Siciliam classem in eam destinasset, Pontifex eum primo excommunicavit eiusque regnum sacris interdixit, deinde Aragoniae regno ac principatibus Valentiae et Cataloniae privatum declaravit, subditos a iuramento fidei absolvit et Philippo Francorum regi occupandi eius ditiones potestatem fecit. Reipsa Philippus varias Petri urbes occupavit, sed propter ingruentem copiis suis pestilentiam in Galliam redire coactus, anno 1285 Perpiniani decessit. In Sicilia vero bellum inter reges Neapolitanos et Aragonios multis annis perduravit [1].

42. *Honorius IV, Pontifex* (*an.* 1285) — Martino Pp. IV, iv° calendas aprilis 1285 Perusiae vita functo, consentientibus suffragiis electus fuit Iacobus Sabellus, Romanus, cardinalis diaconus, qui nomen Honorii IV assumpsit et Ecclesiam rexit biennio. Iussu eius Arabica et aliae exoticae linguae, ut ad Saracenos et Orientales schismaticos in catholica fide erudiendos perutiles atque adeo necessariae, Parisiis tradi coeptae. Is quoque Caroli II regis Neapolis et Ecclesiae iura adversus Iacobum Aragonium vindicavit; Siculos ad officium redeuntes a censuris absolvi iussit et durioribus oneribus, quibus a Friderico, Conrado et Manfredo fuerant gravati, levavit; Venetos, quos Bernardus, episcopus Portuensis et Martini IV legatus, propter favorem Petro Aragonio praestitum sacris interdixerat, spondentes, se nunquam rebellibus Siculis opem tulisse aut laturos, absolvit; Ladislaum regem Hungariae, qui repudiata legitima coniuge, pellices fovebat, et Tartaros aliosque infideles familiari consortio cum Religionis periculo dignabatur, graviter corripuit, et archiepiscopo Strigoniensi mandavit, ut eum ecclesiasticis censuris in ordinem reduceret [2].

43. *Dissidia Franciscanorum* — Interea dissidia gravia exorta et multis annis continuata sunt in celebri Franciscanorum Ordine de principali regulae praescripto seu paupertate. Eorum primus auctor fuit Elias qui s. Francisci, in Ægyptum profecti, vicibus fungens, regulam in nonullis, praesertim quae possessionem rerum temporalium spectabant, mitigaverat. S. Franciscus ex Ægypto redux, introductas mitigationes abrogaverat, sed post eius obitum idem Elias constitutus Minister generalis, priores suas mitigationes restituit, multosque in partes suas pertraxit, qui etiam post iteratam Eliae depositionem in sua sententia perstiterunt; alii vero primigenium regulae rigorem propugnabant. Innocentius Pp. IV ad restituendam concordiam an. 1245 regulam de paupertate ita interpretatus erat, ut Franciscani fundos, aedes, supellectilia, libros, aliaque habere iisque uti

[1]) Frazell. *De rebus Siculis*, dec. 2, l. VIII, c. 4; Raynaldus et Spondanus, ad an. 1282-1283.
[2]) Raynald. et Spondan. ad an. 1285-87.

possent, eorum vero ius, dominium et proprietas pertinerent ad Apostolicam Sedem. Verum istam interpretationem rigidiores Franciscani evangelicae paupertati, quam voverant, contrariam esse contenderunt; nonnulli ipsam Apostolicam Sedem propter rerum temporalium possessionem aversati, ad Ioachitarum deliramenta delapsi sunt, asserentes, regulam s. Francisci esse Evangelium Spiritus S. in aeternum duraturum. Nicolaus Pp. III, ut gliscentem discordiam extingueret, celebri bulla *Exiit qui seminat* abdicationem proprietatis omnium rerum, quam regula tum in communi, tum in particulari praescribebat, ita exposuit, ut Franciscani librorum aliarumque rerum mobilium usum, ad vitae sustentationem necessarium, sine superfluitate haberent; proprietas vero esset apud Apostolicam Sedem, et ad hanc etiam pertineret dominium domorum, quae vel eleemosynis extructae, vel Ordini in perpetuum donatae fuissent. Huic interpretationi plerique assenserunt, aliqui dissenserunt, qui, ut se contra auctoritatem Ministri generalis tutarentur, an. 1294 confugerunt ad Caelestinum Pp. V, a quo impetrarunt facultatem constituendi separatam Congregationem, ita tamen ut non Fratres minores sed Pauperes eremitae Caelestini appellarentur; sed Bonifacius Pp. VIII, Caelestini successor, istam Congregationem abrogavit, segregesque ad Ministri generalis obedientiam redire iussit. Alii quidem paruerunt, alii vero in Sicilia, Provincia et Occitania coactis coetibus dissensionis semina sparserunt [1].

His in Gallia robur addidit Ioannes Olivi, qui in sua Postilla seu Commentario in Apocalypsim contendit, cum s. Francisco coepisse novum Ecclesiae statum, in quo Romana Ecclesia, quam Babylonem meretricem appellabat, erat reiicienda; regulam s. Francisci, quam Christus et Apostoli ad litteram observaverant, esse proprie Evangelium et tam parum quam evangelium a Pontifice mutari posse. E quibus commentis alia haeretica et blasphema deduxit. Obiit Olivi an. 1297. Ioannes Pp. XXII errores ex eius scriptis excerptos an. 1326 condemnavit, et auctoris ossa exhumata in cineres redacta sunt [2]. Demum nonnulli rebelles Franciscani rigidioris observantiae praetextu ab Ecclesia discesserunt et haereticas sectas constituerunt, ut infra videbimus.

44. *Nicolaus IV, Pontifex* (*an.* 1288) — Quum Honorius Pp. IV III° nonas aprilis 1287 occubuisset, Apostolica Sedes vacavit mensibus amplius 10, post quos communi suffragio electus fuit Hieronymus Tineus, Asculanus, tituli s. Prudentiae cardinalis, qui primus ex Ordine s. Francisci renuntiatus est Pontifex, et non nisi aegre summum sacerdotium suscepit, eoque sub Nicolai IV nomine functus est usque ad annum 1292. Is Siculos ad R. Ecclesiae obsequium redire iussit, Carolum II regem Siciliae et Apuliae coronavit, et Iacobum Aragonium, qui regnum Siciliae invaserat bellumque contra Carolum gerebat, anathemate perculit. Inter Dionysium regem Lusitaniae et clerum concordiam restituit, confectasque inter utramque partem leges de ecclesiarum et personarum ecclesiasticarum libertatibus et iuribus confirmavit. Quum audivisset, magistratus regios in Anglia libertatem iurisdictionis ecclesiasticae impedire, executioni Apostolicarum litterarum de negotiis fori ecclesiastici adversari, causasque ecclesiasticas ad sua tribunalia evocare, imperavit Eduardo regi IV, ut pravas istas consuetudines corrigeret. A senatu Veneto impetravit, ut in eius ditione censores Fidei publico aerario sustentarentur. Ad propagandam Fidem praecones Evangelii e FF. Minorum et Praedicatorum Ordinibus destinavit ad Bulgaros, Tartaros, aliosque. Ad promovenda litterarum et scientiarum studia concessit, ut apud Montempessulanum et Graiacum Academiae erigerentur; Olisipponensem Academiam a Dionysio rege excitatam, confirmavit, eique iura et privilegia conferendi magisterii lauream concessit [1].

45. *Scriptores ecclesiastici* — Scriptoribus ecclesiasticis, qui hac aetate floruerunt, adnumerandi sunt, Rogerius Bacon, anglus, Ordinis s. Francisci et doctor Oxoniensis, qui tanta ingenii solertia naturae arcana et latentes rerum causas indagavit, ut aliquando in magiae suspicionem venerit; inter praecipua eius opera est illud, quod opus maius inscribitur [2]; Henricus Goethals, patria et cognomine Gandavensis, e professore Parisiensi archidiaconus Tornacensis, qui reliquit Sum-

---

1) Wadding, *Annales Minor.* t. III, IV et V.

2) F. Pegna, Comment. 51 in part. II *Director. Inquisit.*; Balut. *Miscellan.* t. I; Natal. Alexand. *Hist. eccl.* saec. XIII-XIV, c. 3, a. 9; Dermitius, *Nitela Franciscana* (Wadding, loc. cit.), Ioannem Olivi ab haeresi vindicare conantur, dicuntque, eum ab invidis sodalibus fuisse falso accusatum.

1) Raynald. ad an. 1288-91.

2) Londini 1783, in-fol. et Venet. 1840, in-4°.

mam Theologiae, Quodlibeta Theologica in IV libros Sententiarum et librum de viris illustribus; Ioannes Duns cognomento Scotus, Ordinis s. Francisci, qui Oxoniae, Parisiis et Coloniae summa cum laude disciplinas philosophicas et theologicas tradidit, pluraque scripta philosophico-theologica reliquit [1]; Natalis Herveus, Ord. Praed. et prof. Parisiens. scripsit Comment. in IV libr. Sentent., Quodlibet. philosoph.-theolog., Quaest. et Tract. de peccato originali, Sacramentis, aliis; Franc. Mayro, Ord. s. Franc. et prof. Parisien. e cuius scriptis supersunt Comment. in Genesim et in Magistr. Sententiar., Quaestion. exegetic. et Tract. theologici; Guilielmus Durandus, e doctore Bononiensi episcopus Mimatensis, qui edidit Speculum et Repertorium iuris atque Rationale divinorum officiorum; Iacobus Ligur, a loco natali dictus de Voragine, e provinciali FF. Praed. archiepiscopus Genuensis, qui scripsit Legendam seu vitas Sanctorum, Chronicon Genuense et Sermones; Martinus patria et nomine Polonus, e poenitentiario Nicolai IV creatus archiepiscopus Gnesnensis, qui reliquit Chronicon a Christo nato usque ad annum 1277 [2].

46. *Christianorum regni in Syria finis* (*an.* 1291) — In Syria vero Christianorum principatus ad ruinam properabat. An. 1289 sultanus Ægypti expugnavit Tripolim et ingentem Christianorum stragem edidit, reliqui confugerunt Ptolemaidem seu Acram, quo etiam se receperunt equites Hospitalarii, Templarii et Teutonici, rex Cypri et Hierosolymorum, patriarcha, aliique. An. 1291 sultanus Ptolemaidem obsedit et undequaque oppugnatam tandem cepit. Christiani terrore fracti et ad resistendum hostibus impares, loca quae adhuc in maris Syriaci ora habebant, reliquerunt, et confugerunt in insulam Cyprum [3].

Eodem anno, quo christianorum principatus in Syria deletus est, sacra aedicula Nazarethana, in qua B. V. M. mundi Salvatorem conceperat, angelorum, ut traditur, ministerio e Syria translata est in summam planitiem montis, Adriatico mari impendentis inter Tersactum et Flumen Dalmatiae,

[1]) Lugdun. 1639, 12 tom. in-fol. Cum Scotus nonnullas opiniones propugnasset a sententiis s. Thomae Aquinatis discrepantes, inde in Scholis enata sunt notissima Scotistarum et Thomistarum dissidia. — [2]) Argentorat. 1685, in-fol.

[3]) Ptolom. Lucen., *Hist. eccl.* l. XXIV; D. Antonin., *Chron.* part. III, tit. 20; Raynald. ad an. 1289 et 1291.

unde an. 1294 transvecta fuit Lauretum in Piceno ubi usque hodie piis christianorum peregrinationibus donisque honoratur [1].

Nicolaus Pp. IV omnia tentavit ad excitandum bellum sacrum contra Turcarum progressiones, litterasque scripsit ad ecclesiarum praesules, ad principes Europaeos, ad imperatorem Graecorum, regesque Tartarorum, Armeniorum, Georgianorum et Iberorum. Verum priscus suscipiendae crucis bellique orientalis ardor ubique tepuerat, et posthaec cruciatis expeditionibus ad vindicandam a mahomethano iugo Terram sanctam nuncium remissum fuit.

47. *Cruciatarum exitus* — RR. Pontificum et catholicorum adversarii, praesertim increduli scriptores saec. XVIII, cruciatas expeditiones tetris coloribus depinxerunt; verum iustissimas et gravissimas harum expeditionum causas, ingentesque utilitates ex iis Ecclesiae et societati obortas, quisque perspiciet, qui illarum originem et effectus aequa et iusta mente perpenderit. Non enim res unice vertebatur in vindicandis christianorum in Terram sanctam peregrinationibus, in restituenda s. Sepulcri libertate, sed utra religio, christiana ne an mahomethana, orbis imperium haberet, an christiana libertas an mahomethana tyrannis Orienti et Occidenti imperitaret. Europaei progressionibus Saracenorum et miseranda tot christianorum sub dura barbarorum tyrannide gementium sorte excitati, arma capessiverunt, tum ut fratres suos a servitute in libertatem vindicarent, tum ut impedirent, ne universus orbis Turcarum praeda fieret.

De gravibus iustisque sacrorum bellorum causis supra diximus (p. 15). Quantum ad illorum effectus pertinet, ea bella non tantum illo, quo suscepta sunt, aevo et proxime sequente, sed posteris etiam saeculis vim et efficaciam in multiplicem populorum regnorumque utilitatem exercuerunt et multa regenerandae Europae salubria praeparaverunt. Cruciatarum expeditionum occasione cessarunt in Occidente creberrima illa bella inter privatos, inter reges et vassallos; regum potestas aucta est vel vacantium feudorum ad eos reditu vel frequenti bonorum allodialium emptione; principes arctiori vinculo inter se copulati, vires in communem finem coniungere et politicas consociationes inire coeperunt; conditio

[1]) Sandini, *Historia Familiae sacrae*, c. 1; Martorelli, *Theatr. hist. domus Nazareth*, Rom. 1732.

servilis partim cessavit partim tolerabilior reddita est; Ordines equestres, civitates, aliaque Instituta effloruerunt; litterarum, scientiarum, artium et commercii studia atque cultura praeclarissimis monumentis et instrumentis aucta sunt [1].

48. *Caelestinus V, Pontifex (an.* 1294)— Post mortem autem Nicolai Pp. IV, quae contigit pridie nonas aprilis 1292, Apostolica Sedes vacavit 2 annis et 3 mensibus, post quos summum sacerdotium delatum est Petro de Murrone, qui in solitudine asperrimam atque sanctissimam vitam agens, primo pontificatum recusavit, deinde precibus fessus suscepit sub Caelestini V nomine;— Aquilae consecrari voluit, quam urbem iniit asello vectus, Regibus Siciliae et Hungariae praeeuntibus ad fraena [*].— Is ad accelerandam Pontificum electionem restituit et ratam esse iussit constitutionem Gregorii X de reclusione Cardinalium in conclavi; Congregationem, quam sub regula s. Augustini instituerat, quaeque deinceps Caelestinorum dicta est, confirmavit et multis privilegiis auxit; post 5 menses regiminis consilium iniit se abdicandi pontificatu, quem invitus susceperat, tum quod illius curis distractus, consuetis piis exercitiis vacare non posset, tum quod gerendo oneri se imparem intelligeret; igitur audito Cardinalium et virorum doctorum consilio, constitutionem edidit, qua Pontificem se pontificatu abdicare posse definirit, et secundum hanc ipsam constitutionem in consistorio pontificatu cessit.

De hoc tam singulari facto varie locuti sunt scriptores: alii Caelestinum in hac re arguerunt degeneris et abiecti animi [**], alii eum commendarunt de tranquillitatis studio et christianae humilitatis amore [*]; sed, ut monet D. Antoninus, magis inhaerendum est iudicio Ecclesiae, quae Caelestinum propter sanctitatem et miracula, quibus tum post tum ante pontificatum claruit, Ssrum numero adscripsit [1].

49. *Bonifacius VIII, Pontifex* — Cum Caelestinus V, idibus decembris 1294, sponte oneri et honori renunciasset, Cardinales secundum Constitutionem Gregorianam conclave ingressi, IX calendas ianuarii 1295 Neapoli elegerunt Bonifacium VIII Anagninum, antea dictum Benedictum cardinalem Caietanum, de quo D. Antoninus haec praedicat: « Vir utique prudens et litteratus et magni animi, zelator magnus et conservator iurium Ecclesiae [2] ». Non tamen defuerunt, qui partium studio abrepti, memoriam huius Pontificis variis accusationibus obscurarunt. In primis eum accusarunt, quod Caelestinum V ad dimittendum pontificatum compulerit, quod summum sacerdotium potentia Caroli II regis Neapolitani consecutus sit, quodque decessorem suum in arcta custodia tot molestiis affecerit, ut is non multo post vivere desierit. Verum scriptores aequales testantur, Bonifacium VIII Caelestino abdicationem dissuasisse; hunc libere et sponte pontificatum deposuisse; illum legitimis Cardinalium suffragiis fuisse electum: decessorem suum perhumaniter habuisse, et unice ad praecludendam schismati viam in honesta custodia tenuisse, quod nonnulli abdicationem illius esse illegitimam atque adeo ordinationem Bonifacii nullam contendentes, Caelestino suaderent, ut pontificatus insignia resumeret. Falsa etiam est ea accusatio, quod Bonifacius VIII in politicis principum negotiis dominari, et dirimendis rebus, auctoritati suae non subiectis, se immiscere voluerit, praesertim in causa belli inter Philippum Galliae et Eduardum Angliae reges. E perspicuis enim monumentis evincitur, lites politicas medio aevo passim RR. Pontificum arbitrio fuisse compositas, ipsosque principes

---

1) Bergier, *Dictionn. thèol.* art. *Croisades*; I. B. Palma, *Praelect. Hist. eccl.* t. III, part. I, c. 7.

*) Petrus de Alliaco, l. II, c. 11, apud Raynaldum ad an. 1294, § 11, inquit: *Hoc ab eo factum est non quidem superba singularitate, quasi alios, qui aliter fecerant, reprobare voluerit, sed singulari humilitate, qua a sancta rusticitatis monasticae consuetudine nec facile, nec cito avelli potuit. Hos quippe magnificos apparatus sive in equis sive in vestibus, ac aliis exterioribus ornamentis, a tempore B. Silvestri Pp. Ss. Patres non solum Summi Pontifices, sed et alii minores Episcopi non ad suam, sed ad Christi et Ecclesiae eius gloriam extollendam introduxisse credendi sunt.*

**) Vti Dantes, in *Infern.* III, 59. De sententia Dantis in hoc sui poematis loco consu. Benev. de Imola *Comment.* in *Divinam Comoediam*, apud Murator. *Antiquitat. Italic. medii aevi* t. I; Victorellus in *Addition.* ad Ciaconium t. II; Cardinalis Petra, *Comment.* ad *Constitut. Apostol.* t. III, n. 5; Innocentius Barcellini, abbas Caelestinorum, *Industrie Filologiche.* Qui omnes non levibus ducti rationibus tenuerunt, Dantem non de Caelestino V, sed de Esau locutum. Iste enim fecit magnam refutationem, quando renuntiavit omnia primogenita sua fratri Iacob.

*) Vti Franc. Petrarcha; vid. *De vita solitaria*, l. II, sect. 3, c. 18.

1) D. Antonin., *Chron.* part. III, tit. 20, c. 8; Bolland. *Acta SS.* 19 maii.

2) Loc. cit.

christianos, nominatim praedictos reges, eam rationem dirimendi controversias optavisse. Interim iusta ratio, qua Bonifacius VIII in gravioribus negotiis usus est, magis patebit e dicendis [1].

In primis Bonifacius Pp. conciliandae inter principes christianos paci adlaboravit; in hunc finem legatos misit ad Philippum Galliae et Eduardum Angliae reges, dissidio belloque inter se divisos; cumque hac legatione nihil effecisset, bellumque acrius ageretur, an. 1296 duobus regibus inducias suasit et post biennium pacem inter eos constituit, cum ambo in Pontificem veluti arbitrum compromisissent [2]. In Sicilia et Aragonia lites ita composuit, ut Iacobus omne ius in Siciliam cederet Carolo II, ipse vero regni Aragoniae, principatus Valentiae et comitatus Barcinonensis investituram acciperet a Legato apostolico ; sed cum Siculi dominationis Francicae exosi, Fridericum, Iacobi fratrem, regem salutassent, bellum recruduit, tandem pax composita fuit ea lege, ut Fridericus Eleonoram, Caroli II filiam, uxorem duceret et dotis profectitiae nomine retineret Siciliam, quae post eius mortem ad Carolum huiusque haeredes rediret [3]. In Germania post mortem Rodulphi (1291) electus fuit Adolphus, comes Nassauviae; sed postea propter avaritiam suam et iniustitiam omnibus invisus, an. 1298 in comitiis Moguntinis depositus est, et in locum eius electus Albertus, dux Austriae, a quo Adolphus eodem anno victus et caesus fuit. Albertus nuntios Romam misit, ut a Pontifice electionis suae confirmationem impetraret. Bonifacius VIII eum propter periurii et laesae maiestatis crimina increpuit, et solum postquam is spopondisset, se mandatis Sedis Apostolicae satisfacturum, emendatis electionis vitiis, ei Romanorum imperium confirmavit [4].

Gravius negotium hic Pontifex habuit cum Columnensibus. Erat Columnensium familia inter romanas potentissima, duosque hoc tempore habebat cardinales, Iacobum et Petrum. Vterque cardinalis electioni Bonifacii in conclavi suffragatus fuerat; unde falsum est, quod quidam scripserunt, hunc Pontificem severe egisse cum Columnensibus, quod suae electioni repugnassent. Causa dissidii fuit, quod Columnenses factioni Gibelinorum dediti et a Friderico Siciliae invasore contra Bonifacium VIII excitati, res novas et defectionem machinarentur. Quapropter Pontifex ad reprimenda imminentia mala et ad tuendam patriae concordiam arces Praenesten, Columnam et Zagarolium, quas Columnenses tenebant, repetiit; quas cum illi tradere nollent et Pontificis imperio obtrectarent, Bonifacius utrumque cardinalem, Iacobum et Petrum, cardinalatus honore et dignitate privavit. Illi vero in Pontificem rebelles, quaquaversum vulgarunt libellum, in quo contendebant, Bonifacium non esse legitimum Papam, quod malis artibus et vivente Calaestino V, cuius abdicationem dicebant non fuisse liberam, esset ordinatus. Quapropter Bonifacius VIII illos eorumque fautores tanquam schismaticos damnavit, Iacobum et Petrum cardinales omnibus beneficiis ecclesiasticis privatos, cum Agapito, Stephano et Sciarra Columnensibus proscripsit, eorumque bona fisco addixit, civitatem Praenesten, in qua Columnenses se tutabantur, expugnari aliamque iuxta, quae Papalis appellata fuit, extrui iussit [1].

50. *Annus Iubilaei* (*an.* 1300)—Inter celebriora Bonifacii VIII facta recensendum est, quod an. 1300 iubilaei gratiam seu plenissimam omnium peccatorum et poenarum veniam concesserit omnibus, qui poenitentes et confessi, Romae basilicas Apostolorum devote visitarent, Romani saltem 30, peregrini aut forenses 15 diebus. Decrevit praeterea, singulo anno centesimo iubilaeum in Vrbe celebrandum [2]. Fertur autem, tantam ex omni orbe catholico hominum multitudinem lucrandi iubilaei causa Romam convenisse, ut magna anni parte non minus 200,000 peregrini in Vrbe visi sint [3].

Porro e Guilielmo Ventura Estensi, horum temporum chronographo, et e primis Bullae Bonifacii VIII verbis : « Antiquorum habet fida relatio, quod accedentibus ad honorabilem basilicam principis Apostolorum de

---

[1]) I. B. Palma, *Praelect. Hist. eccl.* t. II, part. II, c. 11; N. Card. Wiseman, *Dissertatio de Bonifacio VIII*, lecta in Romana catholicae Religionis Academia, pridie nonas iunii 1840.
[2]) Raynald. ad an. 1298.
[3]) Idem ad an. 1302-3.
[4]) *Epist.* 5 et 11, l. VII; et 21-22, l. IX.

[1]) Palma et Wiseman, loc. cit.; Raynald. ad an. 1296-97.
[2]) *Extravagant. commun.* l. V *Antiquorum.* —Pouget, *Institut. Catholic.* t. I, sect. 1, c. 4, § 20, inquit: *Primus omnium Xystus IV Indulgentiam hanc* Iubilaeum *appellavit, quia multum habet convenientiae cum anno Iudaeorum Iubilaeo.*
[3]) Raynaldus et Spondanus, ad an. 1300.

Vrbe, concessae sunt remissiones et indulgentiae peccatorum », concluditur, iubilaeum a Bonifacio VIII non tam institutum quam restitutum fuisse. Quum autem plurimi propter humanae vitae brevitatem iubilaeo anni centesimi frustrarentur, postea Clemens Pp. VI iubilaeum saeculare ad singulum annum 50m, Vrbanus VI ad 33m, Paulus II ad 25m extenderunt [1].

Quanta pietate christiani omnibus ad nostram usque aetatem temporibus iubilaei Indulgentiam mereri studuerint, monumenta ecclesiastica testantur. Certe religioni utilissimum et maxime honorificum est, iubilaei annum Romae celebrare; id enim plurimum conducit ad Dei Optimi Maximi misericordiam fructuosius et uberius implorandam, ad sanctioris vitae rationem ineundam, ad D. Petri memoriam honorandam, ad R. Pontificis in universam Ecclesiam primatum venerandum, ad unitatem Ecclesiae catholicae et centrum eiusdem unitatis omnibus significandum.

51. *Lis inter Bonifacium VIII et Philippum Pulcrum* — Vidimus supra, quantum negotium Bonifacius VIII habuerit cum Columnensibus, aliud gravissimum eidem Pontifici facessivit Philippus rex Galliae, cognomine Pulcher. Etenim quum hoc aevo summi imperantes ad gerenda bella, quae erant frequentia, clericos et ecclesias multis exactionibus oneribusque, a quibus secundum canonicas et civiles leges erant immunes, gravarent, concilia generalia Lateranense III et IV atque Alexander Pp. IV graviter prohibuerant, ne laica potestas ecclesias oneribus gravaret. Bonifacius VIII animadvertens, principes saeculares, praesertim Philippum Galliae et Eduardum Angliae reges, bello distractos, nova quotidie vectigalia ab ecclesiasticis personis exigere et arbitratu suo decimam vel vigesimam ecclesiasticorum redituum partem tributi nomine imperare, an. 1296 Constitutionem edidit *Clericis laicos*, in qua sub poena excommunicationis vetuit, ne praesules, clerici aut religiosi huiusmodi exactiones penderent aut promitterent, et ne quis eas imperaret aut exigeret, sine Sedis Apostolicae auctoritate [2]. Eduardus rex Angliae primo iratus, sed mox animo mutatus, coram clero facti sui veniam petiit. Philippus vero rex Galliae, indignatus ac si iura sua per dictam Constitutionem essent violata, ad reddendam Pontifici vicem, extraneos regni sui ingressu interdixit, vetuitque, ne pecunia aliave res bello utilis extra regnum efferretur sine suo consensu.

Quum id audivisset Bonifacius Pp., litteras benevolentiae plenas ad regem dedit, in quibus questus est de hominibus, qui Constitutionem suam male interpretabantur, declaravitque, se in ea non absolute cavisse, ne clerici pro defensione et necessitate regis aut regni subsidia praestarent, sed ne id fieret sine Apostolicae Sedis consensu, perpensis intolerabilibus exactionibus, quae ecclesiis et ecclesiasticis personis imperabantur; regem precatus est, ut sive tacita sive expressa supra dicti decreti explicatione efficeret, ne illud de ecclesiis aut ecclesiasticis ministris intelligeretur; non quod per illud Apostolica Sedes magna pecuniae copia privaretur, ut aliqui asserere ausi sunt, sed quod istud decretum in ecclesiasticam libertatem impingeret et negotium Terrae sanctae, quod Pontifex meditabatur, impediret. Ad clerum Galliae scripsit, libertatem Ecclesiae quidem sibi cordi esse, eamque se tueri velle, mentem tamen suam esse, ut regi et regno in casu communis et evidentis necessitatis subsidium a clero tribui posset [1].

Verum Philippus rex petulantius ecclesiarum iura et libertatem violavit, regalium praetextu ecclesiastica bona occupavit, beneficia et episcopatus pro libitu suo contulit, episcopos Pontifici deditos deposuit, decimas ad bellum sacrum destinatas, in alios usus convertit, Bernardum episcopum Apamiensem, Pontificis legatum, in vincula coniecit. Quae omnia a rege vel saltem eius auctoritate perpetrata, Bonifacium Pp. necessario moverunt ad constanter agendam Ecclesiae causam. Inter plures litteras, quas ea de causa ad regem dedit, celebres sunt illae, quarum initium est: *Ausculta, fili*, quasque scripsit nonis decembris 1301. In his litteris Pontifex Philippum ab invadendis ecclesiarum iuribus et bonis, aliisque iniquitatibus deterruit, et ad componenda dissidia regem, episcopos et doctores Galliae Romam ad synodum vocavit [2].

Pontificis hostes praesertim Petrus Flotta, regni cancellarius, Bonifacii litteras perfide interpolarunt et multa superbe et arroganter

---

[1]) Phoebeus, *De anno Iubilaei*, c. 5; Card. Petra *in Constitut. VII Bonifacii VIII*; Rigaut *in Regulam* 54 *Cancellariae*.
[2]) *Decretal.* l. VI, *De immunitat. clericorum.*

[1]) Pontificis litteras recitat Raynaldus ad an. 1296-97.—[2]) Apud eumdem, ad an. 1298-1301.

dicta ei attribuerunt. Vnde rex magis commotus, legatos Pontificis regno eiecit, et IV idus aprilis 1302 regni comitia Parisiis convocavit. In his multa falsa et iniuriosa de Bonifacio VIII prolata sunt, ac si regia iura violaret et regem ad recognoscendum regnum suum ab Ecclesia cogeret; secundum quae proceres laici maiestati regiae applauserunt, ecclesiastici vero inducias ad deliberandum postularunt et concordiam inter Apostolicam Sedem regnumque conservandam suaserunt; sed ad dicendam sine mora pro rege sententiam coacti, ei in eius personae, honoris, iuriumque defensione consilia et auxilia debita promiserunt, simulque rogarunt, ut sibi secundum Pontificis mandatum ad Romanam synodum properare liceret; quod rex iis severe prohibuit.

Bonifacius VIII in consistorio sub finem augusti habito, litteras suas ad Philippum a falsis interpretationibus et a supposititiis sub nomine suo confictis vindicavit, et gravamina, quae contra se vulgabantur, diluit. III° calendas novembris Romae synodum habuit, ad quam plures episcopi Galli, non obstante regia prohibitione, convenerunt. In ea graviter de Philippo rege expostulatum fuit, et XIV calendas decembris Pontifex promulgavit celebrem Bullam *Vnam sanctam*, qua utriusque potestatis in una Ecclesia rationes explicavit; eademque die aliam edidit Constitutionem, qua excommunicati declarabantur, qui iter ad Apostolicam Sedem impedirent, aut ad eam accedentes molestiis iniuriisve afficerent. Praeterea, ut nihil omitteret eorum, quibus Philippus ad meliorem mentem reduceretur, ad eum legavit Ioannem Monachi cardinalem, cui 12 articulos praescripsit, secundum quos rex Ecclesiae faceret satis et a censuris absolveretur.

Cum autem Philippus omnem concordiae spem abiiceret, Bonifacius, ne pontificia maiestas in contemptum iret, pridie calendas maias 1303 per litteras *Per processus* legato suo cardinali Monachi mandavit, ut regem excommunicatum denuntiaret, et sub censurarum ecclesiasticarum periculo prohiberet, ne quis ei sacramenta administraret aut coram eodem sacra celebraret. Verum, cum Nicolaus Benefractus, qui Pontificis litteras ferebat, Trecis interceptus in vincula fuisset coniectus, illae ad Legatum non pervenerunt. Rex rursum regni ordines III nonas iunias Parisios convocavit, ubi haereseos, simoniae, aliorumque criminum accusatio contra Bonifacium prolata et ad concilium generale futurumque legitimum Pontificem appellatum fuit. Bonifacius vero in Cardinalium consistorio, Anagniae habito, ab affictis sibi criminibus se iureiurando purgavit, appellationem conventus Parisiensis nullius esse valoris declaravit, et in procacem regem sententiam scripsit, cum Ecclesiae communione regnandique iure privatum et subditos ab obedientiae sacramento solutos dicens ; sed priusquam hanc sententiam promulgasset, in hostium manus incidit. Nogaretus enim, regii sigilli custos, et Sciarra Columna VII idus septembris 1303 armata manu domum Pontificis invaserunt, eumque multis iniuriis affecerunt[1].

Triduo post Bonifacius a civibus Anagniae ex illorum manibus liberatus fuit. Romam deductus, ingenti populi gaudio exceptus est; sed paulo post, nempe XV calendas novembris e febri obiit. Reliquis eius gestis addendum est, quod—Apostolorum , Evangelistarum, et quatuor Ecclesiae Doctorum ss. Gregorii Papae , Augustini, Ambrosii et Hieronymi festivitates sub Officio duplici per universas orbis Ecclesias praecepit solemniter celebrari [*]; Ludovicum IX regem Francorum albo Ssrum inscripserit, et libris 5 Decretalium, a Gregorio IX editis, adiunxerit *sextum*, qui continet Decretales editas a Gregorii IX successoribus. Illud praeterea commemorandum est, quod post 3 saecula, anno nempe 1605 corpus Bonifacii VIII in Vaticano eiusdem sepulcro incorruptum fuerit repertum eodem, quo obierat, mensis die recurrente [2].—«Qua detectione Deus ipse, in-

[1]) De dissidio inter Bonifacium VIII et Philippum Pulcrum prolixe agunt Raynald. ad an. 1296-1303 ; I. Rubeus, *Bonifacius VIII*, Rom. 1651 in-4° ; I. B. Palma et Wiseman, loc. cit.—Sed audiamus quid de hoc dissidio narrat s. Antoninus, in *Chron.* part. 3, tit. 20, c. 8, § 22; « *Subito captura Papae divulgata est per orbem... Episcopus civitatis Morianensis, qui erat religiosae et sanctae conversationis, haec cum audivisset, coram multis ait: Hoc novum dabit magnum gaudium Regi Franciae, sed extrema gaudii luctus occupabit; nam propter tantum excessum notabile iudicium Dei irruet super eum, et progeniem eius: magnas luet poenas, adversa multa patietur, et plurimi insurgent contra eum et filios eius. Quod totum completum est non multo post tempore. Et hoc ideo scriptum est, ut hoc exemplo caeteri illud observent oraculum*: Nolite tangere Christos meos. Qui enim vos tangit, tangit quasi pupillam oculi mei ».

[*]) In cap. unic. *De Reliquiis et veneratione Sanctorum*, in-6.

[2]) Acta inventionis extant apud Raynald. ad an.

quit Papebrochius, Pontificis huius famam, multis calumniis laceratam, vindicare voluisse videtur [1] ».

52. *Benedictus XI, Pontifex* (*an.* 1303)— Vndecimo die post obitum Bonifacii VIII summo Cardinalium consensu electus fuit Benedictus XI, Tarvisinus, Ordinis FF. Praedicatorum, cardinalis episcopus Ostiensis, antea appellatus Nicolaus Boccasini, vir pietate et animi modestia spectatissimus. Is dissidia, quae inter decessorem suum et Philippum Francorum regem exarserant, composuit. Rex Legatos cum litteris Romam misit, quibus Benedicto summum pontificatum gratulatus, omnimodam obedientiam et devotionem ei professus est, eiusque benevolentiae regnum et ecclesiae Galliae commendavit. Pontifex regem, praelatos, omnesque viros ecclesiasticos et religiosos atque alios a cunctis censuris, quas e Bonifacii aliorumve Pontificum sententiis incurrerant, absolvit, privilegia et iura, quibus rex a Bonifacio fuerat privatus, ei reddidit, regem et regnum in pristinum statum restituit, Constitutionem Bonifacii *Clericis laicos* temperavit secundum canonem 46 Concilii Lateranensis IV, nimirum ut soli exigentes ab ecclesiis vel ecclesiasticis viris decimas aut pecunias incurrerent censuras. Iniuriam vero vimque sacrilegam, supra a Nogareto et Sciarra Columna Bonifacio VIII illatam, non reliquit inultam, eos eorumque complices in excommunicationem e Canonum praescripto incidisse declaravit, ad apostolicum tribunal evocavit, et venire spernentes anathemati subdidit. Petrum et Iacobum Columnenses, veniam postulantes, in gratiam recepit, sed in pristinos cardinalatus honores non restituit [2]. Pacem etiam et concordiam restituere conatus est in Hetruria, Æmilia, aliisque Italiae provinciis, quae Guelphorum, Gibelinorum et aliorum factionibus erant perturbatae.—Primus indulsit, ut sacra D.Francisci stigmata quotannis colerentur ritu sollemni [3].— Alia plura pro Ecclesiae pace ac prosperitate moliebatur, quum pridie nonas quintilis 1304 Perusiae decessit, vitae sanctitate et post obitum miraculis clarus [4].

53. *Clemens V, Pontifex* (*an.* 1305) — Post Benedicti XI obitum Apostolica Sedes vacavit prope 11 mensibus, cardinalibus in eligendo Pontifice dissidentibus, cum alii Italum et Bonifacii memoriae faventem, alii Gallum et Philippo regi deditum optarent. Tandem nonis iunii 1305 extra cardinalium collegium electus fuit Bertrandus de Goth, natione Gallus et archiepiscopus Burdigalensis, qui accitis in Galliam cardinalibus, postridie idus septembris Lugduni in ecclesia s. Iusti sollemni ritu coronatus et inauguratus fuit sub nomine Clementis V. Quae autem I. Villani [1] et ex eo multi referunt de occultis Clementis V cum Philippo rege pactionibus, suspecta atque dubia habenda sunt [2].

Quum vero Italia factionibus ferveret, Clemens V in Gallia substitit et Avenione quam Romae residere maluit; quod etiam fecerunt eius successores usque ad Gregorium XI. Haec RR. Pontificum apud Avenionem mora, quam Itali vocaverunt captivitatem babylonicam, perduravit fere 70 annis. Interim summus Ecclesiae pontificatus semper unitus mansit cum episcopatu Romano, et Pontifices residentes Avenione, re ipsa fuerunt D. Petri in Romana et Apostolica Sede successores; aliud quippe est residentia seu commoratio, aliud sedes seu sedis titulus. Ista quidem RR. Pontificum ab Vrbe Roma absentia ecclesiasticae rei et paci publicae in Italia detrimento fuit, quatenus Pontifices Avenione plus minusve Francorum regibus obstricti, non ea qua Romae, libertate catholicum orbem regerent, et in Italia factiones liberius dominarentur. Ad rem inquit Petrarcha [3]: *Pontificis sedes antiqua, et vera, et propria, et publice utilis, et Vniverso expediens Roma est.* Ea tamen, quae Villani et alii nonnulli Itali de Pontificibus, qui Avenione morati sunt, scripserunt, caute legenda sunt; notum enim est, Italos eorum ab Vrbe Roma absentiam aegerrime tulisse.

Clemens V Iacobum et Petrum Columnenses in pristinos cardinalatus honores restituit; 10 cardinales, inter quos 9 Galli erant, creavit; scholam Aurelianensem academicis privilegiis auxit; Philippum regem Francorum eiusque subditos in eum statum restituit, in

---

1303.—Vide etiam Benedictum XIV, *De Servor. Dei Beatif.* etc. l. IV, part. 2, c. 20, n. 7.

1) *Acta SS.* 19 maii.

2) Cf p. 75.

3) Waddingus, *Annal. Minor.* t. VI, ad an. 1304, § 14.

4) *Vie de s. Bénoît XI*, Toulose 1739; Raynald. ad an. 1303-4; Benedict. XIV, *De Beatif. et Canonizat.* l. I, c. 31, l. II, c. 24.

1) *Chronicon.*

2) Mansi, Annotat. in *Annales* Raynaldi et in *Hist. eccl.* Natal. Alex. *saec. XIV*, c. 2, a. 2.

3) *Rer. Senil.* l. VII, Epist. 1.

quo erant ante eorum cum Bonifacio VIII dissidium; constitutionem Bonifacii VIII *Clericis laicos* secundum temperamentum Benedicti XI explicavit, declaravitque, per Constitutionem *Vnam sanctam* nihil iuris regi aut regno Francorum fuisse detractum, neque regem vel subditos per eam magis quam antea R. Ecclesiae esse subiectos; regi vero postulanti, ut memoria Bonifacii ceu pontificis illegitimi et haeretici damnaretur, eiusque ossa terra sacra privarentur, non assensit; Andronicum II imperatorem Graecorum, in schismate pertinacem, anathemate perculit; electionem Henrici VII, comitis Luxemburgensis, qui, defuncto an. 1308 Alberto, a principibus Germanis ad imperium fuerat designatus, confirmavit, eique imperii coronam Romae tradi iussit, postquam is fidem suam et obsequium Sedi Apostolicae iureiurando obligasset; Caelestinum V retulit in Sanctorum album; an. 1311 Viennae concilium generale celebravit; obiit autem anno 1314 [1]. Tum propter moram suam in Gallia et propter extinctum Ordinem Templariorum, ut infra videbimus, tum propter alia gesta plurium scriptorum obtrectationes subiit; accidit ei idem, quod Gregorio VII, Innocentio III, Bonifacio VIII, aliisque Pontificibus, qui res maxime arduas aggressi sunt, quorum proinde historiae plurimum caliginis offunditur ex ablocutionibus et calumniis, ab adversariis eorum in medium prolatis [2].

54. *Haereticae sectae* — Interea turbas graves excitarunt haereticae sectae Apostolicorum, Dulcinistarum, Fratricellorum, Beguardorum et Beguinarum, qui omnes, quamvis a se invicem distincti, communi nomine Fratres et Sorores liberi spiritus dicti sunt.

Apostolicorum sectae auctor fuit Gerardus Segarelli Parmensis, vir plebeius et illitteratus, qui, cum apud FF. Minores admitti frustra postulasset, Apostolorum habitum, quocum eos in ecclesia Parmensi dipictos viderat, suscipere eorumque vitae rationem sequi sibi proposuit. Igitur barbam et capillos aluit, tunicam e panno coloris albi ad talos pertingentem induit, pedes soccis contexuit, variaque loca mendicando et praedicando percurrens, quosvis viles et otiosos in suam societatem traxit. Ili se fratres apostolos, Gerardum vero magistrum appellabant; eumdem ac is habitum gestantes, cum mulieribus, quas sorores appellabant, vagabantur; Romanam ecclesiam esse corruptam, et Pontifices, episcopos, omnemque clerum divitiis et opibus depravatos effutientes, novam ecclesiam Spiritus S. finxerunt, quam coetum amoris et perfectae caritatis appellabant, et in qua omnia etiam uxores essent communia, nefasque foret denegare quidquid ex caritate postularetur, adeo ut turpissima quaeque, modo ex caritate fierent, essent licita. Pravam sectam damnarunt Honorius Pp. IV, an. 1275, et Nicolaus IV, an. 1290. Gerardus, eius auctor, a Manfredo inquisitore et Opizone episcopo Parmensi condemnatus atque curiae saeculari relictus, an. 1300 flammis addictus fuit. Tunc sectae caput evasit Dulcinus Novariensis, qui cum magno asseclarum, qui Dulcinistae dicti sunt, numero inter asperos et invios montes hodierni Pedemontii vagatus et oppida pagosque vicinos depopulatus est, donec an. 1307 cum Margarita scorto aliisque captus et Vercellas perductus, flammis traderetur [1].

Fratricellorum, qui etiam Bizochi, Fratres spirituales et de pauperi vita appellati sunt, auctores fuere apostatae quidam Franciscani; qui, postquam Bonifacius Pp. VIII eorum Congregationem, utpote dissidiorum in Ordine s. Francisci fomitem, abolevisset, schisma ab Ordine fecerunt [2]. Clemens Pp. V tum adhortationibus tum censuris illos ad Ordinis unitatem et generalis Ministri obedientiam revocare conatus est, et dubia aliquot circa regulae sensum atque observantiam explicavit Constitutione *Exivi de paradiso* [3]. Illi vero spretis Pontificis mandatis atque censuris, cum schismate haeresim coniunxerunt; duas finxerunt Ecclesias, unam carnalem et divitem, cui praeerant Pontifices Romani et episcopi, alteram spiritualem et pauperem, cuius ipsi membra erant, et in qua sola legitimam conficiendi Sacramenta potestatem haberi contendebant. Alios praeterea errores e Donatistarum, Waldensium et Albigensium doctrinis admiserunt. An. 1318 Ioannes Pp. XXII sectarios eorumque errores condemnavit, et principes christianos atque inquisitores contra eosdem excitavit. Secta praecipue se propagaverat

1) Raynald. ad an. 1305-14.

2) Cf Berthier, *Discours sur le Pontificat de Clement V*, in *Hist. de l'Eglise Gall.* t. XIII, p. 1, edit. in 4°.

1) D. Antonin. *Chron.* part. III, tit. 21, c. I; Eymericus, *Director. Inquisit.* part. II; Pegna, *Comment.* 37 in part. II *Director. Inquisit.*; D'Argentré, *Collect. iudicior.* t. I.

2) Vid. p. 71-72.

3) *Clementin.* tit. *De verbor. signific.*

in Sicilia, aliquot etiam coetus efformarat in Gallia et Hispania; sed ab inquisitoribus et principibus exagitata, huc illuc dispersa fuit; in Gallia et Hispania nonnulli ab inquisitoribus damnati et curiae saeculari traditi, supplicio affecti sunt; alii confugerunt in Germaniam, ubi sub Ludovico Bavaro, Ioannis XXII adversario, secure agentes, se cum Beguardis et Beguinis sociarunt [1].

Beguardi et Beguinae, qui se praesertim in Germania propagaverunt, profitebantur mysticismum, qui ad morum corruptionem ducebat. Contendebant, hominem in hac vita posse assequi talem perfectionis gradum, ut neque peccare neque maiorem gratiam adipisci posset; eum in hoc perfectionis et libertatis spiritu constitutum, neque orare ullosve virtutum actus exercere, neque praecepta Ecclesiae observare debere; posse libere corpori indulgere quidquid placeret, et minime peccare actu carnali, ad quem natura inclinaret, quod tunc sensualitas spiritui et rationi esset perfecte subiecta; dicebant etiam, hominem in hac vita adipisci posse finalem beatitudinem in eodem gradu ac in altera vita, et quamlibet naturam intellectualem in se ipsa ita esse beatam, ut ad videndum Deum eoque beate fruendum non indigeret lumine gloriae. Clemens Pp. V sectam eiusque errores condemnavit in concilio generali Viennensi, et pertinaces inquisitoribus denuntiavit [2].

55. *Templariorum causa* — Aliud grande negotium, nimirum causam Templariorum equitum, tractavit Clemens Pp. V. Hic Ordo annis multis celebris fuerat et de re christiana bene meruerat: verum lapsu temporis Templarii numero, divitiis et possessionibus per omnem Europam in immensum aucti, a pio Instituti fine et regula degenerarunt, moribusque in deterius mutatis, pessime audierunt, donec duo malefactores, quorum unus, secundum Villani uterque, Ordinis sodalis fuerat, ad carcerem damnati, arcana Ordinis crimina Philippo Francorum regi revelaverunt, nimirum, quod aggregandi Ordini christianam fidem abiurarent et super Crucem spuerent, aggregati in clandestinis conventibus aversam et nefandam libidinem committerent, et in comitiis cranium barbatum et deauratum, quod Baphometum appellabant, ritu ethnico adorarent. Confestim Philippus rex Templarios denuntiavit Clementi Pp. V, deinde existimans periculum esse in mora, qua Pontifex in illorum causa cognoscenda uti videbatur, III idus octobris 1307 quotquot in regno suo erant, Templarios cum Iacobo de Molai, magno Ordinis magistro, qui eo tempore in Galliam venerat, prehendi, eorumque bona sequestrari iussit. Post paucos dies Guilielmus de Parisiis, Ordinis FF. Praedicatorum et Generalis quaesitor Fidei in Gallia, magnum Magistrum aliosque 139 Templarios Parisiis interrogavit, qui omnes tribus exceptis, praedicta crimina confessi sunt [1]. Quum autem haec in Templarios tentata fuissent sine assensu Pontificis, Clemens V de ea re questus est in litteris ad regem datis, Inquisitorum auctoritatem suspendit, causae cognitionem sibi reservavit, et interea Templariorum personas et bona committi voluit Berengario et Stephano cardinalibus. Tunc rex plures ex Ordinis praeceptoribus, presbyteris, militibus et fratribus duci iussit Pictavium ad Clementem Pp. qui eos aliosque aliquot, in totum 72, post praestitum iuramentum dicendi plenam et meram veritatem, coram Cardinalibus interrogavit; cumque eorum confessiones consentaneae essent confessionibus factis coram Inquisitore Parisiis [2], Pontifex an. 1308 ad omnes christiani orbis episcopos et principes litteras scripsit, ut in Templarios secundum formam, quam praescribebat, inquireretur; inquirendi potestatem concessit cuivis episcopo in sua dioecesi, canonicum iudicium commendavit synodis provincialibus, Ordinis vero et magni Magistri atque praecipuorum praeceptorum causam sibi reservavit.

In primis Berengarius, Stephanus et Landulphus cardinales e speciali Mandato Pontificis mense augusto 1308 Chinonii in Turonia interrogarunt magnum Magistrum et 5 praeceptores, qui post praestitum iuramentum praeter alia horribilia et inhonesta confessi sunt, se Christum abnegasse et spuisse super Crucem, deinde humiliter postularunt absolutionem a censuris, quam eiuratis impietatibus, a delegatis Pontificis impetrarunt [3]. Alii a Guilielmo Fidei quaesitore eiusque delegatis interrogati Trecis, Baio-

[1]) Alvar. Pelag., *De planctu Ecclesiae*, l. II, c. 11; Eymericus, loc. cit.; Balut. *Miscellan.* t. I.
[2]) Alvar. Pelag. et D'Argentrè, loc. cit.

[1]) Ioan. can. s. Victoris, *Vita Clement. V*, apud Balut. *Vitae Pontif. Avenion.* t. I.
[2]) *Epist.* Clement. V ad Philipp. reg. *Regnans in coelis.*
[3]) *Epist.* cit.

cae, Cadomi, Rothomagi et Carcassone, testimoniis suis praedicta crimina confirmarunt [1]. Archiepiscopus Narbonensis, episcopi Baiocensis, Mimatensis et Lemovicensis cum praeposito Aquensi et archidiaconis Rothomagensi et Tridentino, a Clemente V specialiter delegati ad inquirendum in Gallia de toto Templariorum corpore seu Ordine, mense augusto 1309 Parisios convenerunt, totique Ordini diem dixerunt, omnibus, qui causam eius defendere optarent, veniendi facultate concessa. Primo auditus est magnus Magister, qui priores suas confessiones retraxit et ad Pontificis iudicium provocavit; alii 74 pridie idus martii 1310 coram iisdem delegatis contenderunt, testimonia, supra a sociis suis edita, esse calumnias et confessiones vi aut fraude extortas, petieruntque, ut tota causa a Pontifice et concilio generali, Viennae indicto, iudicaretur. Post hos alii plusquam 200 ab iisdem delegatis pontificiis interrogati, maxima ex parte talia ediderunt testimonia, ut Ordinis sodales longe plurimos esse reos evincerent [2].

Quum autem Pontifex singularium Ordinis personarum iudicium commendasset synodis provincialibus, hae tum intra tum extra Galliam habitae fuerunt, sed tantum paucarum acta supersunt. Synodus Parisiensis an. 1310 plurium Templariorum causis diligenter inspectis, quosdam simpliciter ab Ordine absolvit, aliquot post peractam poenitentiam liberos dimisit, nonnullos ad arctam custodiam condemnavit, et 79 tanquam relapsos et contumaces tradidit curiae saeculari, a qua ad ignem damnati sunt [3]. Eodem anno novem Templarii a synodo Silvanectensi propter relapsum traditi curiae saeculari, pariter ad ignem condemnati fuerunt [4]. Porro tum hi tum illi qui Parisiis combusti sunt, morientes contestabantur, se iniuste damnatos et priora sua testimonia metu extorta fuisse. In Italia synodus Ravennatensis interrogavit septem Templarios, qui omnia crimina, quorum Ordo insimulabatur, constanter negaverunt; quapropter synodus censuit, innocentes esse absolvendos, nocentes e lege puniendos, et bona innocentibus conservanda, si hi maiorem Ordinis partem efficerent et alii meritas poenas dedissent [1]. Eodem tempore archiepiscopi Pisanus et Florentinus, aliique in Langobardia et Tuscia e Pontificis mandato de Ordine et personis inquisierunt, et pleraque Templariorum testimonia de apostasia, idololatria et spurcitia sibi erant consentanea [2]. In Germania Petrus archiepiscopus Moguntinus Templarios, quos interrogaverat, censuit absolvendos [3]. In Aragonia, ubi inquisitionis negotium Clemens V demandaverat Caesaraugustano et Valentino episcopis, Templarii in arcibus suis se armis munierunt, sed a Iacobo rege II superati et ferro victi sunt. In Castella Rodericus Ivanius, Ordinis promagister, cum sociis suis ab archiepiscopo Toletano ad dicendam causam vocatus, a Ferdinando rege IV in vincula coniectus fuit; postquam synodus Salmanticensis de vinctis et supplicibus, quaestionem habuisset, pro eorum innocentia pronuntiavit, summam tamen totius rei deliberationem ad Pontificem remisit [4]. In Anglia an. 1309 iussu Eduardi regis II omnes Templarii intercepti et diversis castellis inclusi fuerunt, aliqui errores in Bulla Clementis V notatos, confessi sunt, plerique vero se nullius rei quae ad haeresim pertinebat, reos esse contestati sunt; unde in synodis Londinensi, Eboracensi aliisque, nihil grave in universum Ordinem aut in singulas personas statutum, sed ad confessionem et absolutionem admissi sunt [5].

Demum an. 1311 Clemens Pp. in concilio generali Viennensi, postquam saepius et diu cum patribus de Templariorum causa deliberasset, sacro approbante concilio per Constitutionem *Ad providam* Templariorum Ordinem via provisionis in perpetuum abolevit; Ordinis bona attribuit equitibus Hospitalariis s. Ioannis Hierosolymitani, qui an. 1310 erepta Turcis Rhodo, nomen Rhodensium acceperunt; in Hispania vero, Lusitania et Maiorica Ordinis bona ad defensionem rei christianae contra Mauros conversa sunt [6]. Quantum autem ad ipsos Templarios spectabat, Pontifex iudicium de magno Magistro et

1) Du Puy, *Histoire vèritable de la condemnation de l' Ordre des Templiers.*
2) Du Puy, *Histoire* cit.
3) G. Nangi, *Chron. continuat.* ad an. 1310; Balut. *Vitae Pontif. Aven.* t. I, p. 16.
4) Balut. ibid. p. 72.

1) Rubeus, *Hist. Ravennat.* l. VI, ad an. 1310.
2) Bzovius, *Annal.* ad an. 1308.
3) N. Serarius, *Historia Petri archiep. Mogunt.* l. V; Labbe, *Concil.* t. XI, p. 1535.
4) Mariana, *Hist. Hispan.* l. XV, c. 10; Labbe, loc. cit.
5) Walsingham, *Hist. Angl.* p. 96, et *Ypodigm. Neustriae*, p. 500; Wilkins, *Acta anglicanae Templariorum inquisitionis*; Mansi, Annotat. ad *Hist. eccl.* Natal. Alex. saec. XIV, Diss. 10.
6) Labbe, *Concil.* t. XI, p. 1558.

de aliquot aliis sibi reservavit, caeterorum iudicium demandavit synodis provincialibus cum eo discrimine, ut innocentes e bonis Ordinis honeste sustentarentur, ii qui crimina sua fuerint confessi, cum misericordia tractarentur, erga impoenitentes et relapsos iustitia et canonica censura servarentur [1]. Posthaec Pontifex causam magni Magistri et aliorum trium demandavit novis iudicibus, nempe 3 cardinalibus et aliquot episcopis atque doctoribus, qui illos post novam confessionem V idus martii 1314 perpetuo carceri addixerunt; sed cum sententia coram populo legeretur, Ioannes de Molai magnus Magister et Guido frater Delphini Arverni confessiones suas retraxerunt et eadem die a concilio regio ad rogum damnati sunt.

Porro Templariorum Ordinem, qui tam turpiter degeneraverat et tam male audiebat, iustis de causis a Clemente Pp. fuisse abolitum, e dictis sat manifestum est [2].

56. *Concilium Viennense, generale XV* (*an.* 1311) — Concilium Viennense, inter oecumenica XV; an. 1309 encyclicis litteris a Clemente Pp. V convocatum, calendis octobris 1311 Viennae Allobrogum in Gallia inchoatum est et per 7 circiter menses protractum. Causae, propter quas Pontifex illud indixit, fuerunt negotium Templariorum, subsidium Terrae sanctae, haereses recens exortae et instauratio disciplinae. Praeter cardinales et patriarchas Alexandrinum et Antiochenum ritus latini, interfuerunt secundum continuatorem G. Nangii 114, secundum Villani et D. Antoninum 300 episcopi; adfuerunt praeterea inferiorum praelatorum ingens numerus, Philippus rex Galliae et aliorum principum oratores; praesedit autem Clemens Pp. Habitae sunt 3 sessiones: In 1ª sessione, quae celebrata fuit postridie idus octobris, Pontifex causas, propter quas concilium convocaverat, exposuit. Inter hanc et sequentem sessionem multae habitae sunt deliberationes de causa Templariorum, de subsidio Terrae sanctae et de ecclesiastici status reformatione. In 2ª sessione, habita III nonas aprilis 1312, discussis, qui in re Templariorum conscripti fuerant, processibus, Ordo extinctus est. In 3ª et ultima sessione, quae celebrata fuit pridie nonas maias, plures editae sunt Constitutiones pro Fidei defensione et disciplinae reformatione; damnatae sunt sectae Dulcinistarum, Fratricellorum, Beguardorum et Beguinarum; ad ferendam opem collapsis christianorum in Palaestina rebus, praesules Galli Philippo regi, spondenti se intra annum in Palaestinam transfretaturum, decimas per sexennium promiserunt; ad formandos viros undequaque doctos idoneosque pro populis orientalibus Evangelii praecones statutum est, ut in scholis curiae Romanae et in Academiis Bononiensi, Parisiensi, Oxoniensi, et Salmanticensi linguae orientales traderentur, praeterea memoria Bonifacii Pp. VIII a calumniis vindicata fuit, et declaratum, eum catholicum et legitimum Pontificem fuisse [1].

Ex Constitutionibus in hoc concilio aut alias editis, Clemens V confecit VIIm Decretalium librum, quem sub nomine *Clementinarum* edendum curavit Ioannes XXII.

57. *Ioannes XXII, Pontifex* (*an.* 1316)— Obiit Clemens V XII° calendas maias 1314. Conclave indictum est Lugduni, sed dissidentibus a se invicem Cardinalibus, Apostolica Sedes vacavit usque ad VII idus augusti 1316, qua die concordi Cardinalium suffragio electus fuit Iacobus de Eusa Cadurcensis, cardinalis episcopus Portuensis, qui nomen Ioannis XXII assumpsit seditque usque ad an. 1334. Claruit pietate in Deum, Fidei propagandae studio, componendorum dissidiorum sollicitudine et propenso in viros doctos animo. Is in Perside vicinisque regionibus, in quibus christiana Religio opera FF. Praedicatorum propagabatur, Francum Perusinum ex eorum Ordine creavit archiepiscopum Sultaniensem, eique adiunxit 6 suffraganeos episcopos eiusdem Ordinis. Alios ex eodem Ordine Evangelii praecones destinavit in regiones orientales et septentrionales ad populos, sive mahomethica superstitione sive schismate aut haeresi infectos. In Gallia ecclesiam Tolosanam metropoliticis iuribus auxit novosque episcopatus instituit; Cadurcensem Academiam in patria sua et Cantabrigensem in Anglia, postulante Eduardo rege, excitavit et privilegiis ornavit; rectum docendi et discendi modum praescripsit in epistola ad doctores Parisienses, in qua quere-

---

1) B. Guido, *Chron. RR. Pontificum.*

2) Natal. Alex. *Hist. eccl.* saec. XIV, diss. 10; I. de Hammer, *Mysterium Baphometi revelatum*, t. VI operis *Mines de l'Orient*; I. B. de Saint-Victor, *Tableau hist. et pittor. de Paris*, t. III, Louvain 1830; I. B. Palma, *Praelect. Hist. eccl.* t. III, part. II, c. 12.

1) Labbe, *Concil.* t. XI, p. 1538; item, *Hist. de l'Eglise Gall.* t. XII, edit. in-4°.

batur, quod quidam theologi, posthabitis doctrinis necessariis et utilibus, se immiscerent curiosis vanisque philosophiae subtilitatibus. Plures plerosque Gallos creavit cardinales. Concordiam inter Robertum Neapolis et Fridericum Siciliae reges atque inter Philippum cognomine Longum regem Galliae et Robertum comitem Flandriae conciliare conatus est. Alphonsi XI regis Castellae, adhuc impuberis, patrocinium adversus rebelles suscepit, eique ablatum regnum restitui iussit. Sancio Maioricarum regi ad propulsandos Maurorum impetus decimas concessit, Guelphis contra Gibelinos, qui in Italia et in ipsa Vrbe Roma dominabantur, pro Ecclesiae iuribus et antiqua libertate certantibus, opem praestitit, et Matthaeum vicecomitem, Gibelinorum ducem, anathemate perculit [1].—Constituit, ut Festum SS. Trinitatis die Dominica proxime sequente Festum Pentecostes sollemniter celebraretur, licet Romana Ecclesia hoc festum antea speciali Officio non consueverit celebrare [2]. Idem Salutationem Angelicam *hora ignitegii* [*] *sub concubium ter recitari statuit indulgentiis datis* [**].

Tria autem graviora negotia exercuere hunc Pontificem, nimirum controversia cum Franciscanis de paupertate Christi et Apostolorum, dissidium cum imperatore Ludovico Bavaro et quaestio de visione beatifica, quae breviter exponemus.

58. *Lis Ioannis XXII cum Minoritis* (an. 1321) — In primis Ioannes XXII condemnavit sectam Fratricellorum, ut supra diximus [1]. Condemnavit etiam sententias Ioannis de Poliaco, doctoris Parisiensis, qui docebat, confessos fratribus seu viris religiosis, habentibus generalem facultatem audiendi confessiones, teneri eadem peccata adhuc confiteri proprio sacerdoti, quinimo stante lege Concilii Lateranensis *Omnis utriusque sexus*, neque R. Pontificem neque Deum ipsum posse efficere, ut parochiani non tenerentur semel in anno omnia peccata sua confiteri proprio sacerdoti, quem dicebat esse parochialem curatum [2].

Alia autem quaestio, nimirum de paupertate Christi et Apostolorum, an. 1321 ad Ioannem Pp. delata est. Aliquot FF. Minores animose contendebant, Christum et Apostolos nihil iure proprietatis et dominii habuisse sive in speciali sive in communi, hancque propositionem orthodoxam et Decretali Nicolai III *Exiit qui seminat* definitam esse asserebant. Ioannes XXII, ad quem ipsi Minoritae contra adversarios provocaverant, ne quid temere decerneret, prius Academiarum et virorum doctorum opiniones audire voluit. Verum Michaël Caesenas, Ordinis Minorum generalis Minister, controversiam, coram Apostolica Sede pendentem, dirimere praesumpsit, in Capitulo mense iunio 1322 Perusiae habito declarans, praedictam propositionem esse catholicam et ab Ecclesia falli nescia definitam [3]. Pontifex vero VI idus decembris 1322 Constitutionem edidit *Ad conditorem*, qua declarabat, supra dictam Nicolai III Decretalem de rerum usu Franciscanis concesso, et de proprietate Apostolicae Sedi reservata, non esse intelligendam de rebus, quae usu consumuntur, cum in iis dominium non separetur ab usu; derogansque Decretali Nicolai III, quantum ad hoc caput spectabat, dominium rerum, quibus FF. Minores utebantur, iis remisit, et ne eorum procuratores deinceps Apostolicae Sedis nomine alicui litem inferrent, prohibuit. Anno sequente pridie idus novembris alteram dedit Constitutionem *Quum inter nonnullos*, qua declarabat, errare et haereticis adnumerandos eos, qui pertinaciter assererent, Christum et Apostolos nihil proprium habuisse sive in speciali sive in communi, eosque nullum ius habuisse earum rerum, quas ha-

[1]) Raynald. ad an. 1316-31.
[2]) Vide Benedictum XIV, *De Festis Iesu Christi et B. M. V.* in Capite ubi agit de Festo Trinitatis.
[*]) Ignitegium ab igne tegendo dictum significat initium noctis, quo tempore solent homines, contecto igne in foco, cubitum ire.
[**]) Mabillonius Praefat. ad *Acta saec.* V *Benedictin.* § 122, ubi haec subdit: *Postea idem ritus inductus est ad matutinum tempus, et medium diem.* Oldoinus, in nova Addit. ad Ciaconium t. II, ex Hippolito Marraccio in *Pontificibus Marianis*, ait: *Cum pius mos in Sanctonensi Ecclesia susceptus esset, ut vergente in noctem die campana pulsaretur ad praemonendos fideles, ut salutatione Angelica Virginis suffragia implorarent; Ioannes Pontifex decem dierum Indulgentiam iis concessit, qui pie ter illam flexis genibus funderent, si vere eos criminum poeniteret. Singulis insuper canticum* Salve Regina *devote recitantibus quadraginta dies Indulgentiae proposuit: prolationem etiam nominis* Mariae, *ut eius esset frequentior invocatio, sacris Indulgentiis ditavit.* Quid hac de re praeceperint quoque posteriores Summi Pontifices mox in Callisto III videbimus.

[1]) Vid. p. 79.
[2]) *Extravagant.*, *Vas electionis*; Labbe, *Concil.* t. XI, p. 1635.
[3]) Wadding. *Annal. Minor.* ad an. 1322.

buisse leguntur, sed simplicem usum facti [1].

Contra has Pontificis Constitutiones declamarunt Michaël Caesenas, generalis Minister, et pauci alii inter quos praecipui Ocamus et Bonagratia, et Ioannem XXII accusantes haereseos, ad generale concilium appellarunt; deinde confugerunt ad imperatorem Ludovicum Bavarum, eiusque schismati adhaerentes, variis libellis Pontificis famam lacerarunt. Ab hac tamen paucorum Minoritarum rebellione immunis fuit Ordo, qui in Pontificis obedientia constanter perseveravit, et in generali Capitulo, an. 1329 Parisiis habito, quaecumque a rebellibus istis hac in re haeretice dicta vel male gesta fuerant, improbavit atque in locum Michaëlis, a Pontifice depositi, generalem Ministrum elegit Gerardum Odonis [2].

59. *Lis inter sacerdotium et imperium* (*an.* 1323) — Eidem pontifici Ioanni XXII negotium gravissimum facessivit imperator Ludovicus Bavarus. Etenim cum post obitum Henrici VII (1313) imperium vacasset 14 mensibus, a maiori parte electus fuit Ludovicus dux Bavariae, alii vero elegerunt Fridericum ducem Austriae, unde grave inter utrumque bellum exortum est. Cum ambo competitores Pontificem pro impetranda confirmatione interpellassent, Ioannes XXII utrique diem dixit, ut iurium suorum instrumenta producerent, et secundum ea alterutri imperium adiudicaret. Verum Ludovicus armorum quam iuris via rem dirimere maluit, victoque an. 1322 Friderico, imperium solus capessivit, Pontificis confirmationem non solum non requisivit, sed etiam Gibelinorum factioni, in Apostolicam Sedem rebelli, auxilia praestitit.

Ioannes Pp., litteris postridie nonas octobris 1323 ad Ludovicum datis, eum increpuit, quod imperatoris nomine et iuribus usus esset, priusquam electio sua, ut moris erat, ab Apostolica Sede fuisset confirmata, mandavitque ei sub poena excommunicationis, ut ab adiuvandis Ecclesiae hostibus abstineret, et intra mensem, dimissa imperii administratione, iuris sui instrumenta Apostolicae Sedi exhiberet. Ludovico de angustioribus temporis metis ad agendam causam sibi praescriptis querente, Pontifex illas prorogavit; interea omnibus districte prohibuit, ne Ludovico honorem imperatoris Romanorum deferrent, priusquam electio eius secundum ius foret approbata.

Verum Ludovicus se Pontifici sistere sprevit, Apostolicae Sedis hostibus auxilia ferre perrexit, et scripto contestatus est, se ipso electionis suae facto regium honorem iuraque regni et imperii administrandi esse consecutum, Pontifici nullum esse ius electionem vel personam electam cognoscendi aut approbandi, caeterum se contra Ioannem appellare ad generale concilium. Quapropter Pontifex idibus quintilibus an. 1324 Ludovicum, nisi ante calendas octobris fecisset satis, excommunicatum omnique iure imperandi privatum edixit, et omnibus prohibuit, ne ei qua imperatori obedientiam aut opem praestarent. Ludovicus vero in comitiis XI calendas novembris apud Saxenhausen coactis, virulento modo contra Ioannem XXII declamavit, et ab eo veluti haereseos aliorumque criminum reo, ad futurum Pontificem et ad sanctam Matrem Ecclesiam provocavit [1].

Perverso principi venales calamos commodarunt Marsilius de Menandrino, Patavinus, et Ioannes Iandunus, Perusinus, doctores Parisienses, quibus se adiunxerunt Michaël Caesenas, Guilielmus Ocamus et Bonagratia, ab Ordine FF. Minorum apostatae. Duo priores, nempe Marsilius et Iandunus, in libro qui *Defensor pacis* inscriptus erat, de potestate imperatoris et Pontificis ita disseruerunt, ut Pontificis primatum et Ecclesiae Constitutionem ab imis fundamentis destruerent. Praeter alios in eo libro tradiderunt hos errores: Christum in Ecclesia non constituisse caput visibile; s. Petrum non plus auctoritatis accepisse, quam caeteros Apostolos; omnes sacerdotes, sive pontifices sive episcopos sive simplices presbyteros, ex institutione divina esse potestate pares, et e sola imperatoris concessione, ad eius nutum revocabili, alios aliis maiorem habere iurisdictionem; neminem posse ab Ecclesia coërceri punitione coactiva sine consensu imperatoris; Pontificem aeque ab episcopis ac hos ab illo posse excommunicari; ad imperatorem spectare, Pontifices instituere et deponere, Sede vacante Ecclesiam regere, numerum ecclesiarum et sacrorum ministrorum definire, de habilitate ad Ordines sacros promovendorum decernere, concilia congregare, Ordines religiosos approbare, beneficia ecclesiastica conferre.

[1]) Cf Natal. Alex., *Hist. eccl.* saec. XIV, diss. 11; Bellarmin., *De R. Pontifice,* l. IV, c. 14; *Histoire de l'Église Gall.*, l. 37.

[2]) Raynaldus et Spondanus, ad an. 1328-29.

[1]) Raynald. ad an. 1323-24.

Perniciosos hos errores condemnavit et prolixe confutavit Ioannes Pp. constitutione edita X calendas novembris 1327 [1]. Eosdem errores confutarunt scriptores aequales, Alexander de s. Elpidio, e priori generali Augustinianorum archiepiscopus Ravennatensis [2], Pelagius Alvarus, episcopus Silvensis in Lusitania [3], Augustinus Triumphus, Anconitanus, Ordinis Eremitarum s. Augustini [4], Petrus de Palude seu Paludanus, Ordinis FF. Praedicatorum [5].

Initio anni 1327 Ludovicus, a Gibelinis accitus, properavit in Italiam, et mense februario Tridenti episcoporum, abbatum et monachorum, maxima ex parte depositorum, excommunicatorum vel apostatarum, conventum habuit, in quo Ioannes XXII haereseos aliorumque criminum accusatus et pontificatu indignus declaratus est. Ludovicus Mediolanum progressus, in basilica Ambrosiana a duobus episcopis, propter crimina sua depositis, rex Langobardiae coronatus fuit. Quapropter Ioannes Pp., haud ultra cunctandum ratus, XI calendas novembris sententiam in Ludovicum fulminavit, qua eum omnibus iuribus et feudis imperialibus privatum declaravit, subditos ab eius obedientia absolvit, et ne ei parerent aut cum eo communicarent prohibuit [6].

Ludovicus sententias censurasque Pontificis spernens, initio anni 1328 cum exercitu Romam properavit; Vrbem ingressus, Romanis multa promisit, et XVI calendas februarias in basilica s. Petri a Iacobo Alberto, Venetiarum episcopo deposito, imperator coronatus est; XIV calendas maias convocatis quibusvis apostatis, excommunicatis, depositis, aliisque similis generis hominibus, Iacobum Cadurcensem (ita appellabat Ioannem XXII) propter haeresim et alia crimina pontificatu omnique beneficio et privilegio privatum atque ab omni iudice puniendum pronunciavit, et in eius locum intrusit Petrum de Corbario, Ordinis FF. Minorum, sub nomine Nicolai V, qui rursus Ludovicum imperatorem coronavit, Ioannem XXII omnesque ei obedientes excommunicavit.

Quum haec audivisset Ioannes Pp., pseudo-pontificem et omnes schismatis fautores anathemate confixit, precesque publicas indixit, ut divina Providentia rebellium corda ad Ecclesiae obsequium reducere vel eorum superbiam elidere et malitiam conterere dignaretur. Dominus piorum preces exaudivit et laboranti Ecclesiae opem tulit; agentibus quippe cardinali Vrsini, Pontificis Legato, et Roberto rege Neapolis, brevi post rerum status ita mutatus est, ut Romani et Itali passim, ipsi etiam Gibelinorum duces, Ludovici partes desererent, Ludovicus ab omnibus desertus, an. 1329 in Germaniam regrederetur, et antipapa Petrus de Corbario an. 1330 Avenione ante pedes Ioannis XXII provolutus, schisma eiuraret, et supplex veniam ab eo postularet [1].

Ludovicus in Germaniam redux, legationibus litterisque reconciliationem cum Ecclesia et electionis suae confirmationem a Ioanne XXII postulavit, se haereticos et schismaticos deserturum, et Ecclesiae iura defensurum promittens. Pontifex vero promissis eius non fidens, voluit, ut ante omnia imperium dimitteret; quod cum is praestare nollet, dissidium inter sacerdotium et imperium perduravit usque ad Ludovici mortem.

60. *Quaestio de visione beatifica* — Tertium, quod Ioannem XXII exercuit negotium, fuit quaestio de visione beatifica, an scilicet animae iustorum, corporum vinculis solutae et ab omni labe purae, statim visione Dei perfruantur, an vero haec usque ad extremi iudicii diem differatur. Quamvis quidam ex antiquis Patribus posteriorem opinionem tradiderint, communis tamen Patrum et Ecclesiae traditio ei erat opposita. Cum haec quaestio, nullo adhuc decretorio Ecclesiae iudicio eliquata, hoc tempore inter doctos agitaretur, Ioannes XXII, qui pro ingenii sui praestantia theologicis discussionibus delectabatur, an. 1331 ad indagandam veritatem ss. Scripturas et Patrum scripta in utramque partem scrutatus est, et in sermonibus coram Cardinalibus et praelatis Avenione habitis, utriusque opinionis argumenta protulit. Verum Pontifex quibusdam visus est propendere in sententiam de dilatione visionis beatificae, pluresque adversarios tum e praelatis tum e doctoribus in se concitavit. Contentio aucta est, cum Gerardus Odonis, FF. Minorum generalis Minister, Parisiis eamdem sen-

---

1) Raynald. ad. an. 1327.
2) *De iurisdictione imperii et auctoritate Papae*, Arimini 1621.
3) *Apologia Ioannis XXII contra Marsilium et Ocamum*, Lugdun. 1517, et Venet. 1560 in-fol.
4) *De potestate ecclesiastica.*
5) *De causa immediata ecclesiasticae potestatis.*
6) Raynald. ad an. 1327.

1) Raynaldus et Spondanus, ad an. 1328-30.

tentiam palam defendisset. Pontifex ad dispellendam pravam de mente sua suspicionem XIV calendas decembris 1333 litteras scripsit ad Philippum Valesium, regem Francorum, in quibus contestabatur, se de praesenti quaestione nihil definivisse aut asseruisse, sed solum Scripturarum et Patrum dicta protulisse, ut discussa veritas in apertam lucem prodiret [1]. Philippus rex, ut disceptationibus finis constitueretur, episcopos, abbates et theologos convocavit in castro Vincennarum, qui omnes consenserunt, animas Sanctorum, corporibus solutas, mox faciem Dei videre, hancque visionem in die iudicii non extinguendam, sed in aeternum permansuram esse. Iidem in sua ad regem epistola de Ioannis XXII in hac re doctrina haec testati sunt: « Multorum fide dignorum relatione audivimus, quod, quidquid in hac materia Sanctitas Sua dixit, non asserendo seu opinando protulit, sed solum recitando ». Pontifex ipse, ne qui dicta sua seu sermones male interpretarentur, initio anni 1334 in publico consistorio professus est, quidquid de praesenti, vel alia quacumque quaestione in sermonibus et collationibus dixisset vel allegasset, se nihil definire vel decidere voluisse, quod esset quovis modo Scripturae S. aut Traditioni contrarium, et expresse revocare si quae iis opposita praeter mentem suam a se fuissent prolata [2]. Et paulo post iam morbo correptus, convocatis ad se Cardinalibus, praelatis et tabellionibus prolixam fidei suae professionem dictavit, in qua intentionem suam, quam circa statum animarum separatarum se habere et habuisse dicebat, his verbis declaravit: « Credimus, quod animae purgatae, separatae a corporibus, sunt in coelo, regno et paradiso, et cum Christo in consortio angelorum congregatae, et vident Deum et divinam essentiam facie ad faciem clare, in quantum status et conditio compatitur animae separatae [3] ».

Hinc patet, Ioannem XXII ab aliquibus iniuste fuisse accusatum erroris in fide de visione beatifica, summamque esse petulantiam Calvini asserentis, hunc Pontificem docuisse, animas esse mortales et una cum corporibus interire usque ad diem resurrectionis [4].

61. *Benedictus XII, Pontifex* (*an.* 1334) — Obiit Ioannes Pp. pridie nonas decembris 1334, in cuius locum Cardinales, Avenione apud FF. Praedicatores reclusi, XIII calendas ianuarii 1335 elegerunt Benedictum XII, Gallum, antea appellatum Iacobum Furnerium, Ordinis Cisterciensis et ex Apamiensi Mirapicensem episcopum cardinalem, virum pium et doctum, pacis studiosum, disciplinae tenacem et a ditantis consanguineis alienissimum, qui Ecclesiam gubernavit usque ad an. 1342.

Hic Pontifex nihil antiquius habuit, quam ut pacem inter principes christianos constitueret, tum ut tranquillitate parta, curiam in Vrbem Romam referre posset, tum ut illi arma contra Turcas converterent; sed optatum finem non est consecutus. Quae autem pro concilianda concordia sacerdotium inter et imperium tentaverit, infra dicemus. An. 1336 quaestionem de statu animarum post hanc vitam, sub decessore suo ventilatam, quamque ipse adhuc cardinalis erudito libro tractaverat, diremit per Bullam *Benedictus Deus*, qua definivit, post Christi in coelum ascensionem animas Ssrum, qui sive ante sive post Christi passionem decesserunt, nihil purgandum habentes vel post mortem purgatas, item animas infantium baptizatorum et ante usum rationis decedentium, ante resumptionem suorum corporum et iudicium generale esse in coelorum regno, cum Christo, Angelorum consortio aggregatos, immediate divinam essentiam videre, ea perfrui, hacque visione et fruitione esse vere beatas; animas vero eorum, qui in statu peccati mortalis moriuntur, statim descendere in infernum, ibique in aeternum cruciari; in die extremi iudicii omnes, resumptis corporibus suis, coram Christo iudice comparituras, ut et corpora animarum praemia vel poenas participent [1].

Quantum ad disciplinam ecclesiasticam spectat, Benedictus XII varias edidit Constitutiones, quarum aliae ad monachorum Benedictinorum, Cistercensium, Mendicantium et Canonicorum Regularium reformationem, aliae ad episcoporum aliorumque praelatorum officium, residentiam, visitationem, atque ad beneficiorum provisionem pertinent [2].

---

1) Raynald. et Spondanus, ad an. 1333.
2) Ita testatur Benedictus XII, Ioannis successor, in Epistola, quae extat apud Raynaldum ad an. 1334, et Labbe, *Concil.* t. XI, p. 1794.
3) Raynald. ad an. 1334; Labbe, loc. cit. p. 1630.
4) *Institut.* l. IV, c. 7. Cf Card. Petra, *Comment. in Constit. Apost.* t. IV, p. 80; Berthier, *Hist. de l' Église Gall.* an. 1333-34; Natal. Alex., *Hist. eccl.* saec. XIV, diss. 11; Muratori, *De paradiso adversus Burnest.* c. 2.

1) Raynald. ad an. 1336; Harduin. *Concil.* t. VII, p. 1559.
2) *Bullar. Roman.* t. I.

62. *Benefic. ecclesiast. reservationes annatae et commendae*—Nonnulli scriptores de RR. Pontificibus, qui Avenione morati sunt, expostularunt, quod introductis beneficiorum ecclesiasticorum reservationibus, annatis et commendis, Ordinariorum iuribus detraxerint et extraordinariis taxis ecclesias gravarint.

Verum RR. Pontifices tamquam Ecclesiae primates et omnium ecclesiarum sollicitudinem gerentes, tanquam principales bonorum ecclesiasticorum dispensatores, provisiones et collationes beneficiorum atque dignitatum ecclesiasticarum sibi reservare iure possunt [1]. Istud ius a priscis temporibus, olim rarius postea frequentius, exercuerunt iustissimis ex causis, sive ad avertenda mala, quibus electiones ex ambitione studioque partium perturbabantur, et ad consulendum ecclesiis de dignis ministris, sive ad corrigendam Ordinariorum incuriam vel ad habendam bene meritorum rationem [2]. Saec. XIII et seqq. RR. Pontifices idem ius magis explicarunt, ut omnibus constaret, quorum beneficiorum collatio ad Apostolicam Sedem, quorum ad episcopos, quorum ad alios pertineret. Ita Clemens IV constitutione *Licet ecclesiarum* Apostolicae Sedi reservavit collationem ecclesiarum, dignitatum, personatuum et beneficiorum, quae in Romana Curia vacarent, seu quorum possessores obierint in loco, quo moraretur Pontifex, quaeque specialius caeteris antiqua consuetudo, ut in praedicta Constitutione legitur, RR. Pontificibus reservavit [3]. Gregorius X, Clementis IV successor, decessoris sui Constitutionem confirmavit cum hoc temperamento, ut si Pontifex huiusmodi beneficia intra mensem a die, qua vacarint, non contulerit, ea conferre possent Ordinarii [4]. Bonifacius VIII reservationem Clementis IV extendit ad beneficia vacantia in locis vicinis Curiae Romanae seu intra spatium itineris duorum dierum, et ad beneficia legatorum atque curialium, si in locis curiae vicinis aut eam comitantes obierint [5]. Clemens V beneficia quaecumque, in Romana curia vacantia aut pontificatus sui tempore vacatura, patriarchatus, archiepiscopatus, episcopatus, praebendas, dignitates, officia, suae et s. Sedis provisioni, collationi et dispositioni reservavit [1]. Hanc reservationem pro Pontificatus sui tempore confirmarunt et ad plura alia beneficia extenderunt Ioannes XXII et Benedictus XII [2]. Alii deinceps Pontifices varias de eadem re Constitutiones ediderunt. Magnus etiam reservationum numerus habetur in regulis Cancellariae, adeo ut generatim omnium ecclesiarum cathedralium electio ac collatio Apostolicae Sedi fuerit reservata, et qui deinceps, sive canonici sive principes sive alii, ius nominandi vel praesentandi exercuerunt, id e speciali Sedis Apostolicae indulto fecerint.

Quantum spectat ad annatas seu reditus, quos RR. Pontifices in conferendis beneficiis exegerunt ad providendum tum suae et curiae suae sustentationi, tum communi totius Ecclesiae utilitati et necessitati, eae, quatenus sunt subsidia ab inferioribus summo Ecclesiae capiti et pastori collata, iustissimae et antiquissimae sunt, easque Bonifacius IX non instituit, sed modum, qui in iisdem pendendis servaretur, praescripsit [3].

Neque novae aut a RR. Pontificibus, qui Avenione morati sunt, introductae sunt beneficiorum commendae; a priscis enim temporibus obtinuit, ut ecclesiae episcopales, parochiales atque abbatiae vacantes, alicui custodiendae ac administrandae commendarentur, quamdiu proprio episcopo, parocho aut abbate carerent; item ut episcopis aut clericis, qui vel ecclesiis suis ab hostibus fuissent eiecti vel e beneficiis suis non haberent decentem sustentationem, ecclesia vacans aut abbatia aliudve beneficium in commendam conferretur. Abusus vero, qui aliquando hac in re irrepserunt, varii Pontifices et concilia correxerunt; ita Clemens V, sentiens gravia detrimenta, quae e commendis, initio sui Pontificatus propter importunas et multiplicatas precum instantias largiori manu concessis, in rem ecclesiasticam redundabant, eas omnes revocavit [4]. Benedictus XII cunctas cathedralium ecclesiarum et abbatiarum commendas, a decessoribus suis concessas personis quibuscumque, exceptis Cardinalibus, revocavit [5]. Innocentius VI an. 1353 rescidit revocavitque omnes episcopatuum, abbatia-

[1]) Thomassin, *Vetus et nova eccl. discipl.* part. II, l. I; Zaccaria, *Anti-Febron.* p. II, l. 5.
[2]) Ibidem.
[3]) *Decretal.* l. VI, tit. IV, c. 2.
[4]) Ibid. c. 3. — [5]) Ibid. c. 31.

[1]) *Extravag. comm.* l. III, tit. II, c. 3.
[2]) Ibid. l I, tit. III, c. 4, et l. III, tit. II, c. 13.
[3]) Raynaldus et Spondanus ad an. 1399; Natal. Alex., *Hist. eccl.* saec. XV-VI, diss. 9; Berthier, *Hist. de l' Église Gall.* Disc. prélim. t. XV, in-4°.
[4]) *Extravag. comm.* l. III, tit. II, c. 2.
[5]) Raynald. ad an. 1335.

rum, prioratuum, dignitatum et beneficiorum Regularium commendas [1]. Eadem de re actum est in conciliis Lateranensi V et Tridentino [2].

Sufficiat haec pauca de beneficiorum ecclesiasticorum reservationibus, commendis et annatis observasse, ut aequa lance ponderentur tum veterum tum recentiorum de iis querimoniae.

63. *Lis inter sacerdotium et imperium* — Vidimus supra discordiarum statum, quae sub Ioanne XXII et Ludovico Bavaro inter sacerdotium et imperium exortae sunt [3]. Benedictus XII tum litteris tum legationibus usus est, ut Ludovicum ad obsequium Ecclesiae revocaret. Ludovicus etiam litteris et legationibus Pontificem honoravit, sed inconstans et versatilis, legatos suos Avenione cum Pontifice concordiae leges tractantes, revocavit et quam praebuerat pacis spem, abrupit; anno 1338 comitia coëgit apud Francofordiam, in quibus acta Ioannis XXII contra Ludovicum iniusta pronuntiata sunt, sacrorum interdicta sublata, clerici ea observare volentes, poenis subditi, et declaratum, imperialem potestatem et dignitatem ita esse a Deo, ut electus ab omnibus electoribus vel a maiori eorum parte, illico sine Pontificis confirmatione esset Romanorum imperator et administrandi imperii iura haberet [4].

In Italia vero Bononienses, Mediolanenses, Bergomenses, Papienses, Vercellenses, Comenses aliique, qui aut ab obsequio Pontificis defecerant aut Ludovici eiusque antipapae factioni et schismati adhaeserant, se cum Benedicto XII reconciliarunt, et a censuris ecclesiasticis absoluti sunt [5].

Clemens VI, Benedicti XII successor, novas tentavit vias, ut Ludovicum ad meliorem mentem reduceret, sicque ecclesiis in Germania pacem conciliaret. At Ludovicus ad maiorem nequitiam descivit, beneficia ecclesiastica personis sibi gratis conferre ausus est, clericos sacra interdicta servantes poenis subiecit, propria auctoritate coniugium Margaritae, Tyrolis et Carinthiae haeredis, cum Ioanne regis Bohemiae filio dissolvit, eamque filio suo Ludovico uxorem dedit, pacis et absolutionis conditiones, sibi a Clemente VI praescriptas, an. 1344 in comitiis Francofordiensibus reiecit. Quapropter Clemens VI excommunicationem in contumacem principem renovavit, eum omni imperio, regno et ducatu privatum declaravit, monuitque electores, ut iustum imperatorem eligerent ab Apostolica Sede confirmandum. Principes electores e consilio Pontificis an. 1346 elegerunt Carolum IV, marchionem Moraviae, filium Ioannis regis Bohemiae; quam electionem confirmavit idem Pontifex. Ludovicus Bavarus bellum paravit contra competitorem suum, sed an. 1347 paralysi extinctus est [1]. Tunc concordia inter sacerdotium et imperium restituta, et pax ecclesiis in Germania reddita fuit.

64. *Clemens VI, Pontifex* (*an.* 1342) — Clemens VI, antea Petrus Rogerius, Lemovicensis, Ordinis s. Benedicti, ex episcopo Atrebatensi archiepiscopus Senonensis, deinde Rothomagensis et R. E. Cardinalis, nonis maii 1342 electus fuit in locum Benedicti XII, qui VII calendas eiusdem mensis obierat. Quum primum Romani electionem Clementis VI audiverunt, honorificam legationem Avenionem miserunt, qua eum supplicarunt, ut maiorum more curiam in Vrbem Romam referret. Inter hos legatos erat F. Petrarcha, poeta laureatus, et reflorescentis apud Italos litteraturae princeps, qui elegantissimum carmen de repetenda Vrbe, tot sacris monumentis illustri, Clementi obtulit [2]. Respondit Pontifex, se id quidem habere in votis, sed moram suam in regionibus transalpinis esse necessariam conciliandis Galliae et Angliae regibus. Hanc tamen concordiam inter utrumque regem Clemens restituere non potuit, quamvis ei plurimum adlaboraverit.

Hic Pontifex a Ioanna Neapolis regina et Provinciae comitissa urbem Avenionem emit et cum omnibus iuribus R. Ecclesiae comparavit; Constitutionem Gregorii X de legibus conclavis nonnihil temperavit; Philippo Francorum regi eiusque coniugi et Ioanni Normanniae duci eorum filio eiusque uxori sacram Communionem sub utraque specie indulsit [*]; contra Eduardum Angliae regem Apostolicae

---

1) Raynald. ad an. 1353.
2) Cf Thomassin, *Vetus et nova Eccl. discipl.* p. II, l. 3.
3) Vid. p. 84-85.
4) Raynaldus et Bzovius, ad an. 1335-38.
5) Benedict. XII *Epist.* 33 et 34; Raynald. ap an. 1338-41.

1) Raynald. ad an. 1341-47.
2) Opera Petrarchae edita sunt Basileae, 1581 in-fol.
*) Ante annum 1120 Communio sub utraque specie ab Ecclesia immutabiliter retinebatur; postea paullatim ac sensim abrogata est: cui abroga-

Sedis iura in reservandis et conferendis beneficiis ecclesiasticis fortiter defendit; quae autem egerit in causa dissidii cum Ludovico Bavaro, iam diximus, alia eius gesta infra videbimus [1].

65. *Immanis pestilentia* — Sub pontificatu Clementis VI an. 1348 orta est immanissima pestis, quae tanta vi saeviit,ut omnes terrarum incolae una ruina ut olim universali diluvio delendi viderentur. In tanta calamitate Clemens VI praeclara misericordiae et pietatis specimina dedit, Avenione hac lue infectis suppetias ipse liberalissime tulit, omnibusque ubique poenitentibus et confessis, item sacerdotibus, qui aegrotis sacramenta ministrarent et succurrerent, plenariam Indulgentiam concessit.

Haec calamitas multis occasio fuit redeundi ad melioris vitae propositum; in nonnullis vero regionibus illius causa iniustae vexae illatae sunt Iudaeis,perinde ac si aërem fontesque veneno infecissent. Clemens VI defensionem Iudaeorum suscepit, omnibusque christianis prohibuit, ne eos ad suscipiendum baptismum cogerent aut ullam vim vel iniuriam sine legitimi iudicis sententia iis inferrent. Cum nihilominus plebs in Iudaeos saevire pergeret, Pontifex severiorem Constitutionem edidit, qua huiusmodi saevitias detestatus est et episcopis mandavit, ut de Apostolicae Sedis auctoritate excommunicationem promulgarent in omnes, qui Iudaeis vim inferrent. Tantus erat plebeius in Iudaeos furor, ut magistratus, qui hos protegerent, aperto periculo se obiicerent [2].

66. *Flagellantium secta* — Eiusdem calamitatis occasione anno 1349, praesertim in Hungaria et Germania, visa fuit nova Flagellantium secta; qui animo vel praetextu flectendae per poenitentiam divinae iustitiae turmatim conveniebant, et praeeuntibus crucibus procedentes, corpora sua umbilico tenus nudata flagellis caedebant atque lugubribus vocibus divinam misericordiam implorabant. Sigularibus his poenitentiae exercitiis, uti in eiusmodi rebus contingere solet, plures errores adiunxerunt; non tantum suum sed non nunquam aliorum praesertim Iudaeorum sanguinem religionis praetextu effundebant; etiam ecclesiastica bona et iura usurpare aliaque illicita perpetrare non verebantur. Quapropter Clemens Pp. VI sectam damnavit, litterasque scripsit ad episcopos et principes Hungariae, Poloniae, Sueciae, Germaniae, Galliae et Angliae, ut huiusmodi hypocritarum hominum genus coërcerent,conventicula prohiberent, eorumque magistros carceri manciparent. Vnde factum est, ut secta brevi tempore fuerit dispersa [1].

67. *Scriptores ecclesiastici.* — Scriptoribus autem ecclesiasticis, qui per priorem huius saeculi partem floruerunt, adnumerandi sunt hi qui sequuntur: Alexander de s. Elpidio, Pelagius Alvarus, Augustinus Triumphus, Petrus Paludanus, quos supra indicavimus [2]. Nicolaus Lyranus, Normannus, e iudaeo christianus et Ordinis s. Francisci sodalis, Academiae Parisiensis doctor et in magno Franciscanorum conventu Parisiis per plures annos sacrae Scripturae interpres, scripsit Postillas in universam Scripturam, Commentarios in libros Sententiarum,Tractatus contra Iudaeos et librum de Corpore Christi [3]. Guido de Perpiniaco, e monacho B. M. de monte Carmelo episcopus Maioricensis, edidit inter alia *Concordiam* Evangelistarum et *Summam* haereseon. Petrus Aureolus,Vermeriensis et doctor Parisiensis, reliquit breviarium Bibliorum [4], et Commentarios in libros Sententiarum [5]. Ioannes Bacon, anglus, Ordinis B. M. de monte Carmelo et doctor Sorbonicus, praeter alia scripsit commentarios in libros Sententiarum [6]. Thomas Argentinensis, Ordinis s. Augustini, reliquit Commentarios in libros Sententiarum [7]. Ioannes Taulerus, Ordinis FF. Praedicatorum, varia composuit fovendae pietati utilissima [8]. Ioannes Andreas, celebris in schola Bononiensi iuris doctor, exaravit Commentarios in libros 6 Decretalium [9], et in Clementinas [10]. Nicephorus Callistus, Graecus, scripsit historiae ecclesiasticae libros 23 a Christi nativitate usque ad an. 911, sed tantum 18 libri priores su-

tioni non una, sed plures simul causae occasionem praebuerunt, ut legere est apud Mabillonium, *Commentar.* in *Ordinem Romanum.*

[1]) Cf Raynald. ad an. 1342-52.

[2]) Nangius, *Chron. continuat.*, et Raynaldus, ad an. 1348.

[1]) Nangius, loc. cit.; Albert. Argentin. *Chron.*; Raynald. ad an. 1349.

[2]) Cf p. 85.

[3]) Romae 1472, 7 tom.; Antverp. 1685, 6 vol. in-fol.

[4]) Paris. 1685, in-8°.

[5]) Rom. 1605, 2 vol. in-fol.

[6]) Mediolan. 1611, in-fol.

[7]) Argentorat. 1490, in-fol

[8]) Paris. 1623 et alibi.

[9]) Venet. 1581, in-fol.

[10]) Lugdun. 1585, in-fol.

persunt [1]. Ptolomaeus Lucensis seu Bartholomaeus de Luca, Ordinis Praedicatorum et episcopus Torcellensis in ditione Venetiarum, reliquit historiam ecclesiasticam a Christo nato usque ad an. 1312, et Annales ab anno 1060 usque ad an. 1303 [2]. Bernardus Guido, Lemovicensis, eiusdem Ordinis et episcopus Lodovensis, edidit Chronicon RR. Pontificum, imperatorum et regum Francorum usque ad an. 1330. Ioannes Villani, Florentinus, reliquit libros 12 historiae ab aedificatione turris Babel usque ad annum aerae christianae 1348, a Matthaeo Villani, eius fratre, 12 libris continuatus usque ad an. 1364 [3].

68. *Annus Iubilaei* (*an.* 1350)—Interea Clemens Pp. VI considerans, quamplures propter humanae vitae brevitatem frui non posse Iubilaei gratia, quam fideles e Constitutione Bonifacii VIII centesimo quoque anno lucrari poterant, cupiensque hanc Indulgentiam reddere faciliorem, ut fidelium devotio augeretur, fides splendesceret, spes vigeret et caritas incalesceret, sub Pontificatus sui initia Iubilaeum ad annum quemque quinquagesimum extendit [4], et anno 1349 encyclicis litteris ad omnes christiani orbis episcopos Indulgentiam Iubilaei, anno sequente Romae lucrandam, indixit, plenariam remissionem concedens iis, qui vere poenitentes et confessi basilicas D. Petri, D. Pauli, et D. Ioannis in Vrbe visitarent, Romani 30 diebus, Itali 15, alii 10 vel 5 vel etiam paucioribus diebus pro locorum distantia. Principes etiam, duces et magistratus hortatus est, ut missis dissidiis, fidelibus liberum ad Vrbem sanctam transitum concederent. Tanta autem hominum frequentia annus Iubilaeus Romae celebratus fuit, ut scriptores aequales minime definire potuerint numerum peregrinorum, qui e diversis etiam remotissimis orbis regionibus Romam convenerunt ad lucrandum indulgentiarum beneficium. Fertur a Festo Nativitatis Domini an. 1349 usque ad Pascha proximum continuo in Vrbe fuisse 1,100,000, et ipsius aestus tempore saltem 200,000 peregrinorum [5].

69. *Innocentius VI, Pontifex* (*an.* 1352)—Biennio post, scilicet postridie nonas decembris 1352, obiit Clemens VI, et XV calendas ianuarii 1353 legitimis Cardinalium suffragiis electus fuit Innocentius VI, Lemovicensis, antea Stephanus Alberti, cardinalis episcopus Ostiensis. Is ab initio restituendae disciplinae et reformandae curiae animum applicuit; beneficiorum commendas sustulit, quod earum occasione divini cultus maiestas, animarum cura et ecclesiarum iura negligerentur; praelatis aliisque beneficiariis, in curia agentibus, sub poena excommunicationis reditum ad suas ecclesias et residentiam secundum canones imperavit, volens, ut oves a pastoribus, non vero a mercenariis pascerentur; impensas et familiam minuit, idem Cardinalibus faciendum suasit, ut omnibus severitatis, modestiae et misericordiae exemplum essent, sacri Palatii seu Rotae auditoribus qui hactenus officii sui fructibus sustentabantur, praemia seu stipendia constituit, ne in decernendis et componendis causis muneribus corrumperentur; Ægidium Albornotium cardinalem in Italiam ad coërcendas turbas et componendam concordiam legavit, qui sua prudentia et constantia factiosos in Vrbe Roma et territorio R. Ecclesiae repressit, et auctoritatem Pontificis restituit;—Civitatis Bononiensis studio obsecutus ius profitendae in gymnasio Theologiae, atque honoris eius impertiendi indulsit*;—Ioannem presbyterum et Franciscum conversum Ordinis FF. Minorum, qui contra definitionem Ioannis XXII de paupertate Christi et Apostolorum pertinaciter disputabant et Ioannem Pp. eique assentientes haereseos accusabant, damnavit et contumaces curiae saeculari tradidit, cuius sententia combusti sunt. Alia huius Pontificis gesta suis locis referemus [1].

70. *Ecclesiae status in Germania, Gallia, Anglia et Hispania* — In Germania autem tranquillitas restituta fuit sub Carolo IV, e consilio Clementis Pp. VI ad imperium evecta, ut supra vidimus [2]. Carolus enim leges, sibi ante electionem a Pontifice praescriptas, fideliter servavit, pacemque et libertatem ecclesiis in Germania reddidit. Tunc qui schismaticas Ludovici Bavari partes fuerant sectati, ad R. Pontificis obsequium reversi sunt, ecclesiasticis censuris perstricti absolutionem postularunt, sacra ubi erant interdicta, restituta sunt, magnoque omnium gau-

---

1) Paris 1630, 2 vol. in-fol.
2) Apud Muratori, *Scriptor. rer. Ital.* t. II.
3) Venet. 1559-81, 3 tom. in-4°, et Mediolan. 1738, 2 vol. in-fol. Ambo in iis, quae spectant Pontifices, qui Avenione morati sunt, caute legendi sunt.
4) *Extravagant. comm.* l. V, tit. IX, c. 2.
5) M. Villani, l. I, c. 56; Raynald. ad an. 1350.

---

*) Vide *Bullarii* t. I, Constitut. 2, § 3.
1) Raynald. ad an. 1352-62.
2) Pag. 88.

dio dissidia composita. Rebus in Germania compositis, Carolus IV transiit in Italiam, postridie nonas ianuarii 1355 Mediolani rex Langobardiae et nonis aprilis Romae imperator coronatus est a cardinali Bertrandi, ad id ab Innocentio Pp. VI delegato. In Germaniam redux, an. 1356 in comitiis Norimbergensibus promulgavit sanctionem pragmaticam, quae *Bulla aurea* dicta est, et in qua plura sanciebantur de modo eligendi imperatorem, de administratione imperii vacantis, de iuribus, officiis et ordine electorum, qui 7 numerabantur; nimirum archiepiscopi Moguntinus, Trevirensis et Coloniensis, dux Saxoniae, rex Bohemiae, comes Palatinus et marchio Brandeburgicus. Idem imperator an. 1359 insigne edictum promulgavit pro defensione libertatis et iurisdictionis ecclesiasticae contra saeculares magistratus et dominos; an. 1368 ab Vrbano Pp. V, qui tunc cum cardinalium collegio Romam petierat, interpellatus adversus Bernabonem vicecomitem Mediolanensem, qui multas ditionis pontificiae civitatès ad rebellionem excitarat, Bernabonem in ordinem redegit et cuncta R. Ecclesiae iura, a factiosis perturbata, restituit confirmavitque [1].

In Gallia et Anglia rerum ecclesiasticarum ac civilium prosperitati obstabant dissidia et bella, quae inter utriusque regionis reges multis annis continuata sunt. Frustra RR. Pontifices concordiam inter illos restituere tentarunt. Tum in Gallia tum in Anglia reges, ne intermitterent bellum, populos suos oneribus gravabant et ab ecclesiis atque clericis decimas exigebant. Innocentius Pp. VI datis ad Ioannem regem Francorum litteris graviter questus est de violentia, qua regii ministri ecclesiasticos viros ad pendendas decimas compellerent. In Anglia eadem de causa Eduardo regi apostolica constantia restitit Simon archiepiscopus Cantuariensis, deinde inter eos convenit, ut clerus non sexennem, ut rex exegerat, sed unicam decimam conferret. Tandem anno 1360, procurante Andronico abbate Cluniacensi, pax inter Ioannem Galliae et Eduardum III Angliae reges composita fuit.

In Hispania Petrus rex Castellae et Legionis, cognomine Crudelis, qui an. 1350 patri suo Alphonso XI successit, res publicas graviter perturbavit; impurus ac saevus, Blancham legitimam coniugem repudiavit, custodiae tradidit et postea veneno interemit; proceribus et regina matre eum ad officium reducere conantibus, factus est infestior, pluresque viros principes interfici iussit; an. 1357 in bello contra Petrum regem Aragoniae ingentem cladem perpessus, Maurorum copias in auxilium vocavit magno Religionis christianae probro et periculo. Innocentius Pp. VI saevum impurumque principem per legatos suos saepius excitavit monuitque, ut ad iustitiae et aequitatis officium rediret. Cum Petrus semper ad deteriora laberetur, Guilielmus cardinalis Legatus eum anathemate perculit, regnum Castellae interdicto subiecit, cunctisque principibus prohibuit, ne Petro auxilium ferrent. Tandem an. 1369 Petrus ab Henrico comite Transtamarae in bello victus et occisus est. Sub Henrico autem huius nomine II et sub Ioanne I eius filio atque an. 1379 successore, regnum Castellae pristinum ordinem splendoremque recepit [1].

71. *Ecclesiae Graecae status* — Conspeximus supra, unionem ecclesiae Graecae cum Latina in concilio Lugdunensi II initam [2], non fuisse stabilem. Andronicus II, qui Michaëli patri suo an. 1283 in imperio graeco successit, omnem cum Latina seu Romano-catholica Ecclesia concordiam abrupit, schismaticos episcopos, a patre eiectos, restituit, et unionistas insectatus est. Andronicus III, qui an. 1327 deiecto avo suo Andronico II, imperium arripuit, an. 1339 legatos misit ad Benedictum Pp. XII de negotio unionis et accipiendo contra Turcas auxilio tractaturos. Proposuerunt illi convocationem Concilii generalis, in quo doctrina de processione Spiritus S. aliaeque dissidiorum causae discuterentur. Pontifex vero respondit, non ex re esse, dogma fidei, Pontificum et Conciliorum sententia definitum, in disceptationem revocare, unionis negotium in concilio Lugdunensi fuisse compositum, novumque concilium generale, spectatis temporum circumstantiis, convocari non posse, imperatorem et praelatos Graecos, si quae sibi dubia superessent, legatos mittere posse, ut plenius instruerentur, seque, unione inita, laboraturum pro ferendis auxiliis contra Turcarum impetus. Verum nihil effectum est; sollemne quippe erat Graecis, ut in angustiis positi, unionis specie auxilia mendicarent, moxque ad odia in Latinos et ad veteres errores redirent.

Anno 1341 Andronico III successit Ioan-

[1]) Raynald. ad an. 1316-68; Goldast. *Constitut. imperial.* t. I.

[1]) Mariana, *Hist. Hispan.* l. XVII.—[2]) Vid. p. 68.

nes Palaeologus, filius eius novennis, sub tutela Ioannis Cantacuzeni, qui paulo post una cum eo imperii insignia sumpsit. Clemens Pp. VI ad utrumque imperatorem et ad praesules Graecos destinavit legatos cum litteris, ut illos ad unitatem Ecclesiae revocaret, quam si ex animo susciperent, eis suppetias adversus Turcas promisit. Respondit vero Cantacuzenus, id sine utriusque Ecclesiae concilio effici non posse. Anno 1355 Ioannes Palaeologus, deiecto Cantacuzeno [1], solus imperio potitus, ut se contra Turcas, a quibus tetrum bellum sustinebat, tutaretur, ad Innocentium Pp. VI legatos misit, ei eiusque successoribus obedientiam ac reverentiam professus est, promisitque, se Graecos a schismate revocaturum et alia ad componendam unionem praestiturum, si Pontifex ei auxilium adversus Turcas praeberet. Innocentius Pp. imperatori pium consilium gratulatus, B. Thomam Ordinis Carmelitarum Constantinopolim legavit, quem imperator honorifice excepit. Sed cum Pontifex nullas copias ad Graecorum auxilium a principibus Occidentis impetrare posset, res infecta mansit.

Sub Vrbano Pp. V, successore Innocentii, idem negotium resumptum fuit. Ioannes Palaeologus undique a Turcis impetitus, patriarcham Cp. et aliquot proceres ad Pontificem legavit, qui suo nomine R. Ecclesiae obsequium sponderent, et auxilia contra hostes peterent. Paulo post (1369) imperator ipse Romam, ubi tunc agebat Vrbanus V, venit, ibique secundum praescriptam formulam schisma eiuravit et fidem catholicam, praesertim de processione Spiritus S. ex Patre et Filio, de consecratione SS. Eucharistiae in azymo aeque ac fermentato pane, de R. Pontificis in omnes ubique ecclesias primatu, professus, sollemni modo in communionem Ecclesiae receptus fuit. Verum Vebanus V eiusque successor Gregorius XI perperam excitarunt principes europaeos ad ferenda Graecis auxilia.

Iisdem temporibus Lasco dux Moldaviae multique alii tum in Moldavia tum in Bosnia et in locis finitimis, opera FF. Minorum, a schismate ad unitatem Ecclesiae reducti fuerunt. In Valachia Clara, Alexandri principis vidua, catholicam communionem sectabatur, filiamque suam, quae Bulgarorum regi nupserat, ad eamdem revocavit, qua de re Vrbanus V ei gratulatorias litteras scripsit suasitque, ut alteram suam filiam, regis Serviorum coniugem, etiam ad unitatem Ecclesiae reduceret. Idem Pontifex iuniorem Ladislaum, Valachiae principem, ad abiiciendum schisma hortatus est [1].

72. *Palamitarum secta* — Interim Graecorum res sacrae ac civiles magis magisque perturbabantur. Iam ante dimidium huius saeculi exorta est apud illos celebris factio Palamitarum, qui insanissimum mysticismum sectantes, in locis abditis immobiles, oculisque in umbilicum veluti in animi sedem continuo defixis, et spiritu anxie suppresso precabantur, qua ratione se ad sensualem divini luminis intuitionem pervenire et ineffabili voluptate perfundi dicebant; illudque lumen esse increatum et simile illi, quo Christus in monte Thabor circumfusus apparuit, contendebant. Absona haec commenta nominatim profitebantur monachi montis Athosis prope Thessalonicam, dicti Palamitae a praecipuo suo patrono et defensore Gregorio Palamas, item Hesychastae a quiete, cui studebant. Illos praecipue oppugnavit Barlaam monachus graecus, e Calabria oriundus et tunc Thessalonicae commorans. Re ad Ioannem patriarcham Cp. delata, an. 1341 Constantinopoli, imperatore Cantacuzeno multisque proceribus praesentibus, synodus habita est, in qua Palamas absonas suas sententias ita defendit, ut Barlaam ad petendam veniam fuerit compulsus. Ex hoc tempore Palamitarum numerus plurimum auctus est, et acrius inter eos eorumque adversarios disceptatum. An. 1350 in altera multorum episcoporum synodo Cp. Palamas, iam archiepiscopus Thessalonicensis, ita disputavit cum Acindyno adversario, ut hic a synodo excommunicatus et cum omnibus secum consentientibus haereticus fuerit declaratus, quin imo episcopi palamitici manus adversariis intulerint [2]. Hinc satis conspicitur, quam miserabilis hac aetate esset theologica Graecorum eruditio, eorumque sentiendi et agendi in Fidei controversiis ratio.

73. *Ottomannicum imperium*—Imperium vero Graecorum in dies diminuebatur pro-

---

1) Cantacuzenus purpuram cum monastico habitu commutavit, et praeter alia scripsit Historiae libros quatuor ab an. 1340 usque ad 1354, graece et latine editos Parisiis 1613, in-fol.

1) Ioan. Cantacuzen. *Hist.* l. IV, c. 9; Raynald. ad an. 1339-1370; Balut., *Vitae Pontif. Avenion.* t. I.

2) Leo Allat. *Consens. Eccl. Orient. et Occident* l. II, c. 4; Natal. Alex. *Hist. eccl.* saec. XIV, c. 3, a. 14.

gressionibus Turcarum Ottomannicorum. Horum principatum an. 1299 fundavit Osman seu Othomanes satrapes, qui extincto sultano Iconiensi, imperium arripuit bellisque prosperis dilatavit, varias provincias Asiae minoris Graecis eripuit, sedemque imperii constituit Brusae seu Prusae in Bithynia. Ei anno 1326 successit Vrchanes seu Orkanus, filius eius, qui omnem Lydiam sibi subiecit. Nicaeam expugnavit, quidquid Graeci adhuc in Asia minori possidebant, iis eripuit, et superato Bosphoro, Callipolim aliasque urbes in Europa expugnavit. Hunc an. 1360 excepit Amurathes I, qui decessorum suorum victorias prosecutus, imperii sui fines multum extendit; in Asia principes mahomethanos subegit, in Europa Adrianopolim aliasque urbes Thracicas, devictis Graecis, occupavit, Servios et Bulgaros ad pendendum sibi tributum coëgit, magnae parti Macedoniae imperavit, regnavitque usque ad annum 1389 [1].

74. *Vrbanus V, Pontifex* (*an.* 1362) — Interea Innocentius Pp. VI pridie idus septembris 1362 Avenione decessit. Quum cardinales in eligendo uno e collegio suo essent discordes, V calendas novembris pontificem crearunt Guilielmum Grimoaldum, Gallum, Ordinis Cluniacensis in monasterio s. Victoris apud Massiliam abbatem, et Innocentii VI in Italia Legatum, virum pietate, doctrina et rerum gerendarum peritia clarum, qui nomen Vrbani V suscepit. Is magna cum vigilantia instaurandae disciplinae et reformandis moribus incubuit; beneficiorum ecclesiasticorum pluralitatem iterum proscripsit; praelatis aliisque beneficiariis residentiam in ecclesiis suis atque beneficiis stricte iniunxit. Ioanni Palaeologo graèco Imperatori, qui eius suasionibus obtemperans schisma eiuraverat, cereas Agni caelestis effigies misit *; pravum morem, quo scelesti viri, ut facinorum suorum poenas effugerent, in domos Cardinalium veluti in asylum confugiebant, sustulit; metropolitas litteris encyclicis excitavit ad celebrandas secundum avitum morem synodos provinciales, conservandae disciplinae ecclesiasticae et corrigendis abusibus utilissimas; viros doctos peculiariter fovit; Vniversitatem Viennensem in Austria erexit, Cracoviensem in Polonia, an. 1344 a Casimiro rege fundatam, privilegiis munivit, Bononiensem novis favoribus honoravit; cum Petro de Lusiniaco rege Cypri, qui ad implorandа auxilia in Occidentem venerat, et cum Ioanne rege Galliae de cruciata expeditione in Terram sanctam contulit et principes europaeos ad consocianda cum illis arma excitavit, sed rege Galliae an. 1364 defuncto, negotium istud emortuum est. Equidem rex Cypri cum copiis in Occidente collectis et cum magno equitum Rhodensium numero in Ægyptum traiecit, et an. 1365 Alexandriam occupavit, at brevi post ab Europaeis et Rhodensibus desertus, in Cyprum regressus est [1].

Idem Pontifex ab initio de referenda curia in urbem Romam deliberavit, excitatus praeterea litteris Petrarchae an. 1367 cum Cardinalium collegio Avenione discessit, Veneto-

[1]) Hammer, *Histoire des Osmanes* trad. par Dochez, Paris 1840.

*) En quomodo de Agnorum cereorum origine loquitur Sirmondus in *Adnotat.* ad *Ennodium Ticinensem* t. I Op. p. 1013 ed. Ven. *Mos erat, ut ex cereo Paschali, qui Sabbato Sancto conceptis precibus sacratus fuerat, particulae decerperentur, ac populo die Dominica in Albis post sacram Communionem distribuerentur, unde suffitum in aedibus suis facerent, vel agros, vineasque munirent adversus daemonum praestigias, aut contra fulgura et tonitrua. Ceterum hic mos olim extra Vrbem dumtaxat. Romae enim cerei Paschalis vice ceram oleo perfusam benedicebat Archidiaconus, inde particulas in agnorum effigiem expressas asservabat, populo similiter die, qua dictum est, dividendas. Quae res nimirum originem dedit cereis Agni Caelestis imaginibus, quae a Pontificibus ipsis augustiore postea ritu consecrari coeperunt.* Hac de re consulendus quoque Baronius, ad an. 58, § 76, e ad an. 692, § 44. Benedictus XIV, (*De Serv. Det Beatif.* etc. l. IX, part. 4, c. 5, n. 11) refert in huiusmodi *Agnorum consecratione adhiberi aquam benedictam; aquae balsamum misceri, Chrisma superin fundi, preces a Summo Pontifice recitari, et qui eos deferunt, si devote deferant, a variis periculis, et morbis liberari, veluti late exposuit Summus Pontifex Xyxtus V, in suis Litteris Apostolicis in forma Brevis scriptis anno 1586 Paschali Ciconiae Duci Venetiarum, ad quem de more sacras cereas Formas a se benedictas mittebat.* Prosequitur idem Pontifex (lib. cit. p. 2, c. 21, § 12), exponens antiquum usum Agnorum consecrandorum —Panvinius (*De baptismate Paschali*) credit tale usum inductum esse a Romanis Pontificibus ad retinendam memoriam solemnis Baptismi, qui primis Religionis Christianae saeculis solo Paschae et Pentecostes tempore peragebatur, ideoque non ante saeculum IX, quo fere desiit sollemnis ille baptismus celebrari, tradit hanc consuetudinem invaluisse. At Benedictus XIV reputat magis verisimilem Cardinalis Augustini Valerii sententiam, qui Agnorum benedictionem ad initium saeculi V refert; aut alteram Molani, qui Agni cerei primordia aetati Constantini M. tribuit, et ideo saeculi Christi quarto. Vide etiam Mabillonium, *Musei Italici* t. II. Hunc morem benedicendi Agnos cereos etiam nunc magno Fidelium bono Romana frequentat Ecclesia.

[1]) Raynald. ad an. 1362-65.

rum et Genuensium triremibus Romam navigavit, summaque Italorum maxime Romanorum laetitia et plausu exceptus fuit. Verum VIII calendas octobris 1370 conciliandae inter reges Galliaè et Angliae concordiae causa Avenionem repetiit, ubi sicut s. Birgitta, ei reditum in Galliam dissuadens, praedixerat, paulo post, nimirum XIV calendas ianuarias 1371 vita excessit [1].—Omnium primus tiaram gestavit circumdatam triplici corona[*].

75. *Religionis status in Asia* — Vidimus supra post dimidium saeculi praecedentis christianam fidem praedicatam coetusque christianorum efformatos in Sinis et aliis Asiaè regionibus, Mogolorum seu Tartarorum imperio subiectis, a piis missionariis, quos e ss. Francisci et Dominici Ordinibus illuc destinarunt RR. Pontifices [2]. Quinimo an. 1338 magnus Tartarorum Chan seu imperator ad Benedictum Pp. XII oratores cum litteris legavit, quibus se precibus Pontificis commendabat, suamque in christianos benevolentiam testabatur. Benedictus Pp. redeuntes oratores muneribus litterisque ad imperatorem donavit, eum hortatus est, ut christianis in terris suis favere pergeret, novosque ex Ordine FF. Minorum Evangelii praecones in istas regiones destinavit. Verum an. 1369 Sinenses facta seditione Mogolos seu Tartaros e patria sua eiecerunt, novum imperatorem e familia Sinensi Ming sibi elegerunt, nullumque alienigenam in terris suis tolerantes, missionarios expulerunt. Ex quo tempore Religio christiana in Sinis penitus deperiit [3].

Eodem tempore in reliquis terris asiaticis, Mogolorum dominio subditis, Religioni christianae maximam cladem intulit Timur Bec seu Tamerlanus, Bucariae princeps, qui ab an. 1370 potiorem Asiae partem sibi subiecit, et mahomethicae religioni addictissimus, christianos ad deserendam suam religionem et suscipiendam mahomethicam adigere conatus est, adeo ut qui in fide erant constantes, magno numero interfecti, eorum domus incensae et ecclesiae destructae fuerint. Verumtamen post interitum crudelissimi principis plures sive Nestorianorum sive Catholicorum ecclesiae in borealibus et australibus Asiae regionibus superstites manserunt [1].

Quantum ad religiosum Armeniorum statum spectabat, ii saeculo XII abiectis Eutychianorum erroribus, communionem cum R. Ecclesia coluerunt, in nonnullis tamen doctrinae et disciplinae articulis ab ea dissentiebant. An. 1317 Ossini, eorum rex, ad Ioannem Pp. XXII legavit episcopum, de recuperanda Syria tractaturum, qui contestatus est, Armenios eamdem cum R. Ecclesia fidem profiteri. Pontifex ad firmandam istam consensionem ad illos misit fidei formulam, quae eis esset credendorum norma, regemque et *Catholicon* seu patriarcham hortatus est, ut etiam tollendae quorumdam rituum diversitati operam darent [2]. Benedictus XII, Ioannis successor, ad reducendos Armenios ab erroribus, quos in eorum libris, in latinum versis, notaverat, ad eosdem legavit Ioannem episcopum Sutrinum, ut coacta synodo errores istos, quorum summam Legatus ferebat, damnarent. Patriarcha iussu regis episcopos suos convocavit an. 1342, et ad singulas Pontificis querelas, quas calumnias, eius auribus a Latinis insusurratas, appellabant, singulas responsiones ad Clementem VI, Benedicti successorem, dederunt; quas cum Clemens in iis, quae R. Pontificis primatum spectabant, reperiisset obscuras, per novum Legatum certos articulos de R. Pontificis primatu ad Armenios misit, ut explicatiorem professionem ederent [3]. Saeculo sequente Eugenius Pp. IV rursus Armenios ad perficiendam eorum cum R. Ecclesia unionem provocavit, ut videbimus.

76. *Novi Ordines religiosi* —Interim hoc pariter saeculo ac precedentibus quamvis in multis regionibus moralis corruptio esset magna, disciplina in clero laxata et regularis observantia in coenobiis inclinata, non exiguum extitisse hominum numerum, qui chri-

---

1) Raynald, ad an. 1367-70.

*) Nicolaus Alemannus, *De Lateranensibus Parietinis*, c. 13, ubi haec refert: *Tiaram triplicis coronamenti ex Pontificibus primus gestavit... Vrbanus V, duplicis vero Bonifacius VIII. Nam superiorum Pontificum tiaras in vetustis imaginibus ac monumentis unius coronamenti et Romae cernimus, et Sugerius describit.* « Capiti eius, *inquit loquens de Innocentio IV*, phrygium ornamentum imperiale instar galeae circulo aureo concinnatum imponunt ».

2) Vid. p. 62.

3) Raynald. ad an. 1338, et 1369; Assemani *Biblioth. orient.* t. III; I. B. du Halde, *Description de la Chine*, t. I.

1) Assemani loc. cit.; F. Petis de la Croix, *Histoire de Timur-Bec*, t. II-III; Herbélot, *Biblioth. orient.* p. 387.

2) Raynald. ad an. 1318; Wading. *Annal. Minor.* ad an. 1318.

3) Raynald. ad an. 1341 et 1346; Martene, *Ampliss. monumentor. collectio*, t. VII, p. 320.

stianae perfectioni serio studerent, intelligitur e novis Ordinibus religiosis, hoc saeculo exortis, et regularem observantiam sedulo colentibus. Huc pertinet Ordo Olivetanorum, an. 1313 a B. Ioanne Tolomei, nobili Senensi, fundatus, cui Ioannes Pp. XXII praescripsit regulam s. Benedicti, quam Olivetani primis temporibus maxima cum severitate observabant, unde saepius in monasteria Benedictinorum reformanda transferebantur; progressu tamen temporis aliquantulum mitigarunt. Ordo a Ioanne XXII, Clemente VI et Gregorio XI approbatus, continua incrementa cepit, et per totam Italiam propagatus est. Eius sodales dicti sunt Fratres eremitae vel Congregationis Dominae Nostrae de monte Oliveti [1].

Non multo post dimidium huius saeculi novum nempe Iesuatorum Ordinem fundavit s. Ioannes Columbini, etiam nobilis Senensis, qui per electionem vitae Mariae Ægyptiacae ad piam et poenitentem vitam revocatus, se peculiariter misericordiae operibus devovit, egenos, peregrinos et aegrotos in domum suam receptos curans; quae misericordiae opera cum paulo post alii, secundum Ioannis exemplum, omnia relinquentes seque ei aggregantes, participarent, eorum societatem Vrbanus Pp. V tanquam novum Ordinem religiosum approbavit. Observabant regulam s. Augustini, officium sacrum non recitabant, cum essent laici, sed quotidie ter 50 *Pater* et *Ave* in oratorio congregati dicebant, singulis diebus mane et vespere se flagellabant, hospitalia frequentabant, ut aegrotis ibidem ministrarent, artem quoque pharmaceuticam exercebant, confecta a se medicamenta gratis inter infirmos pauperes distribuentes. Serius appellati sunt Iesuati s. Hieronymi, quod nomine Iesu frequenter uterentur et D. Hieronymum tanquam patronum suum venerarentur. Anno autem 1668 Clemens Pp. IX eorum Ordinem abolevit [2].

In Hispania congregationem Hieronymitarum instituerunt aliquot viri ex tertio Ordine s. Francisci, qui in eremitarum morem vitam valde austeram ducebant et brevi tempore plures imitatores nacti sunt. Postea vitam eremiticam cum coenobitica commutarunt, atque sub hac conditione an. 1373 Congregationis suae approbationem acceperunt a Gregorio Pp. XI, qui eis etiam regulam s. Augustini praescripsit et s. Hieronymum patronum dedit, unde eremitae s. Hieronymi dicti sunt. Quo facto, novus Ordo per universam Hispaniam et Lusitaniam paulatim propagatus fuit [1].

Alteram Hieronymitarum Congregationem fundavit B. Petrus Gambacorti, alias Petrus de Pisis, filius supremi rectoris reipublicae Pisanae et Luccensis, qui omnibus saeculi deliciis, bonis et honoribus nuncio remisso, circa an. 1377 in Montem-Bellum in Vmbria secessit, vitam eremiticam ducturus; ex eleemosynis, quas in pagis circumiacentibus colligebat, an. 1380 sacellum et habitacula pro discipulis, qui se ei paulatim congregabant, aedificavit; Congregationi suae proprias leges, perfectam paupertatem, orationis frequentiam, victum parcum, crebrum ieiunium aliasque austeritates praescripsit. Haec Congregatio a Martino Pp. V approbata, per omnem Italiam se extendit. Qui ei aggregati erant, initio dicti sunt Pauperes eremitae Fratris Petri de Pisis, postea vero, quoniam s. Hieronymum sibi patronum elegerant, appellati fuerunt eremitae s. Hieronymi vel breviter Hieronymitae [1].

Aliam initio huius saeculi societatem spiritualem ad curandam mortuorum sepulturam, deinde etiam ad sublevandos aegrotos Antwerpiae efformarunt nonnulli pii laici, dicti *Lollhardi* a vocabulo germanico *lollen*, quod cantum submissum denotabat, quo utebantur in efferendis funeribus, item *Cellitae* a cellis, in quibus habitabant, et *Alexiani* a s. Alexio, quem sibi patronum elegerant. Ii propter suam utilitatem in multas Belgii et Germaniae civitates recepti, a principibus et magistratibus protecti et a RR. Pontificibus approbati sunt. Novum etiam monialium Ordinem fundavit s. Birgitta, quae an. 1302 nobilibus piisque parentibus in Suecia nata, iam in coniugio cum Vlphone, principe Nericiae, vitam admodum piam et austeram duxit, et post obitum mariti sui ad tantam vitae asceticae perfectionem et sanctitatem ascendit, ut etiam coelestibus revelationibus honoraretur, quas a directoribus eius conscriptas, Pontifices et concilia fidelium instructioni utiles probarunt. Paulo ante dimidium huius saeculi Wadstanae monialium coenobium condidit, quae sub regula s. Augustini propriis institutis essent adstrictae. Ordo, qui a s. Bir-

---

1) Bolland. *Acta SS.* 21 august.; Helyot, *Hist. des Ordres relig.*

2) Bolland. *Acta SS.* 31 iul.; Helyot, Op. cit.

1) Helyot, Op. cit.

2) Ibid. et I. B. Saianelli, *Historica monumenta Ordinis s. Hieronymi Congregat. B. Petri de Pisis*, Venet. 1758.

gitta honnribus B. M. V. dedicatus et Salvatoris dictus est, ab Vrbano V aliisque Pontificibus approbatus, non tantum per regna septentrionalia, sed etiam per Germaniam, Angliam, Galliam et Italiam propagatus fuit [1].

77. *Gregorius XI, Pontifex* (*an.* 1370) Quum Vrbanus V, xiv° calendas ianuarias 1371, Avenione decessisset, ut vidimus, Cardinales ibidem III calendas eiusdem mensis summo consensu elegerunt Petrum Rogerium, Lemovicensem, diaconum cardinalem, qui nonis ipsius mensis ordinatus et coronatus fuit sub nomine Gregorii XI.

Hic Pontifex in primis catholicae doctrinae deposito consuluit et profanas novitates proscripsit. Quum enim audivisset, in Aragonia quosdam de ss. Eucharistia asserere, quod Corpus Christi desineret esse praesens sub sacris speciebus, si hae in locum immundum proiicerentur, a bruto sumerentur aut corroderentur, vel etiam humanis dentibus tererentur; sub poena excommunicationis inhibuit, ne quis istas propositiones praedicare auderet. Albertum episcopum Halberstadiensem, qui inter alios errores docebat, omnia in hoc mundo esse ineluctabili fato subiecta, errores suos revocare et damnare iussit. Excitavit etiam vigilantiam Inquisitorum, Episcoporum et Caroli V regis Francorum contra latitantes fautores haeresum Albigensis et Waldensis, item contra infamem sectam Turlupinorum, qui Beguardorum erroribus mores turpissimos iungebant. Episcopos Angliae, doctores Oxonienses regemque excitavit adversus pullulantem Wicleffi haeresim, de qua infra dicemus.

Idem Pontifex disciplinam ecclesiasticam variis decretis instauravit firmavitque, et ad idem opus sollicitudinem praesulum ecclesiasticorum interpellavit.—Suum in civitatem Romae studium ostendit, confirmans sacrosanctam Lateranensem Ecclesiam praecipuam Sedem esse Summi Pontificis, et locum principem inter omnes Ecclesias obtinere, omnibusque dignitate antecellere *. Omnium primus iussit celebrari etiam in Occidente Festum *Praesentationis B. M. V. in Templo* [1].—Ad componendas inter principes discordias legatos misit ad reges Galliae et Angliae; quae tamen legatio, cum nimium essent obfirmatae principum inimicitiae, fructu caruit; reges Hispaniae ad ineundas inducias, donec eorum lites essent diremptae, per Guidonem, cardinalem Legatum, perduxit; pacem inter Ioannam reginam Neapolis et Fridericum regem Siciliae seu Trinacriae initam, servatis R. Ecclesiae iuribus, approbavit; Bernabonem vicecomitem Mediolanensem, qui ditionem ecclesiasticam iterum infestabat, censuris armisque domuit; in rebelles Florentinos gravissimam excommunicationis et interdicti sententiam fulminavit. Sed quum primum ii s. Catharinam Senensem, tertii Ordinis s. Dominici virginem, Avenionem legassent ad postulandam reconciliationem, se benevolum exhibuit, pacisque tractatum sacrae virginis arbitrio commisit, modo sibi commendatum haberet s. Ecclesiae honorem; Florentini diu contumaces extiterunt, verumtamen post obitum Pontificis, s. Catharinae consiliis et constantia, pax Florentinorum cum Apostolica Sede confecta et promulgata fuit.

Eiusdem sanctae virginis hortatu Gregorius XI votum, quod fecerat, referendi curiam in Vrbem Romam, executus est; relicta Avenione Romam pervenit initio an. 1377 et ingenti cum laetitia atque pompa in Vrbem exceptus est. Cum autem postea Cardinalium Gallorum suasu reditum in Galliam meditaretur, VI calendas aprilis 1378 Romae obiit [2]. Post obitum eius ortum est in Ecclesia schisma teterrimum, quod multis annis duravit, duobus simul, aliquando tribus Pontificibus, aliis Romae, aliis Avenione et alibi sedentibus, ut in sequenti Epocha narrabimus.

---

[1]) Vastorius, *Vita s. Birgittae* cum notis Benzelii, 1708; Helyot, Op. cit.

*) Prima quam edidit Constitut., cuius initium *Super universas*; *Bullarii* t. I.

[1]) Benedictus XIV, *De Festis B. M. V.* part. II, n. 181 et 182.

[2]) Raynaldus et Bzovius, ad an. 1370-78.

HISTORIAE ECCLESIASTICAE

EPOCHA NONA

AB INITIO SCHISMATIS OCCIDENTIS VSQVE AD FINEM IMPERII GRAECI, AN. 1453

PROOEMIVM

Post Gregorii Pp. XI obitum Ecclesia tristem subiit in Occidente divisionem, quae *magnum Occidentis schisma* appellari consuevit. Cardinales primo in locum Gregorii XI elegerant Vrbanum VI ; deinde contestati, sibi vim a populo Romano illatam et Vrbanum non fuisse libere electum , elegerunt Clementem VII. Ambo, Vrbanus VI et Clemens VII, sibi pontificatum vindicarunt, ille Romae, hic Avenione sedit; ambo suas *obedientias* et post mortem successores habuerunt, et res tam obscura facta est, ut viris doctis iudicatu foret difficile, cui parti veritas et iustitia faverent. Ab utraque parte fuerunt viri, sanctitate ac doctrina clari. « Multae , inquit D. Antoninus , disputationes factae sunt circa istam materiam, multi libelli editi sunt pro utriusque partis defensione. Peritissimos viros et sancta pagina et iure canonico habuit toto tempore, quo duravit id schisma ; utraque pars seu *obedientia*, ac etiam religiosissimos viros et quod magis est etiam miraculis fulgentes ; nec unquam sic potuit quaestio illa decidi, quin semper remanerent apud plurimos dubia [1] ». Post plura ad componendam divisionem conamina adhibita, tandem an. 1417 in Constantiensi concilio Gregorius XII pontificatu cessit, Ioannes XXIII et Benedictus XIII depositi sunt, unusque electus fuit Martinus V. Paucorum factio Benedicto XIII, et post eius mortem Clementi VIII adhaesit usque ad an. 1429, quo Clemens in gratiam cum Martino V rediit. Duravit igitur schisma, si computes usque ad electionem Martini V, fere 40, si usque ad reconciliationem Clementis, circiter 51 annis.

Ex hoc schismate mala plurima exorta sunt, nimirum Pontificum aliorum contra alios processus , depositiones et excommunicationes, ecclesiarum inter se dissensiones, observantiae erga auctoritatem pontificiam diminutio, disciplinae enervatio, in clero et in populo morum depravatio etc. Ad corrigendos autem abusus, ad reformandos mores et instaurandam disciplinam coacta fuere concilia Pisanum , Constantiense, Basileense et Florentinum.

Praeterea Fidei unitatem impugnarunt Wicleffitae et Hussitae , turbasque graves excitarunt hi in Bohemia, illi in Anglia. Vtraque haeresis a RR. Pontificibus et conciliis proscripta atque a viris eruditis confutata fuit , ut videbimus.

1. *Vrbanus VI, Pontifex* (*an.* 1378) — Quum Gregorius Pp. XI, VI° calendas aprilis 1378, Romae decessisset, Romani veriti, ne, si quis patria Gallus in locum eius elegeretur, curiam referret Avenionem, in ingressu conclavis clamitantes postularunt, ut eligeretur Romanus vel saltem Italus. Deinde praefectum regionum Vrbis ad Cardinales miserunt , qui peteret non alium quam Romanum in pontificem eligendum. Responderunt Cardinales, se electionem facturos habitis solum prae oculis honore Dei, salute populi christiani et utilitate Ecclesiae catholicae ; et consentientes inter se, non esse eligendum Romanum, ne electio videri posset facta per metum, Italum tamen, ut patrimonium Ecclesiae, longa Pontificum absentia imminutum, restitueretur , V idus aprilis elegerunt Bartholomaeum Prignanum , Neapolitanum , et archiepiscopum Barensem. Vbi hanc electionem cognovit populus, grandem tumultum in Vrbe excitavit. Cardinales partim in castrum s. Angeli, partim in domos privatas et extra Vrbem confugerunt , et post paucos dies tumultu sedato , electionem factam confirmantes XIV calendas maias Bartholomaeum Prignanum sub nomine Vrbani VI sollemni ritu et pompa secundum morem inaugurarunt [1].

---

[1]) *Chron.* part. III, tit. 22, c. 2.

[1]) Raynald. ad an. 1378; I. B. Palma, *Praelect. Hist. eccl.* t. III, p. II, c. 14.

2. *Schismatis Occidentalis initia* — Vrbanus VI vix Ecclesiae gubernacula manum admovit, totus in eo fuit ut curiam reformaret, vitia coërceret, et disciplinam instauraret. Verum, quum in hoc negotio nimiam prae se ferret severitatem, multorum etiam Cardinalium animos offendit. Post unum circiter mensem ab eius inauguratione 13 cardinales, quorum 12 Galli et 1 Hispanus, secesserunt Anagniam, ibique iam deliberare coeperunt, quomodo Vrbanum deponerent et novum pontificem eligerent; demum V idus augusti declarationem ediderunt, in qua contestabantur, se in conclavi non fuisse liberos, electionem Vrbani fuisse vi et metu extortam, atque adeo eum non esse legitimum pontificem; deinde profecti sunt Fundos in regno Neapolitano, ubi sub Ioanna regina, quae Vrbani VI partes reliquerat, securius agerent. Illic tribus etiam cardinalibus Italis ad se pertractis, XII calendas octobris pontificem elegerunt cardinalem Robertum, Gebenensem, qui pridie calendas novembris inauguratus, a suis dictus est Clemens VII [1].

Sic, proh dolor! schisma conflatum est, duobus simul summum Ecclesiae sacerdotium sibi vindicantibus. Vrbanus VI Romae, Clemens VII Avenione curiam habuit; ambo partes suas augere et firmare conati sunt, litteras encyclicas ad ecclesias scripserunt, novos cardinales crearunt, se invicem sententiis censurisque perstrinxerunt. Clementis obedientiam amplexi sunt reges Galliae, Aragoniae et Siciliae; caeteri vero principes fere omnes Vrbano VI obediverunt.

Dum autem perpenduntur monumenta, electionem Vrbani VI spectantia, nullum videtur superesse dubium, quin ea fuerit legitima [2]. Verumtamen e cardinalium contestationibus, e scriptis utrinque ea de re editis, prout partium studium eo tempore quosque occupabat, et ex aliis adiunctis tanta in utramque partem ingesta est confusio, ut viri, optime licet animati, ancipites haererent, quid sibi agendum, et quae de Pontificibus, inter se contendentibus, quantum ad legitimam eorum auctoritatem pertinebat, sententia verior esset. Ecclesia ipsa definitivum iudicium ea de re non tulit, quamvis eius sensus esse videatur, inquit Spondanus, Vrbanum VI eiusque successores solos fuisse legitimos pontifices [3].

1) Op. et loc. cit.
2) I. B. Palma, loc. cit.; Raynald. et Papebroch., *Conat. chronol. hist.* part. II.
3) *Annal.* ad an. 1378.

Iste vero divisionis status non obfuit saluti eorum, qui bona fide sive hanc sive illam partem sectabantur, animoque ac intentione uniti erant cum legitimo pontifice, quamvis in errore facti versarentur, quis ex contendentibus esset legitimus. « Nam, inquit D. Antoninus, etiamsi necessarium sit credere, sicut unam esse catholicam Ecclesiam non plures, ita et unicum eius Pastorem, Vicarium Christi; tamen si contingit plures per schisma creari seu nominari pontifices summos uno et eodem tempore, non videtur saluti necessarium credere, istum esse vel illum, sed alterum eorum, qui scilicet fuerit canonice assumptus. Quis autem fuerit canonice electus, non tenetur quis scire, sicut nec ius canonicum, sed in hoc populi sequi possunt maiores suos seu praelatos [1] ».

Neque per hanc divisionem, quae improprie schisma nuncupatur, unitas Ecclesiae abrupta fuit. Qui enim uni vel alteri de pontificatu contendentium, quem ius probabilius habere iudicabant, obediebant, ita animo erant comparati, ut eos qui in alia essent obedientia, non ut schismaticos aut ab unitate Ecclesiae praecisos, sed tamquam fratres et vera unius Ecclesiae membra habuerint; omnes parati illum sequi Pontificem, quem Ecclesia agnovisset, communi consilio adlaborarunt schismati extinguendo et certo Pontifici impetrando.

3. *Wicleffitarum Haeresis* — Tristi schismati, quo Ecclesiae dividebantur, accessit aliud malum, haeresis nempe Wicleffitarum, cuius auctor fuit Ioannes Wicleff, anglus, doctor Oxoniensis et parochiae Lutterworthensis in dioecesi Lincolniensi rector, vir acris et superbi ingenii. Is cum usurpatam Cantuariensis collegii praefecturam monachis, quibus ea debebatur, restituere Cantuariensis archiepiscopi et Vrbani Pp. V sententia an. 1370 fuisset coactus, odium ingens in monachos, in episcopos et in Pontifices concepit, atque in eosdem tum sermonibus tum scripto invectus est. Anno 1376 articuli 19 ex eius praelectionibus et concionibus desumpti, ad Gregorium Pp. XI delati fuerunt. In his articulis R. Pontifici ius temporalis dominii, clericis potestas solvendi atque ligandi, et superioribus facultas reservandi sibi casus conscientiae denegabantur; principes vero saeculares ad adimenda clericis bona excitabantur. Gregorius XI condemnatis istis arti-

1) *Chron.* part. III, tit. 22, c. 2.

culis, archiepiscopo Cantuariensi et episcopo Londinensi mandavit, ut in Wicleffum inquirerent, scriptasque eius confessiones ad Apostolicam Sedem transmitterent. Wicleff constitutis iudicibus an. 1378 scriptum obtulit, in quo sententias suas in mitiorem quidem sensum explicabat, sed non retractabat. Iudices ei interdixerunt, ne deinceps doctrinas illas proponeret, sententiam vero in eumdem ferre ausi non sunt, quod Ioannes dux Lancastriae, sub impuberi Richardo II regni administrator, pluresque proceres et plebeii novatori faverent.

Wicleff interdictum tam parum servavit, ut etiam deteriores errores professus sit, et an. 1381 in praelectionibus suis et thesibus doctrinam catholicam de ss. Eucharistia impugnaverit, imo haereticam pronuntiarit. Quamvis non pauci ex Oxoniensibus Wicleffo assentirent, tamen cancellarius Vniversitatis, multique theologiae et iuris canonici doctores theses eius publice condemnarunt et sub poena carceris proponi vetuerunt. Richardus rex Wicleffum munere professoris privavit, et synodus Londinensis, cui cum archiepiscopo Cantuariensi interfuerunt 7 episcopi et multi theologiae iurisque canonici doctores, anno 1382 assertiones 24, e Wicleffi scriptis excerptas, partim ut haereticas partim ut erroneas damnavit. Earum summa haec erat: Substantiam panis et vini etiam post consecrationem in Eucharistia permanere, neque Christum realiter in ea esse praesentem; Missae sacrificium a Christo non fuisse institutum; homini vere contrito confessionem peccatorum coram sacerdote esse inutilem; ministrum peccato mortali obnoxium, non posse sacramenta conficere; Papam vitiosum non habere in christianos potestatem, nisi forte sibi ab imperatore concessam; post mortem Vrbani VI nullum deinceps Papam esse recipiendum; temporales clericorum possessiones esse contrarias s. Scripturae; praelatos non posse excommunicare quempiam, nisi prius sciant eum excommunicatum esse a Deo; diacono et presbytero licere verbum divinum praedicare sine Papae et episcoporum facultate; dominos temporales et ecclesiasticos per peccatum mortale excidere sua dignitate et potestate; dominos temporales auferre posse bona ecclesiasticis habitualiter peccantibus; fundatores Ordinum monasticorum esse peccatores, eosque ingredientes non esse christianos [1].

[1]) Apud Labbe, *Concil.* t. XI, p. 2052.

Rex perversitate damnatarum propositionum intellecta, archiepiscopo Cantuariensi eiusque suffraganeis potestatem dedit omnes, qui eas tradituri essent, tamquam haereticos comprehendendi, et Vniversitatis cancellario atque procuratoribus mandavit, ut in Wicleffi asseclas diligenter inquirerent, e ditione urbis Oxoniensis eiiciendos. Wicleff se recepit in parochiam, olim ab aula sibi collatam, eodemque an. 1382 ab Vrbano VI Romam evocatus, acerrima epistola respondit, se esse impeditum. Anno autem 1384 apoplexia mortuus est.

Praeter supra commemoratos errores Wicleff plures alios tradidit, sicut e scriptis eius praesertim e *Trialogo* constat. Vniversim, Ecclesiae et Patrum traditione atque auctoritate reiectis, nihil credendum esse statuit praeter id quod continetur in Scriptura sacra literaliter intellecta, quam etiam in linguam patriam vertit. Non unam alteramve Ecclesiae doctrinam aut institutionem oppugnare sed potius totum Ecclesiae catholicae systema innovare sibi proposuit, ad quem finem assequendum magis conviciis et argutiis sophisticis, quam solidis argumentis usus est. Simili spiritu animati erant eius asseclae, qui pseudo-magistri sui erroribus novos addiderunt.

Cum haeresis inter Vniversitatis Oxoniensis membra et etiam inter cives continuo serperet, rex e senatus consilio episcopis mandavit, ut ad conterendam haeresim efficaciora media adhiberent. Igitur archiepiscopus Cantuariensis anno 1396 synodum Londini congregavit, in qua 18 articuli, e *Trialogo* Wicleffi excerpti, damnati sunt. Idem praesul an. 1408 alteram synodum coëgit Oxonii, in qua sub poena, in promotores haeresum statuta, interdictum est, ne quis clericus aut monachus sine speciali licentia verbum Dei praedicaret, ne in scholis de doctrina ab Ecclesia damnata disceptaretur, ne quis s. Scripturam propria sua auctoritate in linguam vulgarem verteret, aut huiusmodi versionem legeret, nisi a dioecesana vel provinciali synodo approbatam [1]. Cum vero sectarii synodorum sententias et interdicta spernerent, Richardus rex severiores leges contra eos sancivit, secundum quas an. 1413 nonnulli suppliciis affecti sunt. Vnde factum est, ut secta in Anglia expirarit. Sed nonnulli Angliam deserentes auctoris sui scripta secum tulerunt in alias terras, nominatim in Bohe-

[1]) Labbe, loc. cit. p. 2079 et 2089.

miam, ubi perversam haeresim propagarunt. Quapropter Ioannes Pp. XXIII an. 1413 in Romana synodo Wicleffi scripta condemnavit, praecepitque Ordinariis, ut contra eos, qui illa retinuerint, legerint aut laudaverint, velut de Fide suspectos agerent. Anno 1415 Concilium Constantiense, sessione VIII, Ioannem Wicleff tanquam haereticum damnavit, ossa eius e terra sacra extrahi iussit, et 24 articulos, e scriptis eiusdem desumptos, veluti haereticos vel blasphemos vel erroneos vel scandalosos proscripsit [1].

4. *Lis de Immaculata Conceptione B. V. M.* — Eodem tempore in Gallia alia controversia inter catholicos agitata fuit, nimirum de Immaculata Conceptione B. V. M. Haec quaestio graviter tractata est inter Dominicanos et Franciscanos. Priores, auctoritate s. Thomae Aquinatis, innixi, docebant, B. V. M. in peccato originali fuisse conceptam, sed post conceptionem in utero matris suae sanctificatam [*]. Franciscani vero, duce Ioanne Duns Scoto, contendebant, Deiparam Virginem sine originali labe fuisse conceptam, iisque hoc tempore caeteri theologi plerique consentiebant. Quum an. 1387 Ioannes de Montesono, dominicanus et Parisiis theologiae professor in publica disputatione inter alia propugnasset, doctrinam de immaculata B. V. M. Conceptione s. Scripturae et Fidei adversari, Facultas theologica et episcopus Parisiensis 14 propositiones e disputatione eius ut falsas et scandalosas improbarunt, et sub poena excommunicationis doceri prohibuerunt. Dominicani vero causam Ioannis de Montesono imprudenter susceperunt, perinde ac si ipsius D. Thomae auctoritas fuisset laesa, et in ipsis hinc inde concionibus aliisque occasionibus piae sententiae de Immaculata B. V. M. Conceptione detraxerunt. Res eo devenit, ut Dominicani gradibus et privilegiis academicis exclusi, a sacro suggestu et confessionis tribunali amoti, nonnulli custodiae mancipati fuerint, donec temporis progressu animorum aestus paulatim sedaretur [2].

[1]) Labbe, loc. cit. p. 2323, et t. XII, p. 42. Cf Th. Walsingh. *Hist. Angl. mai.*; Bossuet, *Histoire des variations*, l. XI, c. 153; Natal. Alex. *Hist. eccl.* saec. XIV, c. 3, a. 22.

[2]) Du Boulay, *Hist. Vniversit. Paris.* t. IV; Berthier, *Hist. de l'egl. Gall.* t. XIV, p. 349, in-4°.

*) Nonnulli scriptores, vel ex ipsa Praedicatorum Familia, in tuto posuerunt sententiam Aquinatis non adversari doctrinae fidei, quam Pius IX catholico orbi credendam proposuit, de Immaculata Virginis Conceptione. Cf Marian. Spada, *Esam. crit. sul. dottr. dell'Angelic.* ec.; Ioan. M. Cornoldi, in *Sentent. s. Thomae Aquin. de immunit. B. V. Dei Parentis a peccati originalis labe*, Neapoli etc.; atque Ephemerid. *La Scienza e la Fede*, voll. 18, 25 et 32, Napoli 1849, 1853, et 1856.

His porro disceptationibus pia sententia de Immaculata Deiparae conceptione magis magisque propugnata atque roborata fuit. Cum tamen nonnulli oppositam sententiam defenderent, an. 1439 Concilium Basileense sessione XXXVI edixit, doctrinam de immaculata Deiparae Virginis conceptione esse piam, catholicae Fidei, s. Scripturae, rectae rationi et ecclesiastico cultui consentaneam, ab omnibus catholicis approbandam, tenendam et amplectendam; contrarium docere prohibuit, et eiusdem sanctae Conceptionis sollemnitatem secundum Romanae et aliarum ecclesiarum morem in omnibus ecclesiis et monasteriis celebrari iussit [1]. At cum hoc decretum conditum sit post scissionem inter Concilium et R. Pontificem, quaestio non fuit definita. Anno 1477 Xystus Pp. IV amplas Indulgentias concessit festum Immaculatae Conceptionis devote celebrantibus, et an. 1483 altera constitutione sub poena excommunicationis prohibuit, ne una aut altera de Conceptione B. V. M. sententia haereseos insimularetur, quum res nondum esset ab Ecclesia et Apostolica Sede decisa [2]. Anno 1497 Facultas theologica Parisiensis, constituit ut nullus ad academicos gradus admitteretur, nisi prius iureiurando se obstrinxisset ad defendendam sententiam de Immaculata Deiparae Conceptione; quod exemplum an. 1499 Coloniensis et an. 1501 Moguntina Facultas imitata est. An. 1564 Concilium Tridentinum sess. V declaravit, non esse suae intentionis in decreto suo de peccato originali comprehendere Beatam et Immaculatam Virginem Mariam, sed observandas esse constitutiones Xysti IV. Saeculo sequente Paulus Pp. V prohibuit, ne quis in actu publico assereret, Deiparam Virginem cum originali peccato fuisse conceptam; quod idem in privatis disceptationibus affirmare vetuit Gregorius XV eius successor [3]. Tandem Gregorius XVI precibus multorum episcoporum annuens decrevit, ut in praefatione missae de Conceptione B. V. M. diceretur: *Et te in conceptione immaculata*, et in Litaniis Lauretanis: *Regina sine labe originali concepta* [4].


Quamvis autem istis conciliorum et RR. Pontificum constitutionibus, declarationibus

[1]) Labbe, *Concil.* t. XII, p. 622,

[2]) *Extravag. comm.* l. III, tit. 12.

[3]) Cf Benedict. XIV, *De festis B. V. M.*

[4]) Qui fusiorem hac de re notitiam habere velit conferat opus cl. p. I. Perrone S. I. cui titulus, *De Immaculato B. M. V. concept.* etc. *Disquisitio, theologica*, Neapoli 1848.



et rescriptis pia atque communis sententia de immaculata B. V. M. Conceptione non definita, tamen magnopere roborata est;—donec an. 1854, die festo Immaculatae Virginis Conceptionis, Pius IX P. M., quem Deus diu sospitet, infallibili sententia definivit *doctrinam, quae tenet, beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae Conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Iesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, esse a Deo revelatam, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam.*

5. *Vrbani VI gesta* — Interea Vrbanus Pp. VI curam Ecclesiae impense gessit; ad recolendam annorum vitae Salvatoris nostri in terris memoriam Iubilaeum quoque anno trigesimo tertio celebrandum statuit;—similiter ut Festum Visitationis B. M. V. vi° nonas iulii sub ritu duplici per orbem universum sollemniter celebraretur*.—Opera s. Catharinae Senensis pacem cum Florentinis composuit; Ioannam Neapolis reginam, Clementis VII fautricem, regno Neapolitano, quod erat R. Ecclesiae feudum, privavit, et Carolum ducem Dyrrachii eo investivit. Carolus deiecta Ioanna et repulso Ludovico Andegavensi, regno Neapolitano potitus est, sed in Pontificem ingratus extitit, eum Neapolim venientem indecore excepit, et conflatam a sex cardinalibus in Pontificem coniurationem non compescuit. Vrbanus Neapoli digressus Nuceriam, coniurationem Cardinalium detexit, eos carceri mandavit et post habitam quaestionem excommunicatos atque depositos suppliciis affici iussit; Carolum vero regem Neapolis qua coniurationis conscium communione fidelium et regno privatum declaravit. Carolus Pontificem insecutus, eum in arce Nuceriana obsedit, sed hic manus eius evasit. Demum Vrbanus VI idibus octobris 1389 Romae obiit [1].

6. *Bonifacius IX, Pontifex* (*an.* 1389) — In eius locum postridie calendas novembris summo consensu 14 Cardinalium, qui Vrbano VI constanter adhaeserant, electus fuit cardinalis Petrus Tomacelli, Neapolitanus, qui nomen Bonifacii IX assumpsit et Ecclesiam rexit usque ad an. 1404. Is decessoris sui decreta confirmavit et indictum ab eo Iubilaeum an. 1390 celebravit, cuius lucrandi gratia magnus peregrinorum numerus Romae visus fuit. Postulantibus nonnullis principibus, ut eaedem indulgentiae in regnis suis concederentur, quod multi Romam ire non possent, Pontifex annuit, misitque legatos, qui in eorum terris Indulgentias promulgarent et peregrinationem ad urbem Romam in alia pia opera commutarent [1]. Idem Pontifex sub anathematis poena prohibuit, ne ecclesiarum, coenobiorum et xenodochiorum bona ultra triennium locarentur aut in emphyteusim darentur; constituit, ut quivis novus episcopus et abbas annatas seu fructus primi anni sui beneficii Apostolicae Camerae penderet; confirmavit electionem Ruperti Palatini, quem principes Germani an. 1400 in locum ignavi impurique imperatoris Wenceslai suffecerant; regnum Neapolitanum confirmavit Ladislao, Caroli regis filio: utque Ludovici Andegavensis, quem Clemens VII regem Neapolis creaverat, conatus praepediret, propriosque subditos in officio contineret, varias ecclesiastici status civitates viris potentibus sub annuo tributo contulit, quo aliisque modis pontificium imperium restituit [2].

7. *Schismatis status* — Clemens VII, quem Galli, Hispani et aliquot alii ut Pontificem colebant, quum primum Bonifacium IX in locum Vrbani VI electum audivit, excommunicationem et anathema in eum promulgavit. Bonifacium vero competitorem suum primo oblatis emolumentis et dignitatibus ad deponendum Pontificatum adlicere conatus est, ei Apostolicam Legationem in Gallia et Hispania, totique eius obedientiae veniam offerendam curavit, deinde decessoris sui censuras in eumdem innovavit. Interim viri unitatis et pacis ecclesiasticae studiosi, vocem suam pro extinguendo schismate tollebant. Quum inter principes Clementi obedientes potentissimus esset Carolus VI rex Galliae, Bonifacius IX an. 1392 ad eum legatos cum litteris destinavit, quibus regem hortabatur, ut extinguendo schismati et procurandae unioni operam conferret. Pontificis legati primo accedentes Avenionem, a Clemente VII indigne habiti fuerunt; rex vero melius eos excepit, lectisque Bonifacii litteris respondit, se omnem curam adhibiturum, ut ecclesiastica unio restitueretur; negotium autem inquirendi de ratione, qua schisma componeretur, demandavit Vniversitatis Parisiensis doctoribus. Hi

---

*) Sandini, *Historia Familiae sacrae; De Maria Virgine*, c. 4.— [1]) Raynald. ad an. 1378-89.

[1]) Victorell., *De Iubilaeo*, part. II.
[2]) Raynaldus et Bzovius, ad an. 1389-1404.

tres vias proposuerunt, nimirum cessionem utriusque competitoris, vel compromissionem utriusque in aliquot iudices qui summa auctoritate decernerent, vel concilium generale. Rex, non obstantibus contrariis consiliis Petri de Luna cardinalis Clementini, qui omni modo Vniversitatis conatus disturbare tentabat, doctoribus mandavit, ut ad Clementem VII scriberent, quatenus e tribus praedictis unionis viis unam eligeret. Clemens vero graviter offensus, nullum responsum dedit, et brevi post, nimirum XVI calendas octobris 1394, Avenione ex apoplexia obiit.

Defuncto Clemente, Vniversitas Parisiensis regesque Galliae et Hispaniae ad cardinales Clementinos litteras dederunt, ut electionem differrent, donec voluntas Bonifacii de unionis negotio explorata et undique concordiae via tentata fuisset. Verum cardinales Avenionenses spretis huiusmodi consiliis, IV calendas octobris in pontificem elegerunt cardinalem Petrum de Luna, Hispanum, qui nomen Benedicti XIII assumpsit, ne tamen schismatis fautores viderentur, ante electionem se iuramento obstrinxerant, ut ad illius extinctionem cunctis modis laborarent, et quicumque eorum fuisset electus, omnes vias utiles, etiam cessionem ad procurandam unionem fideliter amplecteretur. Verum quomodo Benedictus promissis suis steterit, patebit e dicendis.

Is optime sciens, plurimi sua interesse, ut regem Galliae et Vniversitatem Parisiensem in obedientia sua conservaret, iis significavit, se quamvis invitum, in pontificem fuisse electum, sed paratissimum esse ad deponendum pontificatum, si id ad componendum schisma foret necessarium. Quapropter praesules et doctores, postridie calendas februarias 1395, a rege Parisios convocati, post maturam negotii discussionem proposuerunt cessionem utriusque, Bonifacii IX et Benedicti XIII, tanquam commodiorem et efficaciorem viam restituendae unionis, quam omnes pii desiderabant. Vbi haec consilia Benedicto fuerunt proposita, primo ambagibus et tergiversationibus usus est, aliasque vias in medium protulit, deinde Vniversitatis et Principum oratoribus, cessionem urgentibus, nihil praeter verba dura minasque reddidit; Vniversitas vero adversus Benedicti minas appellavit ad proximum futurum, unicum, verum, orthodoxum Papam eiusque s. Apostolicam Sedem.

Bonifacius IX, cui eadem unionis via fuit proposita, respondit, se nihil magis cordi habere quam schismatis extinctionem; sed utpote legitime creatum, viam cessionis admittere non posse; attamen post Petri de Luna abdicationem se regi Galliae aliisque, restituendae unioni adlaborantibus, facturum satis. Quum autem Benedictus XIII viam cessionis pertinaciter reiiceret, an. 1398 praesules Galli, doctores, abbates, Capitulorum procuratores, principes et proceres regii concilii, mandato regis Parisiis congregati, post longam discussionem Benedicto obedientiam subtraxerunt. Idem fecerunt reges Castellae et Navarrae, et ex ipsis 23 cardinalibus Avenionensibus, 18 ab obedientia Benedicti secesserunt, seque Villam Novam in ditione regis Francorum receperunt. Benedictus, quamvis in palatio suo sub custodia retentus, pontificatu cedere noluit [1].

8. *Lithuanorum conversio* — Interea Lithuani christiana sacra susceperunt. Eorum dux Iagello, qui inter principes Europaeos solus adhuc falsa numina colebat, an. 1382 post obitum Ludovici, Poloniae et Hungariae regis, cum Polonis agere coepit, ut Hedwigem, defuncti regis filiam et regni haeredem, in coniugem acciperet; primaria vero nuptiarum conditio fuit, ut Iagello baptismum et christianam fidem susciperet. Assensit is, et an. 1386 cum multis proceribus Lithuanis Cracoviae baptizatus, et in baptismo Ladislaus appellatus est. Ladislaus nuptiis Hedwigis potitus, non tantum in suscepta Fide perseveravit, sed eam etiam per omnes terras suas propagandam curavit; an. 1387 comitia Wilnae coëgit, in quibus christianae Religionis professio pro tota Lithuania decreta est. Confestim nobiles et eorum exemplo plebeii tanto ardore christiana sacra susceperunt, ut turmatim essent baptizandi. Ladislaus delubra deorum et lucus sacros ubique destrui et angues, qui tanquam lares colebantur, occidi iussit; Vrbano VI coram episcopo Posnoniensi eius legato obedientiam professus est; Wilnae sedem episcopalem et in aliis civitatibus aedes sacras excitandas curavit, seque in omnibus ita gessit, ut posterorum laudes meruerit.

9. *Scriptores ecclesiastici* — Inter scriptores vero ecclesiasticos, qui posteriori saeculi XIV dimidio floruerunt, numerandi sunt, Nicolaus Eymericus, Ordinis FF. Praedica-

---

1) Raynaldus et Spondanus, ad an. 1392-99; Du Boulay, *Hist. Vniversit. Paris.* t. IV.

2) Dugloss. *Histor. Polon.* l. X; Spondan. ad an. 1386.

torum et generalis Inquisitor Fidei in Aragonia, qui praeter alia scripsit *Directorium Inquisitorum* [1]; Henricus Suso, Constantiensis, eiusdem Ordinis, qui reliquit *Horologium* divinae sapientiae, Meditationes, aliaque; Ioannes Ruysbroech, Belga, prior Canonicorum s. Augustini in Valleviridi prope Bruxellas, qui composuit Summam vitae spiritualis, libros de septem custodiis vitae spiritualis et de septem gradibus amoris, Speculum vitae aeternae, aliaque.

10. *Innocentius VII, Pontifex* (*an.* 1404) —Post obitum autem Bonifacii IX, qui contigit calendis octobris 1404, Cardinales conclave ingressi, XVI calendas novembris elegerunt Innocentium VII, Sulmonensem, antea appellatum Cosmam Melioratum, cardinalem archiepiscopum Ravennatensem, virum doctrina, morum integritate et gerendarum rerum peritia clarum. Is pro more encyclicis ad praelatos litteris electionem suam animumque ad extinctionem schismatis propensissimum significavit; Romae concilium indixit, sed illud propter exortam in Vrbe seditionem celebrare non potuit; Viterbium confugiens, in seditionis auctores ecclesiasticis censuris animadvertit et Ladislaum regem Neapolis, qui seditiosis auxilium praestabat, regno Neapolitano privatum declaravit; post 7 menses in Vrbem revocatus, cum summa populi laetitia exceptus est; Ladislaum regem Neapolis veniam pacemque postulantem, in gratiam recepit, eique regnum et pristinas dignitates restituit; sed ingratus rex fidem fregit novasque iniurias pro acceptis beneficiis reddidit, quem ideo Gregorius Pp. novis censuris merito perstrinxisset, nisi morte fuisset praereptus. Idem Pontifex Academiam Romanam instauravit, virosque omnium disciplinarum doctissimos arcessivit, qui philosophiam, theologiam et utrumque ius in ea docerent. Obiit autem postridie nonas novembris 1406 [2].

11. *Gregorius XII, Pontifex* (*an.* 1406)— Post obitum Innocentii VII cardinales in conclavi se iureiurando obstrinxerunt, ut quicumque esset electus, omni via schisma extinguere conaretur, etiam pontificatu cederet, si id fecisset Petrus de Luna seu Benedictus XIII; quo facto XII calendas decembris 1406 electus fuit Gregorius XII, Venetus, antea dictus Angelus Corarius, presbyter cardinalis, propter magnam vitae honestatem et Scripturarum peritia reverendus. Is quemadmodum ante electionem suam spoponderat, litteris et legationibus usus est ad restituendam unionem, pollicitus etiam, se in hunc finem depositurum pontificatum, si id faceret Petrus de Luna seu Benedictus; sed huius tergiversationem conspiciens, rem remissius tractavit, ut videbimus.

[1]) Cum adnotationibus Pennae, Rom. 1587 et Venet. 1607 in-fol.

[2]) Raynaldus et Spondanus, ad an. 1404-1406.

12. *Schismatis status*—Ecclesiarum unionem exoptabant boni omnes, pluresque ardenti studio componendae scissioni adlaborabant; at Petrus de Luna seu Benedictus XIII nullo modo adduci poterat, ut pontificatu cederet. Is an. 1403 e palatio Avenionensi, in quo conclusus detinebatur, favore ducis Aurelianensis elapsus, primo in Catalauniam, patriam suam, deinde Perpinianum se recepit, datisque ad principes et praelatos litteris spopondit, se omnia fideliter adimpleturum quae restituendae unioni forent necessaria, etiam depositurum pontificatum, competitore suo cedente vel mortuo vel eiecto, quibus artibus cardinales et cives Avenionenses, Gallos et Hispanos ad obedientiam suam reduxit. Tunc ut universo orbi studium suum pro unione persuaderet, Benedictus an. 1404 legatos Romam destinavit ad Bonifacium IX, at cum illi non abdicationem Benedicti, sed colloquia inter utramque partem offerrent, nihil effectum est. Quum autem subdolae Benedicti artes et speciosa promissa magis fierent manifesta, an. 1406 in frequenti episcoporum et doctorum conventu, Parisiis habito, obedientiae eius subtractio rursus fuit decreta, nisi is stato tempore se Pontificatu abdicaret. Interim Gregorius XII et Benedictus XIII inter se litteris et legationibus de unione agere videbantur, tum hic tum ille cessionem, altero cedente, promittebat, sed cum neuter prius cedere vellet, nihil effecerunt. Tandem convenit, ut ambo competitores cum suis collegiis Saonam in Liguria convenirent; at utroque causas suas, ne in congressum veniret, praetexente, omnis spes concordiae evanuit [1].

13. *Concilium Pisanum* (*an.* 1409) — Tunc utriusque partis principes et cardinales de subtrahendis obedientiis, et cogendo generali concilio tum pro schismatis extinctione tum pro Ecclesiae reformatione consenserunt. Quapropter utriusque obedientiae cardinales in Hetruriam convenientes, an. 1408 encyclicis litteris ad Gregorium XII et Benedictum

[1]) Du Boulay, *Hist. Vniversit. Paris.* t. V; Raynald. ad an. 1403-1408.

XIII, ad episcopos aliosque praelatos, ad doctores et principes destinatis, concilium generale convocarunt, anno sequente Pisis celebrandum. Ambo contendentes, Gregorius et Benedictus, contra istam concilii convocationem reclamarunt, illius celebrationem impedire conati sunt, et prior Austriae prope Aquileiam, posterior Perpiniani concilium indixit.

Verumtamen concilium Pisis inchoatum est VIII calendas aprilis 1409. Interfuerunt 22 cardinales, 4 patriarchae, scilicet Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus, et Gradensis, 200 archiepiscopi et episcopi sive per se sive per legatos, abbatiarum ac Ordinum procuratores et theologi magno numero, oratores regum Galliae, Angliae, Lusitaniae, Siciliae et aliorum principum. Praesedit cardinalis Pictaviensis, cardinalium utriusque partis senior. Habitae sunt sessiones secundum aliquos 21 aut 22, secundum alios 23. Sessione I[a] peractis pro more sollemnibus, utrique de Pontificatu contendenti, Gregorio et Benedicto, dies dicta fuit. Idem factum est sess. II et III, cumque illi nec per se nec per legatos comparerent, concilium eos in causa schismatis et Fidei contumaces declaravit, decrevitque ad ulteriora contra illorum contumaciam procedendum. Sess. IV legati Ruperti imperatoris ad propugnandam causam Gregorii XII auditi sunt, et 24 quaestiones seu difficultates proposuerunt, quarum praecipuae erant: 1[a], utrum cardinales ei, quem ut legitimum pontificem agnoscebant, obedientiam subtrahere potuerint ante causae cognitionem et sententiam latam; 2[a], utrum concilium generale convocare possint, cum nullam supra illud habeant auctoritatem; 3[a], utrum Gregorius teneatur parere concilio, cuius pars ei adversata est, pars obedientiam subtraxit, pars neutram obedientiam professa erat; 4[a], qua ratione duo collegia, quorum unum legitimum, alterum illegitimum, potuerint convenire in unum, et alterum alteri ius eligendi summum Pontificem tribuere. Cum synodus responsionem in aliam diem distulisset, legati insalutatis Patribus abierunt. Sess. V lecta fuit prolixa rerum gestarum a schismatis exordio expositio. Sess. VI, VII et VIII concilium e singulis nationibus deputavit aliquos, qui testes audirent et instrumenta ad utriusque contendentis causam spectantia discuterent, declaravitque, cardinales iure potuisse inire unionem et concilium generale congregare ad schismatis extinctionem et Ecclesiae pacem procurandam. Sess. IX et proxime sequentibus testes auditi et instrumenta perlecta sunt. Sess. XV concilium in Gregorium XII et Benedictum XIII veluti innotorios schismaticos, haereticos, periuros, omni honore et dignitate etiam Papali indignos, sententiam legit, eos pontificatu deiecit, et omnes christianos ab illorum obedientia absolvit. Sess. XVI cardinales sollemnibus verbis spoponderunt, quod qui ex eorum collegio Pontifex eligeretur, concilium esset continuaturus, donec debita atque sufficiens ab eo facta foret Ecclesiae reformatio in capite et in membris. Sess. XIX actum est de electione novi Pontificis et utriusque partis Cardinalibus ius suffragii concessum, qui numero 24 elegerunt Petrum Philargum de Candia, cardinalem archiepiscopum Mediolanensem, qui nomen Alexandri V assumpsit. Sess. XX lecto electionis decreto, Alexander V orationem habuit super his verbis: *Erit unum ovile et unus pastor*. Sequentibus sessionibus, praeside Alexandro V, ad consulendam conscientiarum quieti lecta sunt decreta synodalia, quibus ii, qui schismatis occasione hinc inde censuris et sententiis fuerant perstricti, ad cautelam absolvebantur; omnes dispensationes super matrimoniis, aliisque casibus, forum conscientiae spectantibus, ab utraque parte concessae, item omnes collationes, provisiones et translationes beneficiorum et dignitatum, omnesque clericorum ordinationes, ab utroque contendente factae, ratae habebantur, dummodo canonice et non in detrimentum unionis factae essent. Quantum attinet reformationis ecclesiasticae negotium, cum iam multi praesules et principum oratores discessissent, Alexander V illud remisit ad futurum generale concilium, post triennium celebrandum, et VII idus augusti praesens concilium terminavit [1].

De auctoritate concilii Pisani inter eruditos disputatur, alii illud illegitimum, alii oecumenicum, alii melius cum docto Muzzarelli oecumenicum dubium dicunt [2].

14. *Schismatis status* — Tantum abest, ut schisma per concilium Pisanum fuerit sublatum, ut potius auctum sit, quemadmodum scribit D. Antoninus, tribus nunc se pro papa gerentibus [3]. Gregorio XII multi Itali et Ger-

---

1) Labbe, *Concil.* t. XI, p. 2114; Mansi, t. XXVI, p. 1131, et XXVII, p. 1.

2) Muzzarelli, *De auctoritate R. Pontif.* t. II, c. 17.

3) *Chron.* part. III, tit. 22, c. 5.

mani, Benedicto XIII Hispani, Alexandro V reliqui obedierunt. Gregorius XII in synodo, anno 1408 prope Aquileiam indicta, ambos suos competitores, Benedictum et Alexandrum, tanquam intrusos, schismaticos et pertinaces condemnavit, deinde secessit Ariminum. Benedictus soluta sua synodo Perpinianensi, se recepit Peninsulam in regno Valentiae. Alexander V cum Romam peteret, V nonas maias 1410 Bononiae de vita decessit. Sepultus est eodem loco in Ecclesia Fratrum Minorum, quorum et ipse institutum professus fuerat. Alexandrum V carpit maledicus conviciator Theodoricus Niemus, at iure confutatus fuit a Wadingo [1] testimoniis scriptorum, qui Alexandrum V commendarunt, uti virum magni animi, prudentiae summae, et effusae in pauperes liberalitatis. Post eius obitum 17 cardinales Bononiae pro more comitia celebrarunt, et XVI calendas iunias in locum Alexandri elegerunt cardinalem Balthassarum Cossa, Neapolitanum, qui Ioannes XXIII appellatus est. Is Romam progressus est; rebellem Ladislaum, regem Neapolis, indicto in eum bello sacro in ordinem redegit; post obitum Ruperti imperatoris legatos destinavit ad electores imperii, ut in eius locum eligerent Sigismundum regem Hungariae; an. 1412 Romae synodum coëgit, in qua Ioannis Wicleff errores et scripta damnavit; brevi post, foedifrago Ladislao rursum Romam aliasque ditionis ecclesiaticae civitates occupante, se recepit Bononiam, hincque an. 1414 transiit Constantiam auspicaturus concilium generale, ibidem indictum. In hoc concilio, ut mox videbimus, Ioannes XXIII et Benedictus XIII pontificatu depositi sunt, Gregorius XII se abdicavit, electus fuit Martinus V, et schisma sublatum.

15. *Concilium Constantiense* (*an.* 1414) — Quum igitur schisma perduraret, ecclesiastica reformatio desideraretur, et praeterea Hussitarum secta, de qua infra loquemur, in Bohemia turbas graves excitaret, Ioannes XXIII, operam plurimam conferente Sigismundo imperatore, concilium generale Constantiae indixit. Concilium inchoatum est XVI calendas decembris 1414, et 45 sessionibus absolutum X calendas maias 1418. Praeter cardinales et 4 patriarchas interfuit magnus episcoporum, sed multo maior abbatum, clericorum, monachorum et doctorum theologiae iurisque canonici numerus. Adfuit etiam Sigismundus imperator. Sessionibus I[a] et II[a] quibus praesedit Ioannes XXIII, ordo concilii compositus fuit; placuit, ut omnes tres de pontificatu contendentes eo cederent; Ioannes XXIII iureiurando spopondit, se Papatu cessurum, reliquis duobus se abdicantibus. Legati Gregorii XII promiserunt, se operam daturos, ut ab eo cessionem impetrarent; nuncii vero Benedicti XIII nihil aliud obtulerunt, nisi ut Sigismundus cum Benedicto et Ferdinando rege Aragoniae conveniret Niciam Liguriae ad deliberandum de unionis via. Dum haec agebantur, Ioannes XXIII clam Constantia aufugit Schafhusiam, urbem in ditione Friderici ducis Austriaci sitam. Tunc Ioannes Gerson, Vniversitatis Parisiensis cancellarius, orationem habuit de concilii generalis auctoritate supra Papam; cumque cardinales missi ad Ioannem XXIII, ut mentem eius explorarent, eique reditum suaderent, haud idoneum responsum retulissent, habita fuit, praeside cardinali Petro de Alliaco, sessio III, in qua decretum est, praesens concilium esse legitime congregatum, et, non obstante Ioannis recessu, legitime continuari, neque dissolvendum aut alio transferendum, priusquam extiucto schismate pax Ecclesiae foret reddita, nisi ex iusta et a concilio probata causa. Sess. IV et V, praeside Iordano, declaratum est, Concilium Constantiense in Spiritu S. legitime congregatum, concilium generale faciens et Ecclesiam catholicam repraesentans, potestatem a Christo immediate habere, cui quilibet, cuiuscumque status vel dignitatis etiamsi papalis existat, obedire teneretur in his, quae pertinebant ad Fidem, extirpationem dicti schismatis et reformationem Ecclesiae in capite et in membris. Sessionibus sequentibus usque ad XLI praesedit Ioannes cardinalis episcopus Ostiensis. Praetermittimus eas sessiones, in quibus res minoris momenti tractatae sunt. Sess. VI decreta est honorifica legatio ad Ioannem XXIII, ut is Constantiam rediret vel pontificatu cederet; sed neutrum is praestitit. Sess. VII concilium Ioanni diem dixit, ut infra 9 dies se concilio sisteret; is vero confugit Friburgum, et paulo post a Friderico Austriaco custodiae mancipatus fuit. Sess. VIII 45 articuli Ioannis Wicleff damnati, eiusque scripta igni addicta sunt. Sess. IX-XI concilium iterato Ioanni diem dixit, audivitque testium confessiones contra eumdem. Sess. XII Ioannem XXIII pontificatu deposuit, omnesque christianos ab obedientia eius absolvit. Sess.

[1]) *Annal. Minor.* ad an. 1410, § 4.

XIII contra Bohemos Hussitas decretum est, sacram communionem sub una specie a laicis iisque ieiunis esse sumendam, hancque consuetudinem ad pericula et scandala vitanda legitime fuisse introductam. Sess. XIV Gregorius XII se sponte per procuratorem pontificatu abdicavit; quapropter ei primus locus in collegio cardinalium cum perpetua legatione marchiae Anconitanae concessus, eiusque cardinales recepti et ministri in officiis suis confirmati sunt. Sess. XV articuli et libri Ioannis Hus damnati sunt, et ipse Ioannes ut haereticus sacerdotali honore privatus et curiae saecularis iudicio relictus; etiam condemnata fuit doctrina Ioannis Parvi (*Pétit*), doctoris Parisiensis, de licito imo meritorio tyrannicidio, a subditis etiam dolose perpetrato. Sess. XVI et XVII concilium, tum legationem tum alia frustra tentavit, ut Benedictum ad deponendum pontificatum perduceret. Sess. XXI Hieronymus de Praga in haeresim hussiticam, quam eiuraverat, relapsus, damnatus et saeculari curiae relictus fuit. Sess. XXXVII Benedictus XIII, qui quamvis saepius monitus et etiam ab Hispanis, qui iam concilio Constantiensi accesserant, derelictus, contumax permanebat, tanquam periurus, schismatis fautor et haereticus, pontificatu depositus et communione Ecclesiae exclusus est. Sess. XXXIX et XL editum fuit decretum perpetuum de celebrandis stato tempore conciliis generalibus, et constitutum, ut futurus Pontifex cum concilio vel nationum delegatis Ecclesiam et curiam Romanam secundum 18 articulos indicatos reformaret. Sess. XLI nominati fuerunt nationum deputati, qui hac vice simul cum cardinalibus pontificem eligerent, et III idus novembris 1417 electus fuit Martinus V, antea Otto de Columna, cardinalis diaconus, qui reliquis sessionibus praesedit. Sess. XLIII et XLIV concilium aliquot reformationis capita promulgavit, et Martinus Pp. pro futuro concilio generali designavit civitatem Papiam. Sess. XLV, habita X calendas maias 1418, Martinus V concilium absolvit et ea, quae per concilium in materiis Fidei conciliariter seu legitimo conciliorum more fuerant decreta, approbavit confirmavitque, ut ex his verbis patet: « Quibus sic factis, SS. Dominus Noster Pp. dixit respondendo ad praedicta, quod omnia et singula determinata, conclusa et decreta in materiis Fidei per praesens concilium conciliariter tenere et inviolabiliter observare volebat, et nunquam contraire quoquo modo, ipsaque sic conciliariter facta approbat et ratificat et non aliter nec alio modo [1] ».

Concilii huius sess. IV et V plurimum gloriantur ii, qui concilium generale supra R. Pontificem esse contendunt [2]; verum saltem dubium est, an concilium Constantiense, quantum istas Sessiones spectat, generale dici possit, cum iis non interfuerint obedientiae Gregorii XII et Benedicti XIII, et Martinus V tantum confirmaverit ea, quae *in materiis Fidei*, idest contra Wicleffi et Hussii errores, *conciliariter* seu more in conciliis recepto fuerant decreta, quibus adnumeranda non sunt decreta sess. IV et V; praeterea haec ipsa decreta non nisi de casu Pontificis dubii et de extirpatione praesentis schismatis intelligenda sunt [3].

16. *Schismatis finis* — Electio Martini V, in Constantiensi concilio facta, ingenti orbis catholici plausu et animorum concordia excepta, et dubium de legitimo pontifice, quod Ecclesiam diu perturbaverat, depulsum fuit. Gregorius, qui in Constantiensi concilio se sponte pontificatu abdicaverat, an. 1417 Recineti obiit. Ioannes in eodem concilio depositus, se eius sententiae submisit, et an. 1419 Florentiae obedientiam Martino V professus, ab eo episcopus Tusculanus et sacri Collegii decanus constitutus fuit, eodemque anno e vita decessit. Petrus de Luna seu Benedictus XIII contumax extitit usque ad mortem suam, quae contigit an. 1424. Post eius obitum pauci schismatici, qui ei adhaerebant, favente sibi Alphonso rege Aragoniae, elegerunt Ægidium de Munio, canonicum Barcinonensem, quem Clementem VIII appellarunt; sed postquam Martinus V opera cardinalis Petri Fuxensis legati sui Alphonsum regem ad Apostolicae Sedis obsequium, ad reddendam ecclesiis libertatem et ad delendas schismatis reliquias reduxisset, antipapa Clemens an. 1429 insignia pontificalia deposuit, obedientiam Martino V professus est, et ab eo epi-

---

1) Labbe, *Concil.* t. XII, p. 1; Mansi, t. XXVII, p. 520, t. XXVIII, p. 1.

2) Natal. Alex. *Hist. eccl.* diss. 4 *in saec. XV*; De la Luzerne, *Défense de la déclaration du Clergé de France*, par. III, c. 20.

3) Bellarmin. *Controvers.* l. II, *de Concil.* c. 19; Schelstrate, *Acta Concilii Constantiensis*; item, *Tractatus de sensu et auctoritate decretor. Constant. Concil. sess. IV-V*; Card. Orsi, *De R. Pontif. in synodos oecumenicas et earum canones auctoritate*, Muzzarelli, *De auctoritate R. Pontif.* t.II, c. 17; I. B. Palma, *Praelect. Hist. eccl.* t. IV. p. I, c. 4.

scopus Maioricensis constitutus fuit. Ita demum omnes schismatis reliquiae sublatae sunt [1].

17. *Hussitarum Haeresis*—Vidimus supra in concilio Constantiensi damnatam haeresim hussiticam, wicleffianae haereseos progeniem. Ioannes Huss, qui sectae nomen tribuit, in pago Bohemiae Hussinecz an. 1373 natus, postea in Vniversitate Pragensi theologiae professor et in celebri sacello, Bethleem appellato, concionator, libros Ioannis Wicleff avidissime legit, aliquot in linguam Bohemicam vertit, pravam eorum doctrinam suscepit aliisque communicavit. Cum vero pravis eius studiis se opponerent magistri Teutonici, id est Saxones, Bavari et Poloni, qui in Vniversitate Pragensi cathedras habebant, hos ipse voluptuoso regi Wenceslao et Bohemis tam invisos reddidit, ut illi relicta Praga profecti sint Lipsiam Misnae, ubi florentissimam academiam constituerunt. Ioannes Huss regis, academiae et populi favore fretus, errores suos audacius praedicavit. Quapropter Sbinko, archiepiscopus Pragensis, eum an. 1409 accusavit apud Alexandrum V, et e Pontificis huius mandato sub poena excommunicationis vetuit, ne quis in sacellis privatis verbum Dei praedicaret; libros vero Wicleffi aliorumque cum eo sentientium, in palatio suo concremari iussit; quod tantas turbas excitavit, ut archiepiscopus ad Sigismundum regem Hungariae confugerit, in quo itinere obiit. Huss ad Pontificem melius informandum appellans, in sacello Bethleemitico concionari perrexit. Audaciam eius auxit ignavia et incuria Albici, qui Sbinkoni in archiepiscopatu successerat. Ioannes XXIII condemnatis an. 1412 in Romana synodo Wicleffi libris, Hussium Romam ad dicendam causam vocavit, eique concionandi munere et sacrorum celebratione, quamdiu Pragae versaretur, interdixit. Tunc grandis seditio in urbe Praga Hussitas inter et catholicos orta est, ad quam sedandam Huss in locum natalem secessit, et a sententia Ioannis Pp. Christum appellans, errores suos sermone et scripto propagare conatus est.

Errores eius ad haec capita revocari possunt: Vnica est sancta universalis Ecclesia, quae est praedestinatorum universitas; Petrus non fuit caput Ecclesiae, sed solus Christus; R. Pontifex ante Constantini M. tempora non fuit caeteris episcopis maior; papalis dignitas a Caesaris potentia manavit; obedientia ecclesiastica praeter expressam Scripturae auctoritatem est adinventio sacerdotum; censurae ecclesiasticae sunt anti-christianae; sacerdos excommunicatus abstinere haud debet officio concionandi; peccata non per absolutionem, sed per contritionem remittuntur; episcopus, praelatus et dominus civilis, mortali culpa inquinati, omni potestate et iurisdictione excidunt; condemnatio 45 articulorum Ioannis Wicleff, facta ab academicis Pragensibus, est irrationabilis et iniqua. Praeterea Huss ad Wicleffi exemplum RR. Pontificibus, episcopis, monachis, ecclesiasticis institutionibus, Sanctorum cultui et suffragiis, indulgentiis graviter detraxit. Discipuli vero eius pseudo-magistri sui erroribus novos addiderunt, alii alios, prout in diversas sectas abierant.

Anno 1414 Ioannes Huss consilio Sigismundi imperatoris, quem Ioannes XXIII ad compescendos haereticorum in Bohemia motus interpellaverat, profectus est ad concilium Constantiense doctrinae suae rationem coram eo redditurus. A concilio interrogatus de erroribus suis, et utrum illos secundum mandatum eius corrigeret, respondit, se nullius erroris esse conscium, paratum tamen, si de aliquo convinceretur, ad eum corrigendum. Verum postquam duo theologi Pragenses multas heterodoxas assertiones, e scriptis Hussi i excerptas, concilio obtulissent, eumque accusassent, quod damnatos Wicleffi articulos defendisset, plebemque contra clerum excitasset; postquam concilium 30 articulos, scriptis Hussii excerptos, condemnavisset, Hussius vero iterato interrogatus, errores suos abiurare nollet, a concilio condemnatus, ab ordine sacerdotali depositus, relictus fuit curiae saeculari, a qua, non obstante cleri intercessione, ne occideretur, anno 1415 ad rogum damnatus est [1]. Parem sortem subiit Hiero-

---

[1]) Raynaldus et Spondanus, ad an. 1421-29.

[1]) Hussitae et postea haeretici protestantici iniuste questi sunt, Ioannem Huss a Concilio Constantiensi fuisse custodiae traditum, damnatum et combustum contra datam ei securitatis fidem seu salvum-conductum; nam I. Huss salvum-conductum accepit non a concilio, sed ab imperatore Sigismundo quo ei, si se concilio submitteret, publicam fidem fecit, non ad impunitatem haereseos aut ad vim iustitiae frangendam, sed ad prohibendam violentiam facti; non potuit enim prohibere imperator, quin concilium pro munere suo haeresim cognosceret et iudiciariam sententiam ferret; cumque concilium per testes, scripta et responsa Hussium haereseos convicisset, eum damnavit, et pertinacem tradidit curiae saeculari, quae eumdem ad rogum

nymus Pragensis, ardentissimus Hussii discipulus et magnarum turbarum atque violentiarum in clerum Pragensem auctor; qui cum Constantiam venisset, ut magistro suo suppetias ferret, a concilio admonitus, ut errores abiuraret, post multas tergiversationes Wicleffi et Hussii haereses damnavit; sed paulo post in concilio contestatus, se doctrinas suas non nisi mortis metu contra conscientiam suam abiurasse, seque in omnibus consentire Wicleffo et Hussio, an. 1416 a concilio damnatus et a curia saeculari supplicio affectus fuit.

Verumtamen Hussitarum secta cum morte auctoris sui non fuit extincta, sed maiores tumultus et persecutiones contra catholicos in Bohemia vicinisque regionibus excitavit. Quum enim Wenceslaus rex, cuius ignavia haereticorum audaciam auxerat, deinde turbulentum eorum in catholicos animum reprimere tentaret, illi duce Ioanne Ziska sumptis armis rebellarunt, in monte circuli Bechinensis ad Lusinitium amnem munitissimam urbem, Thabor dictam, unde et ipsi Thaboritae appellati sunt, extruxerunt, et ab an. 1419 in catholicos crudelius saevierunt, sacerdotes in primis et monachos trucidarunt, templa et monasteria vastaverunt. Interim Martinus Pp. V ad impediendam haereseos progressionem edidit constitutionem, qua praelatis ecclesiasticis et inquisitoribus mandabat, ut haereticos eorumque fautores praescripta iudiciorum forma coërcerent, et eorum mentem circa damnatos in Constantiensi concilio articulos explorarent secundum formulam in 35 capita distinctam; praeterea Ioannem Dominici cardinalem in Bohemiam legavit ad reducendos ad Fidem errantes, excitavitque episcopos Poloniae, in quam etiam prava haeresis penetraverat, ut eam studiose evellerent; cumque Hussitae violenter in catholicos saevirent, bellum sacrum contra illos indixit. Sigismundus imperator, cui post mortem fratris Wenceslai (1419) Bohemia cessit, haereticos armata manu in ordinem redigere conatus est; sed illi tanta vi dimicarunt, ut exercitus catholicos non semel fuderint et bellum per plures annos continuarint.

Post mortem Ioannis Ziskae (1424) Hussitae in plures sectas scissi sunt. Alii, appellati Thaboritae, Waldensium, Wicleffi et Hussii vestigiis pressius inhaeserunt, omnem pene Ecclesiae catholicae doctrinam, regimen et institutiones condemnarunt, et constituto sibi duce Procopio Raso, catholicos crudeliter persecuti sunt. Alii, dicti Orphani, quod capite seu duce carerent, quamvis aliquando a Thaboritis dissentirent et separata ab iis agmina constituerent, exigente tamen necessitate coniunctim cum illis agebant. Alii, cognominati Calixtini, erant ingenio longe moderatiori, Ecclesiam catholicam eiusve regimen aut cultum non condemnabant, sed praecipue propugnabant hos 4 articulos: 1°, ut ss. Eucharistia omnibus sub utraque specie porrigeretur; 2°, ut omnes sacerdotes libere sine praevia episcopi licentia verbum divinum praedicare possent, 3°, ut clericis temporale dominium adimeretur; 4°, ut delicta publica nulla ratione tolerarentur.

Cum his, nempe Calixtinis, Sigismundus imperator pacisci coepit, eosque, concessis securitatis libellis, adduxit, ut legatos destinarent ad concilium Basileae congregatum. Illi initio anni 1433 Basileam advenerunt, cumque inter eos et concilii deputatos de commemoratis supra articulis sine optato effectu disceptaretur, concilium in ipsam Bohemiam aliquot viros legavit, qui Pragae cum Calixtinis pacem composuerunt his legibus: ut in Bohemia et Moravia ss. Eucharistia laicis sub utraque specie concedi posset, sed adulti diligenter edocerentur, Christum sub quavis specie totum contineri; ut verbum divinum libere praedicaretur, non tamen sine auctoritate superiorum ecclesiasticorum; ut bona ecclesiastica a clero secundum praescripta Patrum fideliter administrarentur; ut peccata mortalia secundum leges divinas et ecclesiasticas, quantum fieri posset, punirentur, non tamen a personis privatis. His actis, Calixtini se cum catholicis coniunxerunt, se Sigismundo ut regi subiecerunt, et cum catholicis uniti, an. 1434 Thaboritas prope Pragam acie victos ingenti clade affecerunt. Anno sequente omnes Bohemiae et Moraviae ordines in publicis comitiis obedientiam Ecclesiae catholicae et Sedi Apostolicae professi sunt.

Haec pacta inter Bohemos et imperatorem Sigismundum atque concilium Basileense inita, an. 1436 Iglaviae, adiectis aliquot explicationibus, confirmata, Basileensia et Pragensia Compactata appellari consueverunt. Quantum spectat ad Thaboritas post stragem anni 1434 superstites, illi coetus separatos

condemnavit secundum leges imperii, poenam capitis in contumaces haereticos decernentes.

saltem clanculum continuarunt usque in sequens saeculum, quo se cum haereticis pseudo-reformationis coniunxerunt [1].

18. *Martinus V, Pontifex* — Interim Martinus Pp. V, ut supra vidimus, in concilio Constantiensi electus, soluto concilio Romam properavit, ubi an. 1420 summa omnium exultatione exceptus est; an. 1423 secundum Vrbani VI constitutionem Romae Iubilaei indulgentiam concessit; eodem anno legatos misit Papiam, qui celebrando ibi e decreto Constantiensis synodi concilio praesiderent, sed paulo post propter transalpinorum praesulum absentiam et grassantem Papiae pestilentiam concilium transtulit Senas, ubi illud vix coeptum propter paucorum praesulum praesentiam et prava studia Alphonsi regis Aragoniae dissolvit, et aliud post septennium Basileae celebrandum indixit [2]; an. 1425, postulante Ioanne duce Brabantiae, Lovanii in Belgio studiorum, idest iuris, medicinae, psilosophiae et scientiarum Vniversitatem constituit, quae anno 1431 ab Eugenio Pp. IV sacra Facultate theologica aucta, ita floruit, ut tum magistrorum eruditione et auditorum concursu, tum doctrinae integritate et disciplinae observantia celeberrimum nomen in universa Europa consecuta fuerit [3]. — Quidam asserunt, tempore Martini V Bullam *Coenae* coepisse, sed falso. Ipsa enim antiquior est, et superat tempus Clementis V, qui saeculo et amplius praecessit Martinum V [*]. — Idem Pontifex an. 1423 Dolanam, et an. 1431 Pictaviensem Vniversitatem confirmavit; obiit autem X calendas martias 1431.

19. *Eugenius IV, Pontifex* (*an.* 1431) — Post obitum Martini V cardinales conclave ingressi, V nonas martias elegerunt Eugenium IV, antea Gabrielem Condulmerium, patricium Venetum, canonicum Caelestinum congregationis s. Georgii in Alga, cardinalem episcopum Senensem, virum liberalitate in pauperes et religionis studio spectatissimum, qui Ecclesiam gubernavit usque ad an. 1447. — Is Florentiae instituit, uti narrat D. Antoninus [4], « scholam clericorum, qui quotidie interessent Missae decantandae, et Horis diurnis, Completorio dempto, sub Magistro, qui in Grammaticalibus et Cantu eos instrueret, et non minus in moribus. Locus autem, quo clerici illi pro instructione convenirent, prope Ecclesiam ipsam deputatus est: et hi quidem legitime nati a decimo anno usque ad decimum quintum assumendi et describendi, et usque ad sacerdotium retinendi ab antistite civitatis ». Hinc merito deducitur prima origo Seminariorum, quae a sacro Tridentino Concilio [1] fuerunt praescripta [2]. — Eugenius IV laboriosum pontificatum habuit. In initio seditionem civilem passus est a Columnensibus Martini V nepotibus, quum thesaurum pro Ecclesiae necessitatibus congregatum, quem ii tenebant, severe repetivisset; sed illorum audaciam legibus armisque fregit. An. 1433 Sigismundum imperatorem Romae sollemni ritu coronavit, postquam is iurasset, se catholicam fidem et ecclesiarum iura atque privilegia illibata custoditurum. Anno sequente concitata pravis machinationibus Philippi ducis Mediolanensis in Vrbe Roma seditione, confugit Florentiam; postea sedatis turbis Romam regressus est. Caetera Pontificis huius gesta, quaeque a schismaticis Basileensibus perpessus sit, infra videbimus.

20. *Basileense concilium* — Martinus V paulo ante obitum suum cardinali Iuliano vices suas commiserat, ut generali concilio, Basileae indicto, praesideret; quod cum Eugenius IV confirmasset, Iulianus postridie idus decembris 1431, praesentibus paucis praelatis, primam sessionem habuit, in qua scopum concilii, nimirum haeresum extirpationem, christiani orbis pacem et morum reformationem, exposuit, variaque decreta legit de concilii convocatione et de ordine in eo servando. Vix coeptum concilium Eugenius IV litteris ad Iulianum legatum suum datis, transtulit Bononiam, post 18 menses in hac urbe inchoandum. Causa fuit, quod nonnisi pauci praelati Basileam convenissent, et multi propter bella inter Burgundiae et Austriae duces eo pervenire non possent; quod Basilea haud commodus locus esset, in quo cum Graecis ad unionem paratis tractari posset, quodque ii, qui Basileae erant congregati, cum Bohemis hussitis de haeresi, iam ab Ecclesia damnata, tractare coepissent. Verum congregati praelati cum Iuliano praeside rationes, a Pontifice allegatas, parvi fa-

---

1) Æn. Sylvius, *Historia Bohem.*; I. Cochlaeus, *Historia Hussitarum*; Natal. Alex. *Hist. eccl.* saec. XV, c. 11.

2) Raynaldus et Spondanus, ad an. 1418-21.

3) Iust. Lipsius, *Lovanium* l. III, c. 2, *Privilegia Academiae*; Andr. Valer., *Fastes de l' Vniversité de Louvain.*

*) Sandini, *Vitae* RR. PP.; *Martinus V*.

4) *Chron.* part. III, tit. 22, c. 10.

1) Sess. 23, cap. 18 *De Reformatione.*

2) Spondanus, ad an. 1436, § 6.

cientes ad Eugenium scripserunt, ut dissolutionis et translationis litteras revocaret, et edita epistola encyclica praesules aliosque, qui de iure aut consuetudine ad concilium venire tenebantur, Basileam evocarunt, contestati, se concilium continuaturos donec negotia, propter quae convenerant, essent composita. Eorum consilium probarunt Sigismundus imperator, Carolus VII rex Galliae eiusque clerus, et numerus praesulum Basileensium auctum est. Quapropter XV calendas martias 1432 habuerunt sessionem IIm, in qua declararunt concilium Basileae rite et legitime esse congregatum, neque ulla auctoritate etiam papali sine suo consensu dissolvi aut alio transferri posse; praeterea confirmarunt Constantiensia decreta de potestate concilii generalis immediate a Christo accepta deque eius supra omnes auctoritate. Sess. III, habita III calendas maias, eadem decreta Constantiensia confirmata sunt, et oratores missi ad Eugenium Pp. et ad cardinales, ut, abrogato dissolutionis decreto, intra 3 menses ad concilium venirent, vel, si impediti forent, legatos mitterent. Sess. IV, habita XII calendas quintilis, Bohemis seu Hussitis ad concilium vocatis salvum-conductum concesserunt, decreveruntque, ut, si durante concilio, Apostolica Sedes vacaret, novus pontifex in ipso concilio eligeretur, electusque durante concilio non crearet novos cardinales, neque cardinales a concilio avocaret. Sess. V, v° idus sextilis, constitutis iudicibus et officialibus, decreverunt, nullum e congregatis Patribus posse evocari ad quemcumque iudicem pro quavis causa, quamdiu concilium duraret. Cum posthaec Basileam advenissent nuncii Eugenii IV et luculentis rationibus Pontificis causam atque auctoritatem defendissent, Basileensium oratores iis responderunt, ipsum Pontificem subesse auctoritati concilii. Basileenses audacius progredientes, sess. VI, habita postridie nonas septembris, Eugenium IV et cardinales accusarunt contumaciae, et sess. VII, postridie nonas novembris, confirmato decreto sess. IV, sess. VIII, xv° calendas ianuarii 1433, decreverunt, ut secundum iuris severitatem in Eugenium IV ageretur, nisi intra 60 dies decretum dissolutionis revocasset, declaraveruntque ipso facto excommunicatos eos, qui se Bononiam ad concilium conferrent. Posthaec egerunt de reconciliandis Bohemis Hussitis, ut supra vidimus [1]. Sess. IX, habita XI calendas februarii 1433, susceperunt patrocinium Sigismundi imperatoris et aliorum concilio adhaerentium contra omnes sententias ab Eugenio latas aut ferendas, et sess. X, xi° calendas martias, rursus Eugenium contumaciae accusarunt. Dein advenerunt novi Eugenii legati, qui in congregationem admissi, dixerunt, Pontificem, quamvis de plenitudine potestatis suae concilium dissolvere et alio transferre posset, pro concordia de iure suo, quantum fas esset, cedere velle et acta sua contra Basileenses revocare, si Basileenses acta sua contra Pontificem revocarent et translationem concilii Bononiam aequo animo ferrent. Basileenses responderunt, se Pontificis petitionibus non posse annuere, et sess. XI-XIV plura constituerunt Pontifici valde iniuriosa, deque eius depositione audacius quam antea agere ausi sunt: verumtamen, obstante Sigismundo imperatore, executionem schismaticorum conatuum distulerunt. Sess. XV, habita VI calendas decembris, decretum est, ut synodi dioecesanae singulo anno et provinciales singulo triennio cogerentur.

Eugenius Pp. Sigismundi aliorumque principum suasionibus, Romanorum seditione a Philippo duce Mediolanensi excitata, quorumdam cardinalium ad Basileenses defectione et schismatis periculo permotus, XV calendas februarii 1434 constitutionem dedit, qua revocato dissolutionis et translationis decreto, concilium Basileae continuari permisit ad haeresum, bellorum et pravorum morum extirpationem.

Quum haec Pontificis constitutio in sess. XVI nonis februarii lecta fuisset, declaravit concilium, postulationibus suis a Pontifice esse factum satis, eiusque legatos admisit ea lege, ut iurarent, se concilii decreta et praesertim decretum Constantiense de concilii oecumenici auctoritate esse defensuros. Sess. XVII, vi° calendas maias, concessum est legatis Eugenii IV cum cardinali Iuliano concilio praesidere, sed sine iurisdictione coactiva, et sess. XVIII, vi° calendas quintilis, renovata decreta de concilii oecumenici auctoritate. Quum imperator Graecorum et patriarcha Cp. pro unionis negotio generale concilium postulassent, Basileenses sess. XIX, vii° idus septembris, constituerunt, ut si Graeci Basileam adduci non possent, alius eligeretur locus maritimus, quo post mensem a Graecorum adventu ipsi se conferrent. Sess. XX, habita XI calendas februarii

1) Vid. p. 108.

1435, actum fuit contra clericos concubinarios; sess. XXI, v° idus iunii, reclamantibus licet legatis Pontificis, *annatae* prohibitae; sess. XXII, idibus octobris, damnatus Augustini de Roma libellus de Christo et Ecclesia; sess. XXIII, habita VIII calendas aprilis 1436, varia decreta condita aut renovata de electione R. Pontificis, et sess. XXIV, postridie idus aprilis, pacta cum Graecis inita de celebrando unionis gratia concilio confirmata sunt. Verum Pontificis legati decreta antea de electionibus, confirmationibus, *annatis*, aliisque ad deprimendam Pontificis auctoritatem edita, Apostolicae Sedi iniuriosa esse demonstrarunt. Eugenius quoque de iisdem decretis questus est in litteris ad principes christianos datis. Sess. XXV, habita nonis maii 1437, magna orta est dissensio de loco concilii ad procurandam Graecorum unionem; Legati Pontificis et Patres plerique decreverunt, illud celebrandum Florentiae vel Vtici; reliqua pars, fere e secundi ordinis sacerdotibus composita, duce cardinali Ludovico Arelatensi, constituit, illud celebrandum Basileae aut Avenione vel in Sabaudia; Pontifex vero locum, a legatis suis cum sanioris partis assensu designatum, probavit, quod gratus esset Graecis et consentaneus pactis cum iis initis.

E dictis sat patet, cuncta Basileae contra ius facta et irrita esse quae contra dignitatem et auctoritatem pontificiam fuerunt tentata; multo clarius post sess. XXV omnis legitimi concilii auctoritas Basileensi concilio sublata conspicitur. Quum enim Basileensium factio accepisset, Eugenium IV decretum de translatione concilii probasse, adversus eum exarsit, et sess. XXVI, pridie calendas sextilis, reclamantibus Pontificis Legatis et plerisque Patribus, Eugenium Pp. multorum criminum accusavit et intra 60 dies in ius vocavit. Eadem factio sess. XXVII, vi° calendas octobris, translationem concilii irritam dixit, et sess. XXVIII, eiusdem calendis octobris, praeside Georgio episcopo Visensi in Hispania, Eugenium declaravit contumacem, quod intra constitutos dies non comparuisset. Verum ex quo tempore Basileense concilium in duas partes scissum est, Sigismundus imperator et alii principes plerique illius partes deseruerunt, eiusque decreta contra Eugenium IV improbarunt. Pontifex autem edita calendis octobris 1437 constitutione *Doctoris gentium*, concilium transtulit Ferrariam. Basileensium vero factio sessiones suas prosecuta, tandem schisma complevit, ut suo loco videbimus [1].

21. Interim Nicolaus Albergatus cardinalis, quem Eugenius Pp. Ferrariam ad concilium legaverat, VI idus ianuarii 1438, ibidem in ecclesia maiori conventum habuit, praesentibus 5 archiepiscopis, 18 episcopis aliisque praelatis, in quo lectis Eugenii litteris, declaravit concilium Basilea translatum Ferrariam ad procurandam Graecorum cum Ecclesia et Apostolica Sede unionem. Id ipsum factum est in sess. I, habita IV idus eiusdem mensis. Post 17 dies Ferrariam venit Eugenius Pp. pluresque cum cardinalibus, praelatis et doctoribus congregationes habuit, in quibus de Basileensibus modeste questus et innocentiam suam testatus, asseruit, se paratissimum esse ad delendum illorum dissidium; deinde nonnulla constituit praesertim de ordine sedendi in concilio. Sess. II, praesidente Eugenio et praesentibus 72 episcopis, habita XV calendas martias, irrita dicta sunt ea, quae a Basileensibus in R. Pontificis iniuriam fuerant decreta aut decernerentur, et declaratum, eos, qui in isto coetu perseveraverint, incidisse in poenas et censuras, in decreto translationis expressas. Hae duae sessiones in actis Romanis concilii Florentini non leguntur, quod in iis de principali negotio, nimirum de unione Graecorum, non fuerit actum. Posthaec Ferrariam advenerunt Ioannes Palaeologus II imperator Graecorum, Iosephus patriarcha Cp., Marcus metropolita Ephesinus, Bessarion Nicaeae et Isidorus Russiae archiepiscopi, aliique plures praelati graeci et viri ecclesiastici. Tunc praecipuae Graecos inter et Latinos controversiae, nempe de processione Spiritus S., de pane eucharistico, de poenis Purgatorii et de R. Pontificis primatu, ab utriusque partis theologis pertractatae sunt. Deinde I^a Sessio, praeside Eugenio Pp., habita fuit postridie nonas octobris, in qua Bessarion archiepiscopus Nicaenus luculentissimam orationem fecit de magno Fidei negotio, omnesque ad constantiam in eo tractando hortatus est. Sess. II, V idus eiusdem mensis, Andreas archiepiscopus Rhodius nomine Latinorum orationem habuit, convenitque inter Patres, ut 6 utrimque electi viri de controversis articulis disputarent. Hae disputationes coeptae sunt sess.

---

[1]) Labbe, *Concil.*, t. XII, p. 459; Raynaldus et Spondanus, ad an. 1431-37; Muzzarelli, *De auctoritate R. Pontif.* t. II, c. 17; I. B. Palma, *Praelect. Hist. eccl.* t. IV, p. I, c. 5.

III, pridie idus octobris, et continuatae 13 sessionibus sequentibus, ab idibus octobris usque ad IV idus ianuarii 1439 celebratis. Interim invalescente in urbe Ferraria pestilentia, Eugenius IV concilium transtulit Florentiam, ubi reliquae sessiones 9 habitae sunt, et unde hoc concilium, quamvis Ferrariae coeptum, vulgo Florentinum appellatum est.

Sess. XVII et 8 sequentibus, a IV calendas martias usque ad IX calendas aprilis habitis, disputationes fuerunt continuatae, post quas Graeci, uno Marco Ephesino excepto, cum Latinis consenserunt de articulis controversis, et sess. XXV pridie nonas iulii unionis decretum graece et latine conscriptum, subscriptum atque lectum fuit, in quo 4 sequentes articuli ab omnibus christianis credendi et suscipiendi definiuntur: 1°, Spiritum S. procedere ex Patre et Filio tanquam ab unico principio et unica spiratione, vocemque *Filioque*, veritatis declarandae gratia et imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter symbolo fuisse insertam; 2°, corpus Christi sive in azymo sive in fermentato pane triticeo vere confici, et alterutrum a sacerdotibus secundum Ecclesiae suae, sive occidentalis sive orientalis, consuetudinem adhibendum, 3°, animas eorum, qui in Dei caritate decesserint, sed pro peccatis suis non fecerunt satis, poenis purgatoriis purgari, iisque animabus, ut ab eiusmodi poenis releventur, prodesse fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes, eleemosynas et alia pietatis officia; illorum animas, qui post baptismum nullam peccati maculam contraxerint vel contractam plene purgarint, mox in coelum suscipi et clare intueri Deum pro meritorum diversitate; animas vero eorum, qui in actuali peccato mortali vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, poenis tamen disparibus puniendas; 4° R. Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum esse successorem B. Petri principis Apostolorum et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiae caput et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere et ipsi in B. Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. I. C. plenam potestatem traditam esse [1].

Posthaec imperator, episcopi aliique Graeci Florentia digressi, in patriam suam redierunt. Paulo ante eorum discessum Florentiam advenerunt legati patriarchae Armeniorum, unionem cum Romana ecclesia et Fidei rectitudinem postulantes. Quapropter Pontifex viros divini humanique iuris peritissimos nominavit, qui cum iis de rebus Fidei agerent. Post Graecorum discessum Eugenius Pp. concilium Florentiae continuavit usque ad VI calendas maias 1442, habuitque adhuc 5 sessiones; in quarum Iª, pridie nonas septembris 1439 Pontifex, approbante concilio, declaravit omnes, qui Basileae post translatum concilium Ferrariam actiones conciliares continuarint, esse excommunicatos, omni dignitate ac beneficio privatos, schismaticos et rebelles, eorumque acta et decreta, maxime in sess. XXXIII et XXXIV edita, irrita esse et perniciosa. Sess. II, x° calendas decembris, cum post diligentem inter Armeniorum et Pontificis deputatos discussionem, consentientibus ipsis Armeniis, visum esset conficere quoddam orthodoxae fidei, quam Romana profitebatur Ecclesia, compendium, amplissimum decretum pro unione et instructione Armeniorum promulgatum et ab horum legatis dimisso animo susceptum est. Tunc Florentiam advenit Andreas abbas, quem Ioannes Iacobitarum seu Monophysitarum Ægypti patriarcha, ab Eugenio Pp. ad concilium invitatus, suo suorumque episcoporum nomine Florentiam legaverat cum litteris obedientiae plenissimis, quibus patriarcha unionem cum Romana Ecclesia et orthodoxam fidem postulabat. Sess. III, pridie nonas februarii 1441, Andreas Iacobitarum legatus litteras patriarchae sui exhibuit, deinde suo et eorum, a quibus missus erat, nomine professus est, se credere et tenere quidquid docebat et tenebat Romana Ecclesia, atque reprobare quidquid ea reprobabat; quo facto decretum fidei pro unione Iacobitarum promulgatum est, quod Andreas dimisse suscepit. Sess. IV, postridie calendas septembris, lectae sunt litterae Nicomedi abbatis Æthiopum seu Abyssinorum, qui Hierosolymis commorabantur, quibus is significabat, Abyssinos eorumque regem nihil magis quam unionem cum Romana ecclesia desiderare; ipseque eorum rex Constantinus seu Zara Iacob litteras de eodem unionis negotio ad Eugenium scripsit et legatos Romam destinavit. Quae cum Pontifex sess. V, VI calendas maias 1442 habita, concilio annuntiasset, illud transtulit Romam in basilica Lateranensi continuandum [1].

1) Labbe, *Concil.* t. XIII, p. 1-1182; Raynaldus et Spondanus, ad an. 1438-39.

1) Labbe, loc. cit. p. 1182-1218.

Quum Pontifex cum concilii Patribus Romam venisset, ibi excepit oratores regis Æthiopum seu Abyssinorum, unionem cum Romana ecclesia postulantes, iisque unionis et Fidei decretum seu compendium tradidit. Eodem tempore Ignatius, patriarcha Eutychianorum Syriae et Mesopotamiae, Romam legavit Abdalam archiepiscopum Edessenum, qui totius nationis nomine regulam Fidei, quam Romana ecclesia profitebatur, devote petiit. Eugenius Pp., habita pridie calendas octobris 1444 sessione, illos ad unionem admisit et Fidei decretum legato tradidit. Etiam Timotheus Tarsensis Chaldaeorum nestorianorum archiepiscopus Romam venit, et Elias Maronitarum monothelitarum episcopus legatum misit, quos pariter cum eorum subditis Eugenius Pp. sessione altera, habita VII idus augusti 1445, ad unitatem Fidei et communionem Romanae Ecclesiae admisit [1].

Sic demum concilium Florentinum, Ferrariae coeptum, Romae absolutum fuit. Illud esse vere oecumenicum et a RR. Pontificibus atque ab universa Ecclesia constanter pro oecumenico habitum, consentiunt omnes catholici [2]. Nonnulli censent, concilium Florentinum fuisse oecumenicum usque ad Graecorum discessum: ea vero, quae postea acta sunt et Florentiae et Romae, cum illo nomine tantum non auctoritate connecti [3]; alii vero rectius concilium istud tum post tum ante Graecorum discessum oecumenicum dicunt [4]. Cum autem in hoc concilio damnati sint errores, quos haeretici saec. XVI instauraverunt, mirum non est, Mosheimium aliosque e protestanticorum haereticorum genere scriptores de auctoritate concilii Florentini detraxisse.

22. *Basileense schisma* — Postquam maior praelatorum pars cum Legatis apostolicis, relicta Basilea, se contulisset Ferrariam, factiosi sessiones suas prosecuti sunt [5]. Sess. XXIX, IV° idus octobris 1437, Basileensis concilii dissolutionem et translationem irritam dixerunt, et Eugenio Pp. suspensionem atque depositionem minati sunt, nisi intra statos menses decretum suum revocaret. Sess. XXX, X° calendas ianuarii 1438, declaraverunt, laicos et clericos non sacerdotes, non teneri ad communionem sub utraque specie. Sess. XXXI, IX° calendas februarii, egerunt de nonnullis causis ad Romanam curiam non deferendis, prohibuerunt gratias, quae appellantur expectativae, et Eugenium Pp. suspensum atque pontificatus administrationem ad concilium devolutam declararunt. Sess. XXXII, habita IX calendas aprilis, damnato concilio iam Ferrariae inchoato, Eugenium eius praesidem omnesque, qui eidem intererant, excommunicaverunt. Sessione XXXIII, postridie idus maias 1439, tanquam Fidei veritates definierunt has tres propositiones: Concilium generale, universam repraesentans Ecclesiam, est supra Papam; Papa non potest concilium legitime congregatum, sine eius assensu dissolvere vel suspendere vel transferre; haereticus est, qui has propositiones pertinaciter impugnat. Sess. XXXIV, habita VII° calendas quintilis, 8 aut 9 ex 30 episcopis, qui Basileae erant, Eugenium Pp. deponere ausi sunt, et sess. sequenti, VI idus quintilis, constituerunt, novum pontificem post 60 dies a depositione Eugenii esse eligendum. Sess. XXXVI, XV° calendas octobris, sententia de immaculata B. V. M. conceptione declarata fuit pia, sancta, cultui ecclesiastico, rectae rationi et s. Scripturae consona. Sess. XXXVII-XLIV, habitis a XIII calendas novembris 1439 usque ad V idus augusti 1441, postquam electionem novi pontificis tractassent, elegerunt Amadeum, e duce Sabaudiae eremitam, quem Felicem V appellarunt, irrita dixerunt quaecumque ab Eugenio in contrarium edicenda, sententiam Eugenii contra antipapam Felicem nullam declaraverunt, festum Visitationis B. V. M. ad impetrandam, uti dicebant, Ecclesiae unionem, quotannis postridie calendas quintilis celebrandum decreverunt, mandaruntque, ut ii, qui ab Eugenio beneficiis fuerant privati, in integrum restituerentur. Sess. XLV, habita postridie idus maii 1445, postulationi Sigismundi imperatoris de convocando et celebrando novo concilio generali ad procurandam unionem quidem assenserunt, sed non satisfecerunt. Illi vero deinde profecti sunt Lausannam, ubi adhuc aliquot sessiones habuerunt, sed in his nihil memorabile actum est. Perduravit autem hoc schisma usque ad an. 1449, ut videbimus.

Non mirum est, Mosheimium, Febronium, iisque similes concilium Basileense nimis extulisse: quidquid enim Pontificis auctoritatem deprimit, iis haud displicere potest.

1) Labbe, loc. cit. p. 1218-28.
2) Natal. Alex. *Hist. eccl.* saec. XV, diss. 10.
3) Ibid. a. 3.
4) I. B. Palma, *Praelect. Hist. eccl.* t. IV, p. I, c. 6.
5) Vid. p. 111.

Perperam etiam defensores Declarationis cleri Gallicani an. 1682 gloriantur decretis concilii Basileensis de potestate concilii oecumenici supra Papam, ante schisma editis et per constitutionem, ut aiunt, Eugenii IV, datam XV calendas februarii 1434, approbatis; nam ex ipsius concilii Basileensis historia apparet, omnia, quae in eo adversus auctoritatem pontificiam fuerunt tentata, contra ius esse peracta, et Eugenius Pp. per praedictam constitutionem quidem concilii continuationem, non vero eius decreta probavit, sicut aperte declaravit in epistola ad F. Foscarinum ducem venetum his verbis: « Potius hanc Apostolicam dignitatem et vitam insuper posuissemus, quam voluissemus esse causam et initium, ut pontificalis dignitas et Sedis Apostolicae auctoritas submitteretur concilio contra canonicas omnes sanctiones; quod nunquam antea neque aliquis nostrorum praedecessorum fecit, neque ab ullo extitit requisitum [1] ». Testatur Cardinalis de Turrecremata, qui concilio Florentino interfuit, Eugenium Pp. in hoc concilio de progressu concilii Basileensis ita fuisse locutum: « Nos quidem progressum concilii approbavimus, volentes, ut procederet, ut incoeperat, non tamen approbavimus eius decreta [2] ».

23. *Sanctio pragmaticae Gallicanae* — Quum iam ante confectum schisma Basileenses decreta sua ad Carolum VII regem Galliae misissent, rex an. 1438 cleri et procerum conventum, cui ipse praesedit, habuit Avarici Biturigum, in quo Basileensium decreta, reformationem ecclesiasticam spectantia, aliquibus temperatis, probata sunt, et ex iisdem confecta celebris sanctio pragmatica, in universo regno ab omnibus sub gravi poena observanda. Constabat haec sanctio 23 articulis [3]. Quum in his episcoporum electio committeretur collegio canonicorum, auctoritas concilii generalis praeponeretur auctoritati Pontificis, *annatae* et expectativae gratiae atque beneficiorum reservationes abrogarentur, appellationes ad Apostolicam Sedem limitarentur, aliaque dignitati pontificiae adversa statuerentur, Eugenius Pp. sanctionem istam merito improbavit, litterasque ad regem scripsit, ut eamdem abrogaret. At rex Pontificis votis restitit. Caeterum tum rex, tum Galli in obedientia Eugenii constanter permanserunt et Basileensium schisma nunquam probaverunt. An. 1461 Ludovicus XI, Caroli VII filius et successor, precibus Pii Pp. II praedictam sanctionem ceu Pontifici eiusque Sedi infensam, et in seditione atque schismatis tempore natam abolevit. Verum quadriennio post suprema curia Parisiensis eidem regi obtulit defensionem libertatum, ut vocabant, ecclesiae Gallicanae, et declarare praesumpsit, ex abrogatione sanctionis pragmaticae innumera utrique reipublicae obvenire incommoda; ex quo tempore eadem sanctio, reclamantibus licet RR. Pontificibus, rursus vim legis in Gallia accepit usque ad concordatum, quod an. 1516 Leonem Pp. X et Franciscum regem I initum est.

24. *Ecclesiae status in Germania* — In Germania dissidium Basileenses inter et Eugenium Pp. maiorem confusionem excitavit. Anno 1438 post obitum Sigismundi principes electores pro electione novi imperatoris Francofordiae congregati, contestati sunt, se Eugenium Pp. una et concilium Basileense venerari, neutrius partis contra alteram decreta suscipere, et velle deliberare usque ad sextum mensem, cui parti esset adhaerendum: interea omnes permanerent in obedientia Sedis Apostolicae et praelati ecclesias sibi commissas iure ordinario gubernarent. Hoc fuit initium neutralitatis, ut appellatur, Germanicae, quae concordiae praetextu per sex menses instituta, perduravit octo annis, et tam a Basileensibus quam ab Eugenio Pp. reprobata fuit. Interim Germani ad Pontificem et ad Basileenses miserunt oratores postulatum, ut ad restituendam concordiam aliud indubitatum concilium convocaretur, ad quod Basileenses simul et Ferrarienses praesules convenirent [1].

Germanica natio iam a multo tempore se gravatam querebatur propter papales reservationes et collationes, propter *annatas* et taxas, cumque Basileenses plura contra reservationes, *annatas*, gratias expectativas et taxas sancivissent, haec decreta principes Germani an. 1439 in comitiis Moguntinis susceperunt, cum quibusdam tamen restrictionibus. Ea ipsa gravamina, ut dicebantur, animos Germanorum non parum ab Eugenio alienos, in Basi-

---

1) Extat haec epistola apud Raynald. ad an. 1433, n. 19.

2) *De Ecclesia*, l. II, c. 100. Cf Card. Sfondratum, *Dissertat. III contra Maimburgum*; Marchetti, *Critique de l' Histoire eccl. de Fleury*, t. II, p. 116; F. A. Zaccariam, *Antifebron.* part. II, l. 4, c. 3; C. Roncagliam, *Animadversion.* in *Diss. VIII* Natal. Alex. *in saec. XV*.

3) Extat apud Labbe, *Concil.* t. XII, p. 1429.

1) Labbe, loc. cit. p. 1550-1602; Raynaldus et Spondan. ad an. 1438-42.

leenses vero propensos reddiderunt. Quum autem an. 1445 Eugenius Theodoricum Coloniensem et Iacobum Trevirensem archiepiscopos electores, Felicis antipapae et schismaticorum Basileensium partibus addictissimos, deposuisset, caeteri principes electores commoti, ac si suae dignitati iniuriae fuisset illata, an. 1446 in comitiis Francofordiensibus arcana inierunt consilia suscipiendi obedientiam Felicis antipapae, nisi Eugenius praedictos archiepiscopos restitueret, nationis Germanicae gravamina tolleret, et auctoritatem conciliorum generalium e decreto Constantiensis concilii susciperet; sed Fridericus III imperator schismaticum eorum consilium reprobavit, et ad componenda dissidia Romam legavit Æneam Sylvium. Hic multis rationibus Pontifici suasit, ut principum postulationibus satisfaceret, spondens, tunc omnes Germanos, abiecta neutralitate, ad eius obedientiam accessuros. Quapropter Eugenius ad principes Germanos legavit Thomam cardinalem episcopum Bononiensem et Ioannem de Carvaial, iisque adiunxit episcopum Leodiensem et Nicolaum de Cusa archidiaconum; iisdem in litteris suis XI calendas sextilis 1446 datis significavit, se generalia concilia suis temporibus rite instituta atque canonice celebrata amplecti et venerari, non secus ac decessores sui facere consueverunt: quare generalia concilia Constantiense et Basileense ab eius initio usque ad translationem per se factam, amplecti et venerari, tamen sine praeiudicio iuris, dignitatis et praeeminentiae S. Sedis Apostolicae et potestatis sibi et in eadem canonice sedenti in persona B. Petri a Christo concessae. In eadem epistola legatis suis potestatem dedit cognoscendi et approbandi decreta Basileensia, supra in comitiis Moguntinis a Germanis cum restrictionibus suscepta, modo resarcirentur detrimenta, quae inde pateretur Apostolica Sedes.

Pontificis legati cum principibus Germanis convenerunt Francofordiam, et post longas utrimque contentiones et discussiones formula concordiae scripta, et Romam ad Eugenium Pp. perlata fuit. Ea formula ferebat 4 conditiones: 1ª, ut novum concilium generale tempore et loco designandis convocaretur; 2ª, ut doctrina de potestate, auctoritate, et praeeminentia conciliorum generalium, Ecclesiam catholicam repraesentantium, approbaretur; 3ª, ut nationi Germanicae super gravaminibus opportune provideretur; 4ª, ut quae in praeiudicium duorum archiepiscoporum, Coloniensis et Trevirensis, acta fuerant, clementer revocarentur.

Eugenius infirmitate correptus, concordiae leges Cardinalibus commisit discutiendas; deinde supra dictos 4 articulos ratos habuit, ut sequitur: declaravit 1º, se postulationi de cogendo in Germania concilio consentire, etsi novo concilio opus non esset; 2º, se nunquam in dubium revocasse auctoritatem conciliorum generalium, seque antecessores suos imitatum, quorum vestigiis deviare non audet, concilium generale Constantiense, decretum eius *Frequens*, alia eius decreta, aeque ac caetera concilia, Ecclesiam catholicam repraesentantia, eorum potestatem, auctoritatem, honorem et eminentiam, amplecti et venerari; 3º, decreta Basileensia, a Germanis recepta, conservari posse, donec inter legatum, quem missurus erat, et principes de iis rebus conveniretur; 4º, se Coloniensis et Trevirensis archiepiscoporum restitutioni annuere, si ii prius damnata perfidia, R. Pontifici obedientiam spoponderint. Ita habetur in bullis seu litteris, quas Pontifex de quoque concordiae articulo dedit. His factis, Germanorum principum oratores abiecta neutralitate, Eugenio Pp. obedientiam professi sunt, et concordia inter Pontificem et nationem Germanicam Romae sub initium an. 1447 restituta fuit. Caeterum ne ea, quae necessitate et utilitate Ecclesiae exigentibus, Germanis fuerant indulta, quovis modo in detrimentum Apostolicae Sedis cederent; Eugenius Pp. statim aliis litteris testatus est, quod cum propter imminentem sibi aegritudinem non potuisset omnia nationis Germanicae postulata ponderare cum ea integritate iudicii et consilii, quam rerum gravitas requirebat; ipse, responsis missis atque mittendis ad Germaniae principes populosque, nunquam animum habuisset derogandi ss. Patrum doctrinae aut Sedis Apostolicae privilegiis et auctoritati: imo habere pro non responsis et non concessis, si qua huiusmodi decrevisset [1].

Brevi post obiit Eugenius IV. Nicolaus V, eius successor, ad perficiendam concordiam in iis, quae nationis Germanicae gravamina circa Beneficiorum reservationes, provisiones, *annatas* spectabant, ad imperatorem et principes legavit cardinalem Ioannem Carvaial, cuius opera an. 1448 Schaffnaburgi confe-

[1]) Raynaldus et Spondanus, ad an. 1446-47; F. A. Zaccaria, *Antifebronius*, t. III, p. 71, 86, 108, ed. Lovan. 1829; Roncaglia, *Animadvers. in Dissert. VIII* Natal. Alex. *in saec.* XV.

ctae sunt sequentes concordati leges: 1°, ut Sedi Apostolicae reservata esset collatio seu provisio omnium beneficiorum, quae in Romana curia et itineris duorum dierum circuitu vacarent; item eorum omnium, quae vacarent per depositionem, translationem, abdicationem, rescissionem electionis aut postulationis a Pontifice factam; 2°, ut extra hos casus episcopi et abbates eligerentur a Capitulis, Pontifex vero electiones, modo canonicae fuerint, confirmaret, qui etiam ex rationabili et evidenti causa electo digniorem et utiliorem substituere poterit; circa maiores vero dignitates post episcopales in cathedralibus et collegiatis ecclesiis servaretur modus antea usitatus; inferiora beneficia alternis mensibus a Pontifice et provisore ordinario conferrentur; 3°, ut *annatarum* loco de episcopatibus et abbatiis vacantibus e fructibus primi anni penderentur pecuniarum summae, taxatae in libris Camerae Apostolicae, quae servitia communia appellantur, et de aliis beneficiis, solveretur dimidium *annatarum* seu fructuum primi anni. Hos concordati articulos Nicolaus V ratos habuit confirmavitque Bulla *Ad sacram* data anno 1448 [1].

25. *Nicolaus V, Pontifex* (*an.* 1447) — Quum Eugenius Pp. IV, VII° calendas martii 1447, obiisset integro sensu atque aspectu, ut ait D. Antoninus, qui decumbenti praesto fuit ad extremum [*], ad summum Ecclesiae regimen evectus fuit Nicolaus V, antea Thomas Sarzanensis, cardinalis episcopus Bononiensis, theologica doctrina illustris, qui sedit usque ad an. 1455. Is, ut diximus, concordiam cum natione Germanica confecit; Basileense schisma extinxit, ut mox videbimus, et restituta Ecclesiae pace, an. 1450 Iubilaei indulgentias concessit omnibus, qui vere poenitentes et confessi ecclesias principum Apostolorum, s. Ioannis Lateranensis et B. M. Maioris visitarent;—s. Laurentium Iustinianum ita dilexit, ut in illo ornando certaverit cum Eugenio IV. Nam sicut iste Episcopum, cum primum potuit, fecit; ita Nicolaus Patriarcham, cum primum oblata occasio est, creavit. Gradensi siquidem Patriarcha mortuo, Patriarchatum a Grado nobili quondam urbe transtulit Venetias, Laurentium simul et civitatem Venetiarum exornans [**].—An. 1452 Fridericum III eiusque coniugem Romae augustos coronavit; Graecos ad unionem, in concilio Florentino initam, reducere, et christianos principes ad ferendam iis contra Turcas opem confoederare conatus est; intestinas Italorum discordias composuit; litterarum et scientiarum studia fovit, viros eruditos dilexit, et post imperii graeci excidium, libros ex omni Graecia conquiri et in latinum verti curavit;—publicum in monte Pessulano gymnasium istituit; Vrbem Romam multis ac maximis aedificiis mirum in modum exornavit—; Stephanum Porcarium, equitem Romanum, eiusque complices, seditionem in Vrbe excitare tentantes, per Lavagnolum senatorem contrivit; aliaque praeclara gessit [1].

26. *Basileensis schismatis finis* (*an.* 1449) — Interim antipapa Felix V eiusque sectatores in schismate pertinaciter persistebant, quamvis eorum res ita essent collapsae, ut intra Sabaudiae fines constringerentur. Nicolaus V ad extinguendum schisma operam Caroli VII regis Galliae interpellavit, utque errantes ad unionem catholicam suaviter reduceret, omnibus ad sinceram Apostolicae Sedis obedientiam redituris summam benevolentiam et Felici V cardinalatus dignitatem et apostolicam legationem obtulit. Reipsa an. 1449 Felix pontificatum sponte dimisit, et a Nicolao V cardinalis episcopus Sabinensis atque legatus apostolicus in Sabaudia creatus fuit: qui has etiam dignitates paulo post abdicavit, et resumpta vita solitaria, an. 1451 pie obiit. Ii quoque, qui Felicem fuerant secuti, ad obedientiam Nicolai V redierunt et conciliabulum suum Lausannense dissolverunt. Nicolaus redeuntes venia donavit, et pro pacis ac unionis bono e plenitudine potestatis rata habuit omnia, quae in obedientia Felicis pro contentioso et conscientiae foro fuerant peracta, eosque, qui sub Eugenio IV beneficiis fuerant privati, in integrum restituit [2].

27. *Scriptores ecclesiastici* — Priori autem huius saeculi dimidio praeter alios claruerunt scriptores, qui sequuntur: S. Vincentius Ferrerius, Hispanus, Ordinis FF. Praed., qui concionibus suis et miraculis multos Iudaeos et Mauros ad christianam fidem convertit, peccatores ad poenitentiam et vir-

---

1) Horix, *Concordata nationis Germanicae*, Francof. et Lips. 1771; Raynaldus, ad an. 1447-48; Zaccaria, *Op. cit.* t. IV, p. 85.

*) *Chron.* part. 3, tit. 22, c. 11, § 18.

**) Bernardus Iustinianus in *Vita s. Laurentii Iustiniani*, c. 8, § 48, apud Bollandianos, t. I ian. p. 560.

1) Raynaldus et Spondanus, ad an. 1447-55; I. B. Palma, *Praelect. Hist. eccl.* t. IV, p. I, c. 7.

2) Raynald. ad an. 1449.

tutem perduxit, et aliquot scripta reliquit [1]. S. Bernardinus cognomento Senensis, nobilis Hetruscus, Ordinis Franciscanorum, qui plura monasteria ad rigidiorem regulae observantiam revocavit, scripsitque Sermones et varios Tractatus morales atque asceticos [2]. S. Laurentius Iustinianus, patricius Venetus et primus Venetiarum patriarcha, reliquit Sermones et Tractatus asceticos [3]. S. Antoninus, Ordinis Praed. et archiepiscopus Florentinus, praeter alia scripsit Summam Theologicam, Summam confessionis et Chronicon tripartitum [4]. Ioannes Dominici, Florentinus, Ordinis Praed., a Gregorio XII cardinalis episcopus Ragusinus creatus et a Martino V in Bohemiam, Poloniam et Hungariam legatus, praeter alia scripsit commentarios in aliquot s. Scripturae libros. Paulus Burgensis, Hispanus, e Novocarthaginensi Burgensis episcopus, qui edidit additiones ad *Postillas* Nicolai de Lyra et scrutinium Scripturarum. Alphonsus Tostatus, Hispanus, episcopus Abulensis, praeter alia reliquit commentaria diffusa in libros utriusque Testamenti [5]. Ioan. Marchesini, Ordin. s. Franc. composuit *Mammotrectum*, seu expositionem in singulas. Scripturae capitula. Petrus de Alliaco, Compendiensis, cardinalis Episcopus Cameracensis, in Pisano et Constantiensi conciliis extinguendo schismati, condemnandae haeresi et restituendae disciplinae operam navavit, reliquitque commentarios in IV librum *Sententiarum*, in Psalmos et in Cantica, libros de Ecclesiae et cardinalium auctoritate, aliaque [6]. Ioannes Gerson, alias Charlier, sacrae Facultatis Parisiensis cancellarius, orationibus, quas in Pisano et Constantiensi conciliis de praesenti Ecclesiae statu habuit, celeber, edidit varia opera dogmatica, moralia, mystica, concionatoria, miscellanea [7]. Thomas Waldensis seu Netter, Anglus, Ordinis B. M. de Monte Carmelo, in concilio Constantiensi docte confutavit haereses Wicleffitarum et Hussitarum, scripsitque Doctrinale antiquitatum Fidei et Ecclesiae catholicae [8]. Nicolaus de Cusa ex archidiacono Leodiensi et concilii Basileensis fautore defensor Eugenii IV et cardinalis episcopus Brixiensis, reliquit Tractatus theologicos de mysteriis, libros 3 de docta ignorantia, libros totidem Cribrationum Alcorani, Tractatus de mathesi, geometria, astronomia, aliisque [1]. Hieronymus a s. Fide, e iudaeo christianus, an. 1413 Geronae in Catalaunia cum Iudaeorum doctoribus publice disceptavit, scripsitque librum contra Iudaeorum errores et alterum contra eorum Talmud. Petrus de Ancharano, Bononiensis, edidit Commentaria in Decretales et in Clementinas. Franciscus Zabarella, Patavinus, sub Ioanne XXIII cardinalis episcopus Florentinus, inter alia scripsit commentaria in Decretales et in Clementinas; et tractatum de schismate, in quo liberius loquitur de Pontificibus et curia Romana. Theodoricus de Niem, clericus Lucensis et litterarum Apostolicarum abbreviator, scripsit liberiori stylo, et in Pontifices istius temporis acerbiori, historiam schismatis occidentalis. Nicolaus de Clemangis, Vniversitatis Parisiensis rector et Benedicto XIII aliquandiu a secretis, praeter alia reliquit librum de studiis theologicis; eidem nonnulli adscripserunt librum de ruina seu corrupto statu Ecclesiae, in quo clerus huius temporis exaggerata ratione carpitur; alii vero istum librum Ioanni de Chelm, aut alii adscribunt.

28. *Ecclesiae Graecae status* — Vnio autem Graecorum cum Romano-catholica Ecclesia, in concilio Florentino inita, optatum exitum non habuit. In primis Isidorus Thessalonicensis metropolita Russiae, quum unionis negotium, cui in concilio Florentino subscripserat, in Russia promovere conaretur, a principibus Moschae eiectus fuit, et Romam confugiens, ab Eugenio IV cardinalis creatus est. In Graecia unionis bono maxime obfuit Marcus archiepiscopus Ephesinus, qui solus e Graecis eidem in concilio Florentino restiterat. Is concilium Florentinum eiusque decretum de Graecorum cum R. Ecclesiae unione multis calumniis proscidit, Constantinopoli et alibi clerum et populum contra unitos excitavit, pravisque suis artibus effecit, ut patriarchae Alexandrinus, Antiochenus et Hierosolymitanus, unionem respuerent, cui vicarii eorum in Florentino concilio subscripserant. Pro unione vero egregie certarunt, eamque a schismaticorum dicteriis vindicarunt Bessarion archiepiscopus Nicaenus, qui post conci-

---

1) Bolland. *Acta SS.* 5 april. Scripta eius edita sunt Valent. 1491 in-fol. — 2) Bolland. ibid. 20 maii. Opera eius edita sunt 1636 et 1757, 2 vol. in-fol.
3) Bolland. ibid. 8 ian. Scripta eius edita sunt Venet. 1757. 2 vol. in-fol. — 4) Bolland. loc. cit. 10 maii.
5) Venet. 1596, 13 vol.; Colon. 1612, 27 vol. in-fol.
6) Liber eius de auctoritate Ecclesiae et Cardinalium extat inter Opera Gersonii t. I; alia edita sunt Argentorat. in-fol. — 7) Edita sunt ab E. Dupin 1706, 5 tom. in-fol. — 8) Venet. 1571, et 1757, 3 t. in-fol.

1) Basil. 1565, 3 vol. in-fol.

lium Florentinum Romae permansit et ab Eugenio IV cardinalis creatus est; Georgius Trapezuntinus; Iosephus episcopus Methonensis; Metrophanes ab an. 1440 usque ad 1443 patriarcha Cp.; Gregorius e protosyncello et magno poenitentiario ab an. 1446 usque ad 1452 patriarcha Cp. qui propter suum pro unione studium multa perpessus, an. 1452 praedicta rebellibus divina vindicta, Romam confugit. Eugenius IV et Nicolaus V nihil intentatum reliquerunt, ut schismaticos Graecos ad unionem reducerent, litteris atque legationibus ad episcopos et ad imperatorem usi sunt, ut eosdem ad Ecclesiae et Apostolicae Sedis obedientiam excitarent [1]. Verum schismatici Graeci eo acrius in Latinos inflammati videbantur, quo manifestior eorum dissidii iniustitia post Florentinum concilium evaserat. Demum divina vindicta supervenit; nam an. 1453 Mahomet II, imperator Turcarum, Constantinopolim cepit et imperium graecum evertit.

Ab hoc imperii graeci excidio, quod Nicolaus Pp. V in suis ad Constantinum imperatorem litteris an. 1451 intra triennium eventurum significaverat, novam Epocham inchoamus.

[1]) Sandini, *Vitae RR. PP.*, *Nicolaus V.*

HISTORIAE ECCLESIASTICAE

EPOCHA DECIMA

AB EXCIDIO IMPERII GRAECI, VSQVE AD INITIA LVTHERI, AN. 1517

PROOEMIVM

Veteres scriptores et ex ipsis Graecis prudentiores excidium imperii graeci imputarunt Graecorum discordiis religiosis et schismati ab Ecclesia. Ex quo tempore Graeci ab Ecclesia desciverunt, eorum res sacrae et civiles magis magisque inclinatae sunt; et quo pertinacius a Romanae ecclesiae iugo deficiebant, eo celerius eorum respublica Saracenorum et Turcarum incursionibus victoriisque imminuebatur: et tandem eversa fuit. Hinc factum ut, qui Romanae ecclesiae eiusque Pontificis auctoritatem excusserunt, Turcarum servituti subderentur.

Ex hac imperii graeci ruina haud parva Latinae ecclesiae accessit utilitas: cum Graecorum doctissimi, Theodorus Gaza, Agyropolus, Ioannes Lascaris, Emmanuel Chrysolares, Georgius Trapezuntinus, Hemonimus Spartensis, Gregorius Tiphenas, aliique e patria sua pulsi, in Italiam venerint, volumina graeca sacra et profana in Occidentem transtulerint, quae ingenti litterarum bono in latinum versa sunt. Iidem viri docti a RR. Pontificibus et a principibus, maxime a Mediceis et Valesiis, humanissime et liberaliter excepti, litteras praecipue graecas summo cum plausu et auditorum frequentia docuerunt, et ex eorum scholis prodierunt viri ingenio, eruditione et eloquentia praestantissimi, quorum alii ad academiarum cathedras, alii ad episcopales infulas, alii ad purpuram, alii ad Pontificiam dignitatem evecti sunt.

Mahomet II, imperii et religionis mahometicae sede Constantinopoli collocata, universum Occidentem Corani legibus submittere tentavit. Cum Religione christiana nutare videbatur publica salus in universa Europa. At quemadmodum XI°et sequentibus saeculis ipsa Mahometanam tyrannidem evasit, praesertim RR. Pontificum sollicitudine, ita etiam durante hac epocha Nicolai V eiusque in Pontificatu successorum curis audacia Turcarum fuit repressa, et Europae regiones a vastatione, Religio a discrimine populus christianus a servitute liberatus fuit.

1. *Imperii graeci excidium* (*an.* 1453) — Mahomet II, imperii graeci destructor, anno 1451 patri suo Amurati II in imperio ottomannico successit; imperii, sub decessoribus suis per Asiam longe lateque aucti, fines pro-

tulit: an. 1452 cum ingenti exercitu Constantinopolim versus movit, fusis ubique Graecorum copiis urbem obsedit, et anno sequente post gravissima 10 mensium certamina eam expugnavit. Constantinus imperator, dum animo fractus fugam meditabatur, in urbis porta obtritus fuit. Sic imperium Cp. abhinc annis 1123 a Constantino M. fundatum, in altero Constantino eversum fuit, et Constantinopolis antea graeci, nunc ottomannici imperii regia facta est. Tristem urbis a barbaris captae faciem vivis coloribus depinxerunt Iosephus episcopus Methonensis, aliique scriptores aequales. Ab his accepimus templa fuisse eversa, altaria destructa, sacrosanctum Christi Corpus profanatum, Imagines confractas, vasa sacra direpta, Ssrum reliquias conculcatas, virgines violatas, viros ecclesiasticos, monachos aliosque acerbe exagitatos, venditos, aut interfectos, omnia perturbata pessum ivisse [1].

Quum Mahomet II urbem Constantinopolim propemodum civibus vacuam cerneret; omnes profugos et latentes ad reditum allexit, facta cuique potestate vivendi secundum propriae religionis ritus. Tunc Cpni, cum Gregorius IV patriarcha an. 1452 et urbi et sedi suae nuncium remisisset, patriarcham elegerunt Gennadium, quem Mahomet patriarchatu Cp. investivit eadem pompa, qua antea utebantur imperatores graeci. Gennadius, antea appellatus Georgius Scholarius, adhuc laicus concilio Florentino interfuerat et unionem probaverat, sed deinde a Marco Ephesino in adversam partem perductus acerrimus unionis impugnator evasit. Eius et Marci Ephesini aliorumque opera effectum est, ut maxima pars Graecorum in schismate perseverarit; multis tamen ab unione non abeuntibus. Caeterum tristis erat christianorum in imperio ottomannico conditio: in multis enim vexati religionis libertatem, admodum limitatam, gravibus tributis redimere cogebantur [2].

2. *Callistus III*, *Pontifex* (*an.* 1455) — Quum primum imperii graeci excidium in Occidentem delatum est, contremuit omnis Europa. Nicolaus Pp. V litteris et legationibus principes et populos christianos ad bellum sacrum excitavit, ut coniunctis viribus Turcarum audaciam et progressiones reprimerent, clericisque pro expeditionis subsidio decimas imperavit. Verum hic Pontifex brevi post, nimirum IX calendas aprilis 1455, decessit. In eius locum VI idus eiusdem mensis electus fuit Callistus III, quemadmodum s. Vincentius Ferrerius vaticinans praenuntiaverat, antea appellatus Alphonsus Borgia, Hispanus, cardinalis Ssrum Quatuor Coronatorum, qui Ecclesiam gubernavit usque ad ann. 1458.

Hic fuit pontifex optimus, in victu parcus, in sermone modestus, in pauperes liberalis, in christianos principes benevolus et munificus, ita tamen ut eorum postulationibus nunquam ab honesto abduci potuerit. In primis negotium belli sacri contra Turcas, a decessore suo coeptum, prosecutus est, ut infra videbimus. Parisiensem academiam et Rothomagensis provinciae clerum, de exactione decimae ex ecclesiasticis proventibus ratione belli sacri ad futurum concilium appellantes, ad revocandam appellationem per cardinalem Alanum, legatum suum, compulit. Iniustas Germanorum expostulationes, ac si secundum concordata, inter Apostolicam Sedem et nationem Germanicam inita, pecunias indebitas exigeret et praelatorum electiones confirmare nollet, diluit, datis ad Fridericum imperatorem litteris, quibus ostendit, se nullas percepisse pecunias praeter eas, de quibus in concordatis convenerat, nullasque reiecisse electiones canonice factas, quas solas ipsa concordata confirmandas declarabant [1]. Etiam simultates habuit cum Alphonso Aragoniae et Siciliae rege, quod hic quandoque episcopatus peteret pro iis, quibus vel propter aetatem vel propter ignorantiam committi non deberent. Quum Alphonsus an. 1458 obiisset, Callistus III Ferdinandum, eius nothum, ab occupando regno Siciliae, quod erat R. Ecclesiae feudum, deterruit, eumdemque repugnantem compescuisset, nisi senio et morbo confectus eodem anno e vita migrasset [2].

3. *Pius II*, *Pontifex* (*an.* 1458) — Post Callisti Pp. III obitum, qui contigit postridie nonas augusti 1458, VI calendas septembris electus fuit Æneas Sylvius Picolomineus, patria Senensis, cardinalis episcopus, litterarum, eloquentiae, eruditionis et ingenii laude conspicuus, qui nomen Pii II assumpsit et Ecclesiam rexit usque ad an. 1464. —Scribendo adeo delectabatur, ut nec perpeti morbi articularis dolore, nec multitudine negotio-

[1]) Cuperi, *Hist. patriarch. Cp.*
[2]) Le Quien, *Oriens christian.*

[1]) Germanorum criminationes etiam diluit Æneas Sylvius cardinalis in Epistola 338 et aliis ad M. Meyer, iurisconsultum et archiepiscopi Moguntini cancellarium.
[2]) Raynald. ad an. 1455-58.

sum ab scriptione cessare potuerit *. Is olim racris ordinibus necdum initiatus, cardinalem Capranicam ad concilium Basileense comitatus fuerat; et huic concilio tenacissime adhaerens, auctoritatem eius tum in dialogo tum in litteris, ad rectorem et Vniversitatem Coloniensem scriptis, defenderat, atque Felici V antipapae obediverat; sed postea cognitum errorem suum correxit, desertis antipapae partibus, se Eugenio IV submisit, atque a Callisto III cardinalis creatus, post huius obitum ad summum pontificatum evectus fuit. Ne vero ea, quae quondam pro Basileensi concilio contra dignitatem et auctoritatem Apostolicae Sedis egerat, dixerat aut scripserat, a se, iam facto pontifice, rata haberi censerentur, VI calendas maias 1463 Bullam *In minoribus* ad Vniversitatem Coloniensem directam, dedit, qua anteriora sua scripta retractavit, emendavitque, inter alia haec memorabilia scribens: « Sequimini quae nunc dicimus, et seni magis quam iuveni credite; nec privatum hominem pluris facite quam Pontificem: Æneam reiicite, Pium recipite [1] ».

Pius ad decessorum suorum exemplum christianos principes ad conferenda contra Turcas arma hortatus est et compositis Italiae rebus, regnoque Siciliae Ferdinando confirmato, an. 1459 principum conventum indixit, habuitque Mantuae. Multa ibidem de expeditione constituta sunt, quae Pontifex in Bulla *Ecclesiam Christi*, data XVIII calendas februarias 1459, explicavit; sed principum animis in alia conversis, nihil effectum fuit. Anno 1461 Pontifex prolixam epistolam scripsit ad ipsum Mahometem II, in qua de veritate Religionis christianae erudite disseruit, christianos benignitati imperatoris commendavit, cumque ad eamdem Religionem suscipiendam hortatus est; verum surdis auribus cecinit: quapropter novis litteris episcopos, principes et populos ad parandum bellum sacrum hortatus est, seque cum militia christiana XVII calendas iulias 1464 Ancona profecturum significavit. Reipsa magnanimus Pontifex Anconam profectus est; in eamdem urbem ingens militum numerus undique convenit; advenit etiam Christophorus Maurus, princeps Venetorum cum 10 triremibus. Verum Pius II morbo, quo antea affligebatur, ingravescente, ibidem postridie idus augusti 1464 obiit, exercitus ducum atque stipendiorum defectu dissolutus est [1].

Idem Pontifex in supra dicto conventu Mantuano edidit celebrem constitutionem *Execrabilis*, qua appellationes a censuris et sententiis R. Pontificis ad futurum generale concilium tanquam sacris canonibus oppositas, christianae reipublicae noxias, rebellionis in Apostolicam Sedem nutrices, ordinisque hierarchici destructivas prohibuit sub poena excommunicationis, a solo Pontifice extra mortis periculum absolvenda. « Irrepserat iam pridem, inquit Gobelinus, in Ecclesia Dei exitialis consuetudo adversus R. Pontificis censuras; victi enim damnatique apostolica sententia ad futurum concilium appellabant, iudicem, qui non erat, et superiorem R. Pontifice, qui non invenitur in terris; et cum ipsi a suis sententiis appellari non sinerent, a Christi Vicario appellandum esse consentiebant. Consuluit Pius patres, qui aderant in conventu, quid censerent. Hi communi voto responderunt, appellationes eiusmodi cum suis auctoribus damnandas esse. Atque ita decretum editum est [2] ».

Quum his temporibus controversia esset Franciscanos inter et Dominicanos de cultu Sanguinis Christi, in triduo passionis effusi, quem ab unione hypostatica excisum et proinde cultu latriae non adorandum contendebant Franciscani, Dominicanis contrariam sententiam acriter defendentibus, Pius II litem ad se evocavit, et sub poena anathematis utrique parti prohibuit, ne una alteri ullam censuram inferret, donec Sedes Apostolica rem definivisset [3].—Rogatus a suis civibus s. Catharinam Senensem inter Sanctas Christi Virgines retulit.—Idem Pontifex a Georgio rege Bohemiae rogatus, ut Compactata, inita inter Bohemos et Basileense concilium [4], confirmaret, id facere recusavit, quum Apostolica Sedes illa non novisset, Bohemi ipsi ea non observarent, et rex praestito iuramento de compescendis haereticis hussitis minime stetisset.

Inter opera ab hoc Pontifice conscripta, praecipua sunt gesta concilii Basileensis, historia Bohemiae, res gestae Friderici imperatoris III, cosmographia [5].

*) Spondan. ad an. 1458, n. 9, et 13.
1) Apud Labbe, *Concil.* t. XIII, p. 1407.

1) Raynald. ad an. 1459-64.
2) *Commentarius rerum memorabil.* l. III. Cf I. B. Palma, *Praelect. Histor. eccles.*, t. IV, p. I, c. 8.
3) Raynald. ad an. 1462; Benedict. XIV, *De beat. et canonizat.* l. II, c. 30, n. 1.
4) Vid. p. 108.
5) Edita Helmestad. 1700, in-fol.

4. *Bellum sacrum contra Turcas* —Iam diximus, quanta cura Nicolaus Pp. V principes populosque christianos excitare conatus fuerit, ut coniunctis consiliis et armis Turcarum audaciam et progressiones reprimerent. Idem negotium prosecutus est Callistus III, illius successor, qui classem validam instrui curavit, novis legationibus principes europaeos ad consocianda arma hortatus est, et ad implorandam omnipotentis Dei opem trium annorum et totidem quadragenarum indulgentiam concessit iis, qui ad meridianum campanae sonitum orationem Dominicam et salutationem Angelicam ter recitarent*. Pontifici egregiam operam praestitit s. Ioannes de Capistrano, Ordinis s. Francisci, qui singulari ardore crucem praedicabat, populosque ad capessenda arma hortabatur.

Verum dum principes cum Friderico imperatore tempus tererent disceptando de expeditionis opibus, Mahomet II an. 1456 cum exercitu 160,000 virorum Hungariam invasit et Albam graecam seu Belgradum, christiani orbis propugnaculum, obsedit. Ioannes Corvinus Hunniades, e Transylvaniae vaivoda Hungariae gubernator, qui iam antea Amuratem II ad solvendam Belgradi obsidionem coëgerat, magnasque de Turcis victorias retulerat, rursus contra Mahometis II impetus Belgradum fortissime defendit; crucigerorum, quos cardinalis Ioannes de Carvajal, Apostolicae Sedis legatus, et s. Ioannes de Capistrano collegerant, adventu auctus, rem ineffabili virtute gessit; s. Ioanne de Capistrano christianorum militum ardorum excitante, Turcae an. 1456 victi, prostrati et post cruenta praelia finibus Hungariae eiecti sunt, multis eorum millibus caesis, innumeris ipsoque Mahomete sauciatis, tormentis bellicis interceptis [1].

*) D. Antoninus, in *Chron.* part.3, tit. 22, c. 11. Platina, qui Romae tunc agebat, in vita Callisti III ait: *Mandavit, ut assiduo rogatu Deus flecteretur, in meridie campanis signum dari Fidelibus omnibus, ut Orationibus eos iuvarent, qui contra Turcas continuo dimicabant.*—Eadem de causa, ad implorandam nempe divinam opem adversus Turcas, hanc orandi consuetudinem instauravit Alexander VI, uti ad an. 1500 narrant Raynaldus n. 4, et Spondanus n. 5. Fusius hac de re loquitur Angelus Rocca, in Comment. *de Campanis*, t.I, c. 17 et 18. Benedictus vero XIII constituit ut ad pulsationem campanae hora meridiana et post solis occasum recitaretur Antiphona *Angelus Domini* et salutatio Angelica ter repetita, additis etiam indulgentiis, uti suo loco videbimus.

1) Raynald. ad an. 1456.

Callistus Pp. III, ut pro parta victoria grates Deo haberentur, festum Transfigurationis Christi Domini, in quo victoria relata fuerat, novo officio a seipso composito et Indulgentiarum largitione celebrius reddidit [1]. Vidimus quae Pius Pp. II, Callisti successor, tentaverit, ut principes europaeos ad conterendas Turcarum vires atque progressiones excitaret. Idem negotium sollicite prosecuti sunt eius successores, ut infra patebit.

5. *Paulus II, Pontifex* (*an.* 1464)—Postquam Pius Pp. II, postridie idus augusti 1464 e vita migrasset, III calendas septembris summo cardinalium consensu electus fuit Paulus II, Venetus, antea appellatus Petrus Barbus, Eugenii IV e sorore nepos, presbyter cardinalis. Is decessorum suorum exemplum secutus, mox a pontificatus sui exordio omnes curas suas intendit ad christianae Religionis defensionem contra Turcarum impetus; sed principes europaei conatus eius parum adiuvarunt. Quum Georgius, rex Bohemiae, Hussitis continuo faveret, catholicos vero vexaret, complures nobiles Bohemi, Moravi et Silesii contra eum societatem inierunt; Paulus II eumdem tum Ecclesiae communione tum regno privatum declaravit an. 1466, atque Matthiam, regem Hungariae, ad occupandas eius terras excitavit. Matthias paulatim Moraviam, Silesiam et Lusatiam cepit, et anno 1469 a pluribus rex Bohemiae electus fuit. Tunc Georgius cum Paulo II de pace tractare coepit, sed rebus necdum compositis, ambo obierunt. Idem Pontifex Iubilaei gratiam ad quemque annum 25 extendit; bona ecclesiastica alienari aut ultra triennium locari prohibuit; cavit etiam, ne Legati apostolici aut rectores provinciarum ditionis pontificiae munera acciperent; a Petro, electo Antiocheno Maroniticae nationis patriarcha, consultus de catholicae doctrinae capitibus circa ss. Trinitatis et Incarnationis mysteria, succinctam de utroque mysterio expositionem ad eum misit, eumdemque in dignitate, ad quam electus fuerat, confirmavit; iubilaeum quinto ac vicesimo quoque anno celebrandum decrevit [2]; Basilicam s. Marci ornavit, porticum pulcherrimam addidit, et aedes magnificas iuxta construxit, in quas Pontifices tempore aestivo divertere possent a Vaticano; eius Pontificatus anno quarto, Christi 1467; ars Typo-

1) Baron. *Annot.* ad *Martyrol. Roman.* VIII idus augusti; Platina, *in Vita* Callisti III.
2) *Bullarii* t. I, Constitut. 7.

grahica, iam ante alibi inventa*, primum Romae exerceri coepit; officium Abbreviatorum, quo nomine designabantur qui Brevia Pontificia componebant, abrogavit, volens, ut Apostolicae Sedis gratiae gratis concederentur; factum, quod cum Platina, unus ex istis abbreviatoribus, petulanti calamo redarguisset, a Pontifice custodiae traditus fuit. Demum Paulus II ex apoplexia subito decessit VII calendas augusti 1471.

Nonnulli scriptores, inter quos supra dictus Platina, huic Pontifici iniuste detraxerunt, ac si viros litteratos male habuisset, leges in conclavi iuratas abrogasset, moribusque usus fuisset Pontifice indignis; sed Paulum II ab obtrectatorum dicteriis doctissime vindicavit cardinalis A. M. Quirini[1].

6. *Xystus IV, Pontifex* (*an.* 1471) — In locum Pauli II, v° idus augusti 1471, suffectus fuit Xystus IV, Savonensis, antea appellatus Franciscus Roboreus, Ordinis FF. Minorum, presbyter cardinalis, vir in theologicis et canonicis disciplinis apprime eruditus. Prima eius cura fuit, ut Turcarum impetum ab europaeis regionibus propulsaret, in hunc finem principes et populos christianos ad bellum contra infideles excitavit. Regnum Bohemiae adscripsit Matthiae regi Hungariae, qui catholicorum partes contra Hussitas propugnabat; et Bohemis, Silesiis, Moravisque prohibuit, ne Vladislao, qui de regno cum Matthia decertabat, opem ferrent; tamen bellum inter utrumque competitorem continuatum est usque ad an. 1479, quo pace inita Vladislaus Bohemiam retinuit. Idem Pontifex Ferdinando regi Neapolis, dum viveret, tributum remisit, modo singulis annis equum album feudi nomine offerret, oram maritimam contra praedones tueretur, et Pontificem, si opus foret, milite iuvaret. An. 1475 secundum decessoris sui constitutionem Romae Iubilaeum celebravit, plenissima Indulgentia concessa iis, qui poenitentes et confessi indicatas basilicas devote visitarent, suspensis toto Iubilaei tempore cunctis ubique extra Vrbem Indulgentiis[1]. Ad augendam christiani populi pietatem erga B. V. M. sine labe conceptam, huiusque opem contra Ecclesiae hostes implorandam, iis, qui officium Immaculatae Conceptionis, a L. de Nogarolis compositum, recitarent vel Horis canonicis aut missae in illius festo et octava interessent, easdem concessit Indulgentias, quas Vrbanus IV aliique Pontifices concesserant pro festo Corporis Christi; divum Bonaventuram Episcopum Cardinalem intulit Sanctis et Ecclesiae doctoribus; anathema vero comminatus est iis, a quibus celebrantes festum Immaculatae Conceptionis, erroris aut peccati incusarentur[2]. Fidei puritati invigilans, haereticas Petri Oxomensis propositiones, de quibus infra dicemus, confixit; controversiae inter Franciscanos et Dominicanos agitatae de sacris stigmatibus B. Catharinae Senensis silentium imperavit[3]. Vrbem Romam aedificiis decoravit, et in his memoria dignus est Pons eius nomine nuncupatus Tyberi impositus; bibliothecam Vaticanam multis antiquis monumentis librisque, arte typographica excusis, locupletavit auxitque proventibus, unde custodibus, librariis Latinis, Graecis, Hebraicis stipendia persolverentur. Eidem Bibliothecae Platinam praeposuit.

Nonnulli scriptores iniuste accusarunt hunc Pontificem, quod odium inter Florentinas Mediceorum et Pazziorum familias foverit, horumque in illos coniurationi consenserit. Xystus IV erga Mediceos, praesertim erga Laurentium indignatus fuit, quia in multis Apostolicae Sedis iuribus adversabantur: sed sine ullo eius consilio aut suasione Pazzii, familiae Mediceorum, a cuius nutu Florentina civitas pendebat, infensi, an. 1478 coniurationem excitaverunt, Iulianum Mediceum in

*) Convenit, artem typographicam circa dimidium huius saeculi in lucem prodiisse, sed de loco et inventoribus eius disceptatur. Videsis librum, *Histoire de l' origine et des premiers progrès de l' imprimèrie*; item, M. Maittaire, *Annales typographici*.

[1]) *Vita Pauli II* e codice angl. Biblioth. desumpta, praemissis vindiciis adversus Platinam aliosque obtrectatores, Romae 1740; item, *Tiara et purpura Veneta* ab an. 1379 usque ad 1759. Vid. etiam I. B. Palma, *Praelect. Hist. eccl.* t. IV, p. I, c. 9.

[1]) *Extravag. comm.* l. V, tit. 9, c. 4.

[2]) Ibid. l. III, tit. 12, c. 1.

[3]) Franciscani istud privilegium soli s. Francisco vindicabant; Dominicani illud etiam B. Catharinae concessum fuisse contendebant, quamvis in eius corpore sacra stigmata non apparuissent sicut in corpore s. Francisci. Eadem controversia instaurata fuit sub Clemente VIII. Tandem Vrbanus VIII Officio s. Catharinae Senensis inseruit hanc lectionem: « Hanc gratiam amantissimus Dominus nova gratia cumulavit, ut sentiret dolorem illapsa vi vulnerum et cruenta signa non apparerent. Quod ita contigisse cum Dei famula confessario suo Raymundo retulisset, ut oculis etiam repraesentaretur, radios in imaginibus B. Catharinae ad dicta quinque loca pertingentes, pia fidelium cura pictis coloribus expressit ». Cf Benedict. XIV, *De beatif. et canonizat.* l. IV, c. 8, n. 8.

ecclesia confoderunt, Laurentium fratrem eius vulnerarunt, populumque ad libertatem provocaverunt. Medicei vero Pazziis praevalentes, terribilem vindictam ediderunt: Riarius cardinalis legatus e templo in custodiam ductus est; Salviatus archiepiscopus Pisanus, qui tunc in urbe agebat, cum omnibus suis, sontibus et insontibus, ad curiae fenestras laqueo suspensus fuit; eodem supplicio necati sunt Franciscus et Iacobus Pazzii, Iacobus Salviatus et Iacobus Poggius, mortis Iuliani Medicei participes, multique presbyteri et ecclesiastici viri gladiis, fustibus, laqueo interfecti. Quum Xystus Pp. IV tantam iniuriam ordini ecclesiastico ipsique Sedi Apostolicae in Legato suo sine ulla iudicii forma illatam audivisset, in Mediceos et Florentinos eorum complices anathema, interdictum aliasque poenas fulminavit. Illi vero ad concilium generale provocantes, Pontificis censuras spreverunt. Brevi post grave bellum inter utramque partem exarsit, in quo Veneti, Mediolanenses et principes Mantuae atque Ferrariae se coniunxerunt cum Florentinis; Senenses vero et Ferdinandus rex Neapolis partes Pontificis defenderunt. Ludovicus XI, rex Galliae, in Florentinorum partes vocatus, missis Romam legatis Pontifici minitatus est, nisi censuras in Florentinos latas revocaret; sed Pontifex regis legatis graviter respondit, iustasque suae in Florentinos severitatis causas demonstravit. Anno autem 1480 Pontificem inter et Florentinos pax restituta est [1].

7. *S. Franciscus de Paula Ordinis Minimorum* — Idem Pontifex approbavit Ordinem monasticum, a s. Francisco de Paula institutum. Franciscus a loco natali Calabriae dictus de Paula, primo regulam Franciscanorum professus est, dein cavernam in Calabriae eremo incolere coepit, solis herbis et radicibus victitans, duroque saxo incubans. Brevi post multi vitae eius exemplum imitati sunt, pro quibus is anno 1435 haud procul ab urbe Paula cellas cum oratorio extruxit, et an. 1444 Paterni primum monasterium fundavit. An. 1474 Xystus Pp. IV novum Ordinem sub nomine Congregationis eremitarum s. Francisci Asisiensis approbavit. Alexander VI vero Ordinis socios appellari voluit Minimos Fratres eremitas Francisci de Paula, unde breviter dicti sunt Minimi. S. Franciscus, qui anno 1507 in Domino obdormivit, Ordinem suum per Italiam, Galliam, Hispaniam et Germaniam propagatum vidit. Regula ab eo praescripta in multis convenit cum ceteris monasticis regulis, sed in aliis severitate praestat. Progressu temporis monachis accesserunt etiam moniales, eamdem regulam sectantes, item laici, certa praescripta et pietatis exercitia observantes et funiculum gestantes, dicti Tertiarii [1].

8. *Petrus de Osma, Ioan. de Wesel, Ioan. Wessel* — Interea quidam doctores, Patrum traditionem et Ecclesiae auctoritatem relinquentes atque ss. Scripturas secundum proprios conceptus interpretantes, a catholica doctrina aberrarunt. In primis Petrus de Osma sive Oxomensis, in academia Salmanticensi s. Theologiae professor, asseruit, confessionem sacramentalem non esse a Christo institutam, sed ab hominibus invectam, et sola cordis contritione peccata deleri. Eius errores scripto confutavit Ioannes Prexanus, nobilis huius aetatis theologus; et Alphonsus Carillus, archiepiscopus Toletanus, convocatis Complutum viris doctissimis, atque re diligenter perpensa, et errores condemnavit, et auctorem ab iis non recedentem anathemati addixit; quam sententiam confirmavit Xystus IV. Petrus errores suos retractasse dicitur [2].

Ioannes ab urbe natali appellatus de Wesel seu Wesalia, in Vniversitate Erfordiensi s. Theologiae doctor, postea Wormatiae concionator, inter alia docuit, praelatos ecclesiasticos non habere potestatem ferendi leges; Indulgentiis nullas poenas divinas, sed tantum canonicas remittere, et thesaurum meritorum, utpote in coelo repositum, nulli hominum ad dispensationem praesto esse; erroris immunem non Ecclesiam docentem, sed sanctam et immaculatam eius partem esse dicendam; satisfactionem sacramentalem non esse consentaneam menti Christi, qui tantum emendationem postularit; excommunicationes et absolutiones sacerdotum nihil conferre ad condemnationem vel beatitudinem coelestem christianorum utpote praedestinatorum. Praeterea doctorum ecclesiasticorum auctoritatem, instituta disciplinaria et liturgica, nominatim

---

[1]) Raynald. ad an. 1478-80. Xystum in hac re ab adversariorum detractionibus vindicavit cl. praesul Stephanus Rossi in dissertatione erudita, quam VI calendas aprilis 1811 Romae in Academia Religionis catholicae recitavit. Vid. etiam I. B. Palma, *Praelect. Hist. eccl.* t. IV, p. I, c. 10.

[1]) Bolland. *Acta SS.* 2 april.; Helyot, *Hist. des Ordres Relig.* t. IX, p. 426.

[2]) Mariana, *Hist. Hispan.* c. 10; Spondan. ad an. 1479.

ieiunium, nihili habuit. Anno 1479 archiepiscopus Moguntinus Ioannem vocavit Moguntiam, ubi plures theologos Moguntinos, Colonienses et Heidelbergenses congregarat. Ioannes de doctrina sua interrogatus, nonnulla sibi obiecta negavit, alia in sensum catholicum explicare tentavit. Post diligens examen libri eius ad ignem damnati sunt, ipse vero errores suos abiurare iussus et monasticae custodiae mancipatus fuit [1].

Similes fere ac ille assertiones protulit Ioannes Wessèl, natus Groningae an. 1419 et mortuus an. 1489. Is variis in Vniversitatibus literas in primis philosophicas tradidit, scriptaque plura magnam partem theologica reliquit. In his praeter alia legibus ecclesiasticis vis obligandi, excommunicationi effectus apud Deum valiturus, R. Pontifici potestas regendi universam Ecclesiam denegabantur; peccatorum remissio soli emendationi, reiecta confessionis et satisfactionis necessitate, adscribebatur; dicebatur praeterea, purgatorium in nullis poenis, sed in ardenti Dei amore, peccatorum maculas pedetentim auferente, consistere; illosque etiam Christianos, qui a R. Pontifice essent separati, ad Ecclesiam catholicam pertinere. Propter hos aliosque errores scripta Ioannis Wesseli ad ignem condemnata sunt [2].

9. *Innocentius VIII, Pontifex* (*an.* 1484)— Post mortem Xysti IV, quae contigit idibus augusti 1484, ad summum pontificatum IV calendas septembris evectus fuit Innocentius VIII, antea I. B. Cibo, Genuensis, presbyter cardinalis, qui Ecclesiam gubernavit usque ad an. 1492. Is missis ad christianos principes legatis, eos ad mutuam pacem et ad coniungenda contra Turcas arma hortatus est. Inito cum cardinalibus et principum oratoribus consilio, ad tutanda ab hostium incursionibus Italiae littora classem ingentem instruendam curavit. Ferdinando et Isabellae, Aragoniae et Castellae regibus, ad bellum contra Mauros Granatenses gerendum, decimas concessit, et dimicantibus atque subsidium ad bellum ferentibus Indulgentias largitus est. Ferdinandum regem Neapolis, Ecclesiae iura violantem et in Apostolicae Sedis clientes tyrannidem exercentem, bello fregit et ad postulandam pacem compulit. Constitutiones promulgavit contra maleficos et contra reliquos in Bohemia Hussitas. Ordinem monialium Conceptionis B. V., quem Beatrix a Silva, nobilis virgo Lusitana, sub regula Ordinis Cisterciensis et obedientia episcoporum instituerat, confirmavit. Libellum nongentarum propositionum, quas Ioannes Picus, magni ingenii iuvenis, de re dialectica, physica, metaphysica, theologica, magica et cabalistica Romae publice propugnaverat, sub poena excommunicationis prohibuit [1]. Anno 1492, quum Zizimus, frater Baiazethis II imperatoris Turcarum, e custodia gallica in romanam fuisset translatus, Innocentius Pp. a Baiazethe II dono accepit lanceam, qua Salvatoris latus fuerat transfixum. Eodem anno Romae in Basilica s.Crucis, dum reficeretur, repertus fuit titulus Crucis Christi Domini. —Praeterea partem Lanceae, qua confossum Christi latus, dono dedit Innocentio orator Baiazethis II Turcarum Imperatoris; spongiam item et cannam passione Salvatoris consecratas [*]. — Innocentium VIII cum Norwegis dispensasse, ut in solo pane sine vino ss. Eucharistiam conficerent, falso scripsit Volaterranus [2].—Hoc Pontifice adnitente extincta sensim est Hussitarum haeresis, donec Lutherus eam hydram, uti loquitur Raynaldus [3], pluribus horrentem capitibus in Christianorum exitium suscitavit. Idem dicitur *Catholici* titulo decorasse Ferdinandum V Aragoniae et Castellae Regem, qui Granata Vrbe potitus, deleverat vetustissimum Maurorum imperium in Hispania [4].

10. *Bellum Turcicum* — Interea Mahomet II expugnata an. 1453, ut vidimus, Constantinopoli, quidquid Graeci in Europa possidebant, occupavit: Serviam in provinciam turcicam redegit, principatum graecum in Peloponneso extinxit, et universa Graecia, Trapezunte et Bosnia potitus, arma vertit contra fortissimum Scanderbeg, principem Epiri, qui Turcas saepius vicerat: sed cum an. 1466 hic obiisset, ex eo tempore Turcae Epirum occuparunt. Tunc Mahomet arma contulit in Occidentem. Diximus supra, qua cura Xystus Pp. IV principes et populos chri-

1) Spondan. ad an. 1479; Trithem. *Chron. Spanheim.*; D'Argentrè, *Collect. iudicior. de novis erroribus*, t. I, p. II.

2) M. Adam, *Vitae philosoph. theolog.*; G. H. Gotze, *Commentar. de I. Wesselo.*

1) Has propositiones, inter quas nonnullae suspectae et haeresim sapientes repertae sunt, Ioannes Picus solum disputationis scholasticae gratia ediderat, atque Apostolicae Sedis iudicio subiecerat.

*) Sandini, *Histor. Familiae sacrae*, c. 15.

2) Raynaldus et Spondanus, ad an. 1484-92.

3) Ad an. 1486, n. 58.

4) Raynald. ad an. 1496, n. 25.

stianos ad bellum contra infideles hortatus fuerit. Anno 1472 hic Pontifex cum Venetis et Ferdinando rege Neapolis classem comparavit, quae Smyrnam, opulentam Ioniae civitatem, cepit; sed caeterum nihil effecit, Turcis se Bosphoro et Hellesponto continentibus. Anno 1476 Mahomet cum ingenti exercitu irruit in Moldaviam. Restitit ei Stephanus vaivoda seu palatinus, tantaque clade hostes repulit, ut pauci eorum evaserint, signaque militaria amplius 100 perdiderint. Turcae nihil de furore suo in christianos remittentes, Caffam, nobilissimam urbem Tauricae Chersonesi, Genuensibus eripuerunt; anno 1477 summa cum barbarie expugnarunt Albaniam; an. 1479 obsederunt insulam Rhodum, quae bellicosa virtute Petri Albussonii, equitum s. Ioannis Magistri, pulsis hostibus, servata fuit; eodem anno irruerunt in Transilvaniam, sed ab Hungaris reiecti fuerunt. Anno 1480 ingens Turcarum classis traiecto mari descendit in Calabriam, Hydruntum expugnavit, stragemque horrendam in christianos edidit. Tantus terror illatus est universae Italiae, ut magis de ea deserenda quam defendenda cogitaretur. Animis non cecidit Xystus Pp., principum oratores convocavit, ut omnes contra Religionis et patriae hostes coniunctis viribus insurgerent, foedus ad bellum sacrum inter eos constituit, et ad imploranda in tanto rei christianae discrimine coelitum suffragia festum omnium Ssrum per dies 8 celebrari iussit. Reipsa christianorum classis Hydruntum a Turcarum tyrannide vindicavit; Mahomet, qui Christiani nominis excidium iuraverat, an. 1481 morte sublatus est, et Turcae audita eius morte, ex Italia discesserunt.

Principes vero christiani metu liberati, opportunam imminuendi turcici imperii occasionem neglexerunt. Vnde sub Baiazethe II, qui Mahometi successit, Turcae irruerunt in Walachiam et Russiam, cuncta ferro et igne vastantes; sed frigore, gelu et nive attriti, pluribus millibus deperditis, regressi sunt in Moldaviam, ubi nova clade a Stephano palatino affecti, ad sua redierunt. Tunc inter Baiazethem et Caritheum sultanum Ægypti bellum ortum est; quapropter Innocentius Pp. VIII rursum cum principum oratoribus Romae contulit de bello contra Turcas; multa quidem decreta, sed pauca executioni mandata sunt. Anno 1499 Turcae bello illato Venetis, his Naupactum, vulgo Lepantum, eripuerunt, et usque Forum Iulii rapinas caedesque protulerunt. Alexander Pp. VI mox cum oratoribus principum concilium habuit, Venetorum, Gallorum et Rhodiorum confoederatorum classem instrui curavit, reges etiam Hungariae et Poloniae ad belli societatem adlexit. Biennio bellum inter Turcas et Venetos vario marte gestum est; deinde Baiazethes, gravi articulorum dolore et adversa cum Sultano Ægypti pugna attritus, animum ad ineundam pacem flexit [1].

11. *Ecclesiae status in Hispania* — Interea in Hispania disciplina ecclesiastica multum erat collapsa. « Invaserat, inquit Mariana, pudenda litterarum inscitia in sacerdotes Hispaniae, usque eo, ut pauci latine scirent, ventri gulaeque servientes. Avaritia rapaces in Ecclesiam Dei manus iniecerat. Emere sacerdotia, olim simonia, tunc industria erat [2] ». Ad reparanda haec mala Carillus, archiepiscopus Toletanus, an. 1473 in oppido Aranda synodum coëgit, in qua 29 decreta maxime ad emendandam cleri disciplinam edita sunt [3]. In altero episcoporum conventu sub cardinali Rod. Borgia, Apostolicae Sedis in Hispania legato, eodem anno Matriti habito, ad informandum clerum debita scientia decretum est, ut e R. Pontificis consensu in ecclesiis cathedralibus duo canonicatus, unus theologo, alter iurisconsulto cederent [4]. Magnam ecclesiasticae rei cladem intulerant Mauri, qui, quamvis e multis provinciis eiecti, Granatae et in vicinis locis continuo imperabant. Praeterea Iudaei, per omnes ubique provincias diffusi et opibus potentissimi, Religionis et patriae securitati minitabantur. Haeretici etiam et apostatae in terris Maurorum et in regno Castellae, in quo sacra Inquisitio non extabat, secure agebant.

Verum sub principatu Ferdinandi et Isabellae rerum status mutatus est. Anno 1474 post mortem Henrici IV regnum Castellae accepit Isabella, eius soror; quae cum nupsisset Ferdinando regi Aragoniae, utrumque regnum in unam monarchiam coaluit. Sub his principibus Granata, Maurorum metropolis, capta et imperium mauricum in Hispania deletum est an. 1492. Iidem principes ex auctoritate Xysti Pp. IV pro universa monarchia hispanica sacrae Inquisitionis tribunal an. 1478 formarunt, ita vero ut a solo rege de-

---

[1]) Hammer, *Histoire des Osmanes*; Raynaldus et Spondanus, *Annal. eccl.*
[2]) *Histor. Hispan.* l. XXIII, c. 18.
[3]) Labbe, *Concil.* t. XIII, p. 1448.
[4]) Ibid. p. 1464.

penderet, is summum inquisitorem, hicque ministros sibi subiectos ex regis assensu eligerent. Vnde effectum est, ut morum corruptelae fuerint excisae, seditionum pericula amolita, plura hominum millia a iudaismo, haeresi vel apostasia ad christianam fidem conversa, et aliis Hispaniam deserentibus, Religio catholica sola in universo regno obtinuerit [1].

12. *Alexander VI, Pontifex* (*an.* 1492) — Innocentius VIII, VIII° calendas sextilis 1492, vivere desiit novi orbis, ut habet eius elogium, *suo aevo inventi gloria* [*]. Cardinales in pontificem elegerunt Rodericum Borgia, Hispanum, cardinalem vicecancellarium, qui nomen Alexandri VI assumpsit, rexitque Ecclesiam usque ad an. 1503. Is quondam militiam vitamque lascivam sectatus, deinde clericali militiae adscriptus, et non obstante prioris vitae inhonestate, ad primas Ecclesiae dignitates et tandem ad summum pontificatum evectus fuit. Hunc Pontificem scriptores multi teterrimis coloribus depinxerunt, Roderici militis vitia Alexandro pontifici attribuentes: multa etiam de eius electione moribusque, cum iam esset Pontifex, et mortis genere, ex hausto veneno, circumferuntur a Guicciardinio praesertim evulgata, quae prudentibus sanisque criticis non probantur [**]. Ipse impudentissimus Voltaire reprehendit Guicciardinium, quod nimium suo in Alexandrum VI odio indulserit, et Europam universam deceperit. Eius ingenium, et in gubernanda Ecclesia dexteritatem evincunt praesertim Bullae, Epistolae, aliaque scripta ab ipso Pontificatus sui tempore evulgata.

Alexander VI sicariorum licentiam, quae hoc tempore in Vrbe Roma maxima erat, repressit; lites inter Ioannem Lusitaniae et Ferdinandum Hispaniae reges de partitione novi orbis seu detectarum regionum composuit; christianam fidem in novo orbe praedicandam curavit; an. 1500 Romae Iubilaeum seu plenissimam indulgentiam concessit, quam postea etiam impertivit extra Vrbem iis, qui Romam venire non potuerant cum principum oratoribus contulit de parando bello contra Turcas; instauravit pium morem, a Callisto III institutum, ut meridie fideles pulsu campanae excitarentur ad recitandam orationem Dominicam et salutationem Angelicam pro impetrando contra infideles divino auxilio; approbavit Ordinem monialium Annuntiationis B. V. M., institutum a Ioanna Valesia, Ludovici XI regis Galliae filia et Ludovici XII coniuge repudiata [1]; sanae et orthodoxae doctrinae conservandae studio typographis sub poena excommunicationis prohibuit, ne scripta aut libros typis mandarent sine Episcoporum licentia, post eorumdem inspectionem impetrata. Obiit Alexander XV° calendas septembris 1503 ex febri ad septem dies continua [2].

13. *Scriptores ecclesiastici* — Posteriori autem huius saeculi dimidio floruerunt scriptores, qui sequuntur: Dionysius Laewis, cognomento Carthusianus, natus Rykel in dioecesi Leodiensi, Ordinis Carthusianorum, vir magnae eruditionis; reliquit Commentaria in utriusque Testamenti libros, librum contra Alcoranum, aliaque nonnulla moralia et ascetica [3]. Iacobus Perezius, Hispanus, ex eremita s. Augustini episcopus Christopolitanus; scripsit commentarios in Psalmos et in Canticum Canticorum, atque librum de Christo reparatore contra Iudaeos [4]. Alphonsus Spina, Hispanus, minorita; composuit *Fortalitium* Fidei contra Iudaeos, Mahumethanos, aliosque christianae fidei inimicos. Ioannes de Torquemada, dioeceseos Palentinae, vulgo de Turrecremata, Ordinis Praed., cardinalis episcopus Sabinensis; edidit Tractatum de Ecclesia et auctoritate R. Pontificis [5], commentaria in Decretum Gratiani [6],

---

1) Mariana, *Hist. Hispan.* l. XXIV-VI; L. de Paramo, *De origine et progressu Officii s. Inquisitionis*, *eiusque utilitate et dignitate* libri 3, Matrit. 1597, in-fol.; De Maistre, *Lettres à un gentilhomme russe sur l'Inquisit. espagnole*, Gand 1831, in-8°.

*) A Christophoro Columbo Genuensi an. 1492 novus orbis detectus est, et *Americae* nomine appellatus ab Americo Vespucio Florentino, qui sub auspiciis Emmanuelis Regis Lusitanorum an. 1497 profectus a Gadibus in illum continentem delatus est.

**) Praeter Roscoë, *Vita Leonis X*, Jorry, *Historia Alexandri VI*, aliosque nuperrime huius Papae nomen a calumniis vindicarunt ephemerides *Dublin Review*, Rohrbacher, in sua *Hist. univers.*, Chântrel, in *Histoir. populaire des Papes.*—P. Ollivier, Ord. Praed., in op. *Le pape Alexandre VI et les Borgia*, Parisiis 1870, omnibus documentis ventilatis inter alia defendit Rodericum Llançol (Borgia) filios, qui communiter turpi eius consuetudini cum matrona romana adscribuntur, ex matrimonio legitimo cum Iulia Farnensi suscepisse.

1) Bolland. *Acta SS.* 4 feb.; Helyot, *Hist. des Ordres relig.* t. VII.

2) Raynaldus et Spondanus, ad an. 1492-1503; Berthier, *Hist. de l'Église Gall.* 1492-1503; Audin, *Hist. de Lèon X*, t. I, c. 11.

3) Colon. 1519, 21 vol. in-fol.

4) Paris 1518, in-fol. — 5) Venet. 1562, in-fol.

6) Ibid. 1578, 5 tom. in-fol.

aliaque. S. Ioannes de Capistrano, qui crucigeros ad repellendos infideles excitavit, ut antea notavimus, multos Hussitas ad catholicam fidem reduxit, scripsitque Tractatum de potestate Papae et Concilii. Iosephus episcopus Methonensis, Graecus; edidit librum, quo respondit ad calumnias Marci Ephesini contra concilium Florentinum et contra dogma catholicum de processione Spiritus S. a Patre et a Filio. Gregorius ab an. 1446 usque ad 1452 patriarcha Cp.; dedit apologiam concilii Florentini contra Marcum Ephesinum, apologiam definitionis eiusdem concilii et epistolam ad Alexium Comnenum de processione Spiritus S. et de voce *Filioque* symbolo addita. Bessarion Trapezuntinus, ex archiepiscopo Nicaeno cardinalis; scripsit Tractatum de sacramento Eucharistiae, librum de Spiritu S. contra Marcum Ephesinum, aliumque eiusdem argumenti adversus Alexandrum Lascarum. Isidorus Thessalonicensis, ex archiepiscopo Ruthenorum cardinalis; reliquit disputationes de processione Spiritus S. et aliquot orationes. Georgius Trapezuntinus, multa e graeco in latinum vertit, et praeter rethoricam reliquit aliquot scripta polemica pro Ecclesia latina contra Graecos [1]. Gabriel Biel, Spirensis, Vniversitatis Tubingensis professor; edidit commentarios in 4 libros Sententiarum et expositionem canonis Missae. Angelus de Clavasio, Ligur, Ord. Minor., collegit Summam angelicam de casibus conscientiae [2]. Thomas a Kempis dioecesis Coloniensis, Canonicus regularis s. Augustini prope Zwol in dioecesi Vltraiectensi, vir insignis pietatis; reliquit plura scripta ascetica, inter quae eminent libri 4 de Imitatione Christi, quos multi illi adiudicant. Gobelinus, Pio Pp. II ab epistolis, sub cuius nomine prodierunt commentarii rerum memorabilium, quae eiusdem Pontificis temporibus contigerunt, quorum ipsum Pium Pp. esse auctorem nonnullis persuasum est. Georgius Phranza, imperatoris graeci *protovestiarius*; scripsit Chronicon de rebus Byzantinis et Peloponesiacis [3]. Leonicus Chalcondilas, Atheniensis, edidit historiae Turcicae libros 10 [4]. Ambrosius Camaldulensis Florentinus, sui Ordinis decus, permulta scripta Patrum Graecorum in latinum vertit, Chronicon Cassinense et alia exaravit. Marsilius Ficinus, Florentinus, presbyter canonicus, varia scripta graeca in latinum vertit, pluraque de re philosophica scripsit [1]. Bartholomaeus Sacchi, dictus Platina, Cremonensis, a Pio II inter abbreviatores adscriptus, et post adversa fata sub Paulo II a Xysto IV bibliothecae Vaticanae praefectus, praeter alia scripsit vitas RR. Pontificum a B. Petro usque ad Xystum IV, quas usque ad Pium V continuavit Onuphrius Panvini; Platina vero in nonnullis, maxime quae spectant Paulum II, pro suspectae fidei scriptore habendus est [2]. Ioannes a loco natali prope Treviros appellatus Trithemius, Ordinis s. Benedicti; reliquit librum de scriptoribus ecclesiasticis, chronica monasteriorum Wirceburgensis et Spanheimensis, Annales Hirsaugiensis, aliaque. Albertus Krantz, Hamburgensis, ecclesiae huius civitatis decanus; edidit chronica Daniae, Sueciae, Norwegiae, item *Saxoniam*, *Wandaliam*, historiam ecclesiae Hamburgensis et Bremensis atque episcopatuum in Westphalia et Saxonia inferiori [3]; quae omnia postea heterodoxa manu corrupta, relata sunt in Indicem librorum prohibitorum, donec corrigantur. Ioannes Longinus, alias Duglossus, canonicus Cracoviensis; scripsit historiae Polonicae libros 12 et vitam s. Stanislai episcopi Cracoviensis.

14. *Fidei propagatio in Africa*, *India et America* — Labente hoc saeculo latissimum stadium propagandae Religioni christianae apertum est ex maritimis Europaeorum explorationibus et detectis insulis. Hae explorationes sub regum Lusitaniae et Hispaniae auspiciis factae, eorum dominationes in immensum auxerunt. Lusitani iam ante dimidium huius saeculi occuparant Maderam, insulam oceani Atlantici; post aliquot annos insulas promontorii Viridis et Azoricas, magnamque partem littoris occidentalis Africae cognoverunt. Lusitanorum pervestigationes aemulati sunt Hispani, et Christophorus Columbus sub auspiciis Ferdinandi et Isabellae an. 1492, superatis vasti pelagi fluctibus, detexit primas novi orbis, Americae, insulas, quas Antillas vocant, et inter quas praecipuae sunt insula s. Dominici, Cuba, Iamaica, Portus dives. Quum autem inter reges Lusitaniae et Hispaniae ortum esset dissidium de exploratarum et explorandarum regionum novi orbis iure et possessione, Alexander Pp. VI

1) Apud Allat. *Graecia orthodoxa*.
2) Venet. 1489, in-fol.
3) Venet. 1733, in-fol.
4) Paris, graece et latine 1650, in-fol.

1) Basil. 1561, 2 vol. in-fol.
2) Lovanii 1572, in-fol. — 3) Argentor. 1546.

anno 1493 per Bullam *Inter caetera* litem sic composuit, ut rex Hispaniae eiusque successores partem occidentalem et rex Lusitaniae orientalem circuli indicati haberet: ita tamen, ut ambo reges in occupatis regionibus catholicam fidem propagandam curarent. Anno sequente idem Pontifex regibus Hispaniae attribuit quascumque terras in regnis Algeriano et Tuneto contra infideles bello caperent, iis exceptis, quas reges Lusitaniae in regnis Fezzano, Miquenzano et Marochiano occupaverant aut occuparent [1]. Ex hoc tempore Lusitani et Hispani ardentius in pervestigandis et occupandis tum Africae et Asiae, tum novi orbis regionibus desudarunt. Anno 1497 Lusitani, superato promontorio Bonae Spei, littora Indiae orientalis lustrarunt et Calcutum usque penetraverunt. Deinde Malacam, Molucas, aliasque Indiae insulas pervestigaverunt atque occuparunt. An. 1500 detexerunt et occupaverunt Brasiliam, vastissimam regionem Americae meridionalis. Interim Americus Vespucius an. 1497 pro rege Hispaniae vestigia Christophori Columbi premens, Mexicum sinum, Pariam, Venetiolam, Novam Granatam, aliasque Terrae firmae regiones detexit, et praecursoris sui celebritatem tam superavit, ut hoc novum hemisphaerium ab eius nomine America appellatum fuerit.

Occasione harum pervestigationum Religio christiana inter Africae, Asiae seu Indiae et Americae incolas propagata est, primo per missionarios, quos Hispani et Lusitani exploratores secum ducebant, deinde per alios, qui propagandi Evangelii studio e RR. Pontificum auctoritate et sub auspiciis regum Hispaniae et Lusitaniae in terras illas profecti sunt. Qua in re apostolicum ardorem prae se tulerunt viri religiosi Ordinum s. Francisci et s. Dominici. In primis postquam Lusitani detexissent regnum Congum, in littore occidentali mediae Africae situm, regis legatus pluresque iuvenes cum illis in Lusitaniam venerunt, ibique baptizati an. 1490 cum missionariis Dominicanis in Congum reversi sunt. Missionarii ibidem tanto cum successu Evangelium annuntiarunt, ut rex regiaque familia, multi proceres et alii baptizati, abiectoque idolorum cultu, christianam fidem professi sint. An. 1493 B. Boil, Ordinis FF. Minorum in Hispania vicarius generalis, cum 12 Ordinis sui presbyteris ex auctoritate Alexandri Pp. VI navigavit in insulas Antillas; illis non multo post alii tum Dominicani tum Franciscani successerunt, qui omnes ardore apostolico propagandae Religioni adlaborarunt. In sequenti Epocha dicemus, quanto cum successu in Africae, Indiae et Americae regionibus Evangelium propagaverint Franciscani, Dominicani atque Iesuitae [1].

1) *Bullar. Roman.* t. II; Raynald. ad an. 1493-96.

15. *Pius III, Iulius II, Pontifices* (*an.* 1503) — Post Alexandrum VI, xv° calendas septembris 1503 defunctum, X calendas octobris pontifex electus fuit Pius III, antea Franciscus Tudeschinus Picolomineus, cardinalis archiepiscopus Senensis, vir prudentia et doctrina clarus; qui confestim disciplinam ecclesiasticam instaurare, concilium generale cogere, bellumque contra Turcas excitare sibi proposuit, sed multa ad Ecclesiae bonum animo volvens, eodem anno, XVI calendas novembris, supremum diem obiit [2].

In eius locum calendis novembris electus fuit Iulianus Roboreus, Ligur, cardinalis episcopus Ostiensis, qui nomen Iulii II assumpsit, seditque usque ad an. 1513. Is constituit, ut electio Pontificis facta simoniace, haberetur irrita, cardinales istius criminis rei, dignitatibus suis et beneficiis forent privati, caeteri hac labe puri potestatem haberent peragendi novam electionem, et si necesse esset, cogendi concilium generale et etiam implorandi brachium saeculare; certamina singularia, quae appellantur duella, in ditione ecclesiastica sub poena excommunicationis prohibuit; Ordinem Minimorum, a s. Francisco de Paula institutum, confirmavit; Henrico VIII regi Angliae per dispensationem indulsit, ut Catharinam, Ferdinandi et Isabellae Hispaniae principum filiam, fratrisque sui Arthuri viduam, uxorem duceret; Vaticanam basilicam a Magno Constantino olim aedificatam, vetustate collabentem, instaurandam suscepit magnificentia, quae principe Apostolorum totius Ecclesiae capite et loci maiestate digna esset, cunctisque ad id opus stipem conferentibus Indulgentias largitus est [3].

Erat autem hoc tempore rerum ordo in R. Ecclesiae statibus valde perturbatus et pontificia auctoritas inclinata; Balliones, vulgo

1) Tellesius Sylvius, *De rebus gestis Ioannis regis Lusitaniae*; Orosius, *De rebus gestis Emmanuelis regis*; Mariana, *Hist. Hisp.* l. XXVI; de Barros, *Hist. Asiae et Indiar.* decad. I, l. 4; Maffei, *De rebus Ind.* l. I-II.
2) Raynaldus et Spondanus, ad an. 1503.
3) Idem, ad an. 1503-13.

Baglioni, Perusiae, Bentivoli, seu *Bentivoglioni*, Bononiae, alii alibi dominabantur. Veneti etiam plura R. Ecclesiae oppida et castra occupabant. Iulius Pp. II, cui a natura inerat celsitas animi, labores quosvis despicientis et ad difficillima negotia aggredienda comparati, fortitudinem necessariam sibi esse censuit ad superandas turbulentas sui pontificatus tempestates. In primis Balliones Perusia, Bentivolos Bononia, aliosque iniustos civitatum detentores tum censuris tum armorum metu eiecit. Deinde Venetos monuit, ut Ecclesiae oppida et castra restituerent, quod illis facere abnuentibus, terribilem bullam adversus rempublicam Venetiarum edidit. Illi autem ad futurum generale concilium petulanter appellarunt. Iulius vero brachium saeculare adversus rebelles imploravit, et belli societatem iniit cum imperatore Maximiliano I et regibus Galliae atque Hispaniae: quae societas an. 1508 inita, nomen Foederis Cameracensis accepit. Veneti armis Ludovici XII regis Galliae, cui belli cura fuerat demandata, Ecclesiae statibus eiecti et ad tantas angustias redacti, ut de conservatione reipublicae desperarent, Pontificis gratiam implorarunt. Iulius II, cum iam terras, a Venetis aliquandiu occupatas, recuperasset, probeque sciret, quanta auxilia Venetiarum respublica ad propulsandos Turcarum impetus conferre posset, an. 1510 concordiam cum illis sancivit, et a censuris absolutos in gratiam recepit.

Verum Ludovicus XII rex Galliae, qui Venetae reipublicae destructionem, suaeque in Italia dominationis incrementa quaerebat, inita hac inter Pontificem et Venetos concordia ita offensus fuit, ut copias suas in Italia consistere iusserit, nonnullas R. Ecclesiae terras occuparit, et Alphonso Atestino principi Ferrariensi, iniusto Comaclensium salinarum, quae ad R. Ecclesiam pertinebant, detentori, patrocinaretur. Quapropter Iulius II Ludovicum XII, prius admonitum et monita spernentem excommunicationi subdidit, et ad pellendas ex Italia Francorum copias foedus iniit cum Venetis, Helvetiis, regibusque Hispaniae et Angliae. Ludovicus XII exacerbatus, an. 1510 episcopos et doctores regni sui convocavit Turones; qui ad propositas sibi quaestiones secundum regis vota respondentes, dixerunt, Pontificem primo per legatos esse monendum, ut a coeptis desisteret et concordiae viam ingrederetur; quod si audire nollet, esse interpellandum de convocando generali concilio libero secundum decreta Basileensia; quibus peractis et responso Pontificis accepto, providendum esse quod iuri consentaneum foret. Confestim Ludovicus cum Maximiliano imperatore contulit de cogendo concilio generali, a quo Iulius in ordinem redigeretur; sed Maximilianus, quamvis primo commotus in Iulium, quod misso foedere Cameracensi, novum iniisset foedus cum Venetis; brevi post melius edoctus, a schismaticis Ludovici conatibus recessit. Ludovicus vero non tantum quodvis commercium cum Romana curia Gallis prohibuit, sed a tribus cardinalibus, in Iulium rebellibus, obtinuit, ut postridie idus maii 1511 concilium generale indicerent, calendis septembris Pisis inchoandum, praetexentes, quod Iulius promissam in conclavi generalis concilii convocationem negligeret, quum tamen illud tum ad reformandam disciplinam tum ad componendas inter christianos principes discordias esset necessarium.

Iulius Pp. ad retundendam tantam arrogantiam XV calendas sextilis 1511 litteras gravissimas edidit, quibus horum cardinalium temeritatem, qua concilium generale, a solo Pontifice convocandum, indixerant, perstrinxit, eorum praetextus confutavit; omnibus, ne se conciliabuli Pisani participes redderent, prohibuit, ipseque concilium generale, anno sequente XIII calendas maias in aede Lateranensi inchoandum indixit. Nihilominus 3 isti cardinales, 2 archiepiscopi, 14 episcopi, quorum numerus deinde auctus est ad 30, et aliquot abbates, omnes Galli, calendis novembris 1511 Pisas convenerunt, tresque sessiones habuerunt. Idibus decembris Iulius bullam contra auctores conciliabuli dedit, qua eos canonicas censuras incurrisse declaravit. Illi autem populi Pisani seditionem metuentes, conciliabulum suum transtulerunt Mediolanum, ubi pridie nonas ianuarii 1512, quartam, deinde caeteras usque ad octavam sessiones habuerunt. In his multa contra auctoritatem R. Pontificis summa cum arrogantia decreverunt, Iulium ceu notorium concilii perturbatorem, contumacem et schismatis auctorem, ab omni Ecclesiae regimine suspensum declararunt, omnibusque cuiusvis conditionis christianis, ne ei deinceps obedirent, prohibuerunt. Huiusmodi schismaticum decretum Ludovicus rex XII° calendas iulii in omni ditione sua observandum mandavit. Quapropter Iulius Pp. XII° calendas augusti universo Galliae regno sacris interdixit.

Interim Francorum res in Italia collabe-

bantur, et conciliabuli auctores haud tutius Mediolani quam Pisis agentes, confugerunt Lugdunum. Brevi post Ludovicus rex, rebellesque cardinales et episcopi errorem suum agnoverunt, veniam a Pontifice postularunt et a Leone X, qui anno 1513 Iulio successit, consecuti sunt [1].

16. *Leo X, Pontifex* — Obiit Iulius Pp. II IX° calendas martii 1513, et V° idus eiusdem mensis magno Romanorum gaudio in eius locum suffectus fuit Leo X, Florentinus, antea Ioannes Mediceus, diaconus cardinalis, vir eruditione, morum integritate, ingenii humanitate, liberalitate et magnificentia conspicuus, qui Ecclesiam sapientissime rexit usque ad an. 1521. Is priusquam e Conclavi exiret, Petrum Bembum, et Iacobum Sadoletum, qui Romae tunc erant, sibi ab epistolis adscivit; regem Galliae et conciliabuli Pisani fautores, postquam errorem suum essent confessi, in gratiam recepit, et cum Francisco I, Ludovici XII successore, an. 1516 in locum sanctionis pragmaticae, supra concilii Basileensis tempore consarcinatae [2], confecit concordatum, in quo praeter alia utrimque convenit, ut rex episcopos et abbates nominaret, et Pontifex eos confirmaret; Pontifici conservati essent episcopatus et abbatiae; quorum possessores in Romana curia morerentur, ei etiam conservarentur *annatae* et causae maiores in iure canonico designatae [3]. Maximam etiam curam impendit Leo X, ut ubique inter principes et nationes christianas pax constitueretur, omnesque hortatus est ad propulsanda pericula, quae e Turcarum potentia et incursionibus quotidie graviora Europae imminebant; in eumdem finem Thomam cardinalem Strigoniensem legavit in Poloniam, Bohemiam et Hungariam, ut bellum sacrum contra Selimum I, Turcarum imperatorem, qui arma contra Hungaros converterat, promulgaret, pacem inter principes constitueret, et Bohemos, sublatis hussiticae haereseos reliquiis, cum Ecclesia conciliaret.

Quanto ardore Leo X propagandae et conservandae christianae fidei adlaboraverit, ostendunt instituti ab eo in America episcopatus, et epistola ab eo an. 1515 scripta ad Davidem regem Abyssinorum; etiam ad patriarcham Antiochenum Maronitarum montis Libani viros religiosos ex Ordine s. Francisci destinavit, qui illos in conservanda orthodoxa doctrina iuvarent; ad eumdem patriarcham responsa dedit circa doctrinae catholicae capita ibidem controversa et circa liturgiam praesertim in administratione sacramentorum, quae patriarcha reverenter suscepit. Quanta eiusdem Pontificis cura fuerit, ut errores circa doctrinam profligarentur, disciplina ecclesiastica custodiretur, moresque populi christiani recte informarentur, evincunt constitutiones concilii Lateranensis V et acta Pontificis in causa Lutheri. Instaurata Romae Academia, fovit studia bonarum artium, litterarum, litteratorumque fautor eximius paterno instituto. — Quanta reapse sollicitudine Leo X viros eruditos coluerit, scientiarum sacro profanarum et artium studia excitaverit foveritque, monumenta testantur [1]. —Lavacrum Constantini Lateranense restituit, ac publica aedificia alia refecit, ornavitque.

17. *Concilium Lateranense V* (*an.* 1512-17)—Concilium Lateranense V, supra a Iulio Pp. II convocatum, tum adversus conciliabuli Pisani tentamina tum ad reformandos mores, ad procurandam inter christianos principes pacem et ad promovendum bellum contra Turcas, inchoatum est V nonas maii 1512 et absolutum postridie idus martii 1517. Habitae sunt 12 sessiones, quarum 4 prioribus praesedit Iulius II, 5ae, Iulio infirmo, Riarius cardinalis episcopus Ostiensis, reliquis Leo X. Primae sessioni interfuerunt 15 cardinales, 2 patriarchae, Alexandrinus et Antiochenus, 77 archiepiscopi et episcopi, quorum numerus ita crevit, ut sessioni VIII adessent 25 cardinales et 112 episcopi. Adfuerunt praeterea generales religiosorum Ordinum, oratores principum christianorum, aliique. Sess. Ia peractae sunt caeremoniae et alia pro more. Sess. II Thomas de Vio Caietanus, Ordinis Praed. Generalis et deinde R. E. cardinalis, orationem habuit; sessiones prolatae sunt usque ad adventum legatorum nationum, et bulla lecta, qua conciliabulum Pisanum eiusque acta damnabantur et irrita declarabantur. Posthaec advenerunt legati Germaniae, Daniae, Norwegiae, Hungariae, Scotiae, Angliae, Castellae, Aragoniae, Italiae, Sardiniae, et utriusque Siciliae, qui nationum suarum nomine concilio adhaeserunt. Sess. III episcopus Gurcensis nomine Maximiliani

---

[1]) Raynald. *Annal. eccl.*; Mansi, *Annotat. ad Raynald.*; Audin, *Histoire de Léon X*, t. I, c. 12-16.
[2]) Vid. p. 113.
[3]) Labbe, *Concil.* t. XIV, p. 358.

[1]) Raynaldus et Spondanus, ad an. 1513-21; I B. Palma, *Praelect. Hist. eccl.* t. IV, p. I, c. 12; Audin, *Histoire de Léon X*, Louvain 1846, 2 vol. in-8°.

imperatoris acta conciliabuli Pisani reiecit, et quaecumque ab hoc principe pro isto conciliabulo gesta fuissent, revocavit. Sess. IV actum est de abrogatione pragmaticae sanctionis in Gallia. Sess. V lecta fuit constitutio Iulii II contra simoniacam R. Pontificis ordinationem. Sess. VI negotia de concilianda inter christianos principes pace, de reformanda curia Romana et de abroganda pragmatica Gallorum sanctione selectis viris discutienda commissa fuerunt. Sess. VII cardinales, qui conciliabulo Pisano adhaeserant, post supplices preces veniam et pristinam dignitatem receperunt. Sess. VIII lecta fuit constitutio Leonis X contra asserentes, animam humanam esse mortalem et unicam in omnibus hominibus. Sess. IX actum est de morum et curiae Romanae reformatione. Sess. X Leo X constitutionem edidit, qua montes pietatis approbavit, et aliam, qua libros et scripta, nisi antea legitime discussa et approbata, imprimi vetuit. Sess. XI lectae fuerunt constitutiones de ratione praedicandi divinum verbum, de concordato inter Leonem X et Franciscum I, quod confirmatum est, de sanctione pragmatica, per illud abrogata, de religiosis Ordinibus eorumque privilegiis. Sess. XII et ultima excommunicatio lata est contra eos, qui in electione R. Pontificis cardinalium domos invaderent, et decimae pro expeditione contra Turcas ad triennium decretae [1].

Cum hoc concilio, quod oecumenicis conciliis legitimis adnumerandum est, praesentem Epocham absolvimus, in sequentibus ultimam historiae ecclesiasticae periodum, ab initiis Lutheri usque ad nostram aetatem, traditturi.

[1]) Labbe, *Concil.* t. XIV, p. 1 seq.; card. Orsi, *De R. Pontif. potestate*, l. VI, c. 18; I. B. Palma, *Praelect. Hist. eccl.* t. IV, p. I, c. 11.

HISTORIAE ECCLESIASTICAE

EPOCHA VNDECIMA

AB INITIIS LVTHERI VSQVE AD IANSENISTARVM EXORDIA, AN. 1517-1640

PROOEMIVM

Dissensiones et schismata, quae in praecedenti Epocha narravimus, tetra Wicleffi et Hussii contra sacerdotii et imperii auctoritatem dogmata, hisque excitati adversus utramque potestatem animi, emortua in multis erga ecclesiasticam auctoritatem observantia, morum licentia in clero et in populo magnum aliquod malum rei christianae protendebant. Reipsa in hac Epocha Religionis unitas in Occidente rupta est et in varias sectas scissa christiana professio. Morum reformationem desiderabant quicumque pii et docti; at superbi quidam et amarulenti animi specioso reformationis praetextu ipsam Ecclesiae doctrinam, auctoritatem, magisterium, instituta, omnibus retro saeculis sacra, oppugnarunt, abiecerunt que, et sola ea, quae sibi gratiora videbantur, retinuerunt. Inde christianae societatis divisiones, bella cruenta, aliaque mala ingentia, quibus europaeae regiones annis multis agitatae fuerunt.

Fucatae reformationis capita fuere Lutherus et Calvinus, geminae Occidentis faces, altera Germaniae, altera Galliis incendendis destinata. Ambo novatores, non minus sib, invicem quam Ecclesiae catholicae oppositi, in odio implacabili contra Romano-catholicam Ecclesiam consentiebant. Populos multos a R. Pontificis obsequio, ab Ecclesia, a Religione christiana divellerunt, et ad suscipiendas haereticas suas novitates perduxerunt. Eorum sectis idem quod aliis omnibus, a legitima auctoritate et centro unitatis avulsis, obtigit, nimirum vix natae in diversas factiones abierunt, quae tamen, quamvis inter se discordes, in oppugnandis catholicis concordabant.

Quapropter in hac Epocha Ecclesia tempestates grandes atque pericula experta est, e quibus tamen victrix exsurrexit. Catholica et avita doctrina in Tridentino concilio clare

definita est, eique oppositi novatorum errores proscripti. Disciplina in clero et populo in eodem concilio instaurata fuit. Pontifices et episcopi extiterunt pervigiles tum in custodiendo Fidei deposito tum in praescribendis ad emendandos mores saluberrimis statutis. Religiosa pietas per novos Ordines et per antiquorum reformationes instaurata fuit. Viri floruerunt quamplurimi, undequaque docti, qui emergentes haereses confutarunt et catholica dogmata ab iisdem vindicarunt. Detrimenta vero, quae novatores Religioni in Germania, Gallia, Anglia, aliisque Europae regionibus intulerunt, lucris maioribus reparata sunt, cum eodem tempore Religio invastissimis novi orbis, Americae, regionibus, in India, Iaponia, in Sinis longe lateque fuerit propagata.

1. *M. Lutheri initia* (*an.* 1517) — Pseudo reformationis agmen duxit Martinus Luther seu Lutherus. Is an. 1483 Islebiae in Thuringia natus, humaniora studia peregit Erfordiae; an. 1505 morte sodalis ad latus suum fulmine icti perterritus: Augustinianorum monasterium Erfordiae ingressus est; biennio post ad vota sollemnia et sacerdotium admissus, deinde in academia Wirtembergensi, a Friderico electore Saxoniae nuper erecta, doctoralem lauream et magisterium in s. Theologia accepit an. 1512. Quum Leo Pp. X ad continuandam basilicae s. Petri structuram, a Iulio II coeptam, an. 1516 Indulgentias promulgandas curasset iis, qui ad illud opus stipem conferrent, earumque praedicatio in Germania ab Alberto Brandeburgico, archiepiscopo Moguntino demandata fuisset FF. Praedicatoribus, praesertim Ioanni Tetzelio, concionatori fervido et Fidei Inquisitori, id non leviter excitavit invidiam Augustinianorum. Lutherus, cui a natura inerant impotens superbia, animusque inquietus, an. 1517 contra Indulgentiarum praedicatores, contra collectas, quae earum occasione fiebant, contra ipsas Indulgentias declamare, populumque excitare coepit.

Eodem anno, pridie festi omnium Sanctorum, Lutherus valvis ecclesiae collegiatae Wirtembergensis 95 theses disputationi destinatas affixit. In his plura orthodoxae doctrinae de Indulgentiis, de potestate remittendi peccata, de poenitentia, opposita asseruit, et sibi ipsi non semel contradixit. Vt invidiosum haeretici nomen a se arceret, in thesibus suis contestatus est, se nihil s. Scripturae, Ecclesiae Patribus, sacris canonibus aut Pontificum decretis adversum asserere velle, cunctasque suas assertiones superiorum iudicio subiicere. Quam parum sincera fuerit haec declaratio, eventus abunde docuit.

Lutheri theses, non minori varietate quam acumine propositae, brevi tempore per universam Germaniam propagatae et a multis avide exceptae sunt. Confestim plures theologi catholici theses eius confutandas susceperunt, inter alios supra nominatus Ioannes Tetzelius, Sylvester Prierias, etiam Dominicanus et s. Palatii Romae Magister, Iacobus Hoogstraten, Dominicanus Coloniensis, Ioannes Eckius, s. Theologiae in Vniversitate Ingolstadiensi professor, Hieronymus Emser, e professore Lipsiensi concionator Dresdensis. Lutherus adversariis suis respondit dictione vehementi, conviciis et irrisionibus plena. In his responsis et in aliis maxime ad usum populi scriptis, ipsius R. Pontificis et concilii generalis auctoritati derogabat, R. Curiae detrahebat, potestatem remittendi peccata, aliaque oppugnabat. Deinde contra adversarios ad R. Pontificem provocavit, et ad Leonem Pp. X epistolam submissionis plenam scripsit.

Leo X de motibus a Luthero excitatis aliunde certior factus, an. 1518 ei Romae diem dixit; deinde eidem concessit, ut se coram Legato suo cardinali Thoma Caietano Augustae Vindelicorum sisteret. Lutherus coram cardinali comparuit, sed ab eo secundum Pontificis mandatum rogatus, ut errores suos revocaret, id facere constanter recusavit, appellavitque R. Pontificem, et ab eo, si condemnaretur, ad futurum concilium generale provocavit. Pontifex errantem suaviter ad obedientiam catholicam reducendum confidens, id negotium demandavit C. Miltitz Misniensi. Hic vero rem ignave gessit. Lutherus ei varia promisit, sed promissis non stetit [1].

2. *Disputatio Lipsiensis* (*an.* 1519) — Luthero ab initio adhaesit praeter alios Andreas Bodestein, a loco natali dictus Carlostadius, archidiaconus Wirtembergensis. Cum utroque I. Eckius, professor Ingolstadiensis, an. 1519 Lipsiae publice disputavit. Illi multa obiecerunt contra liberum hominis arbitrium, purgatorium, R. Pontificis primatum, traditionem, Patrum et Conciliorum auctoritatem. Eckius eorum obiectiones tanta eru-

---

[1]) I Cochlaeus, *Comment. de actis et scriptis Lutheri*; Raynald. ad an. 1517 18; I. M. V. Audin, *Histoire de la vie, des écrits et des doctrines de M. Luther*, t. I, c. 1-11.

ditione confutavit, ut omnes uno ore ei victoriam de adversariis gratularentur.

Verumtamen Lutherus vulgi applausu, academicorum Wirtembergensium approbatione, Friderici electoris Saxoniae, multorumque nobilium patrocinio fretus, non amplius solas Indulgentias, sed omnem catholicam doctrinam de poenitentia, R. Pontificis primatum, ordinem hierarchicum, monasticum institutum, coelibatum clericorum, ieiunium, ius canonicum, aliaque audacius et sermonibus et vulgatis libellis oppugnavit, in his omnibus Ecclesiam reformandam esse, contendens.

Quum autem in disputatione sua cum Eckio Vniversitates Lipsiensem, Lovaniensem et Parisiensem, controversiae iudices interpellasset, in his doctrina eius fuit discussa, omniumque consensu condemnata. In primis Theologi Lovanienses iam an. 1518 scripta Lutheri in Vniversitate interdixerant; anno sequenti VIII calendas martias librum errorum eius miserunt ad Theologos Colonienses, quorum unanimis sententia fuit, librum illum erroribus et haeresibus, iam olim damnatis, esse refertum; quapropter Lovanienses VII idus novembris varias propositiones e Lutheri scriptis excerptas post maturam discussionem tanquam falsas, scandalosas, haeresim sapientes, haereticas condemnarunt[1]. An. 1521 sacra Facultas Parisiensis plures Lutheri assertiones damnavit, eiusque doctrinam tanquam Fidei et moribus adversam, populi seductricem, doctoribus iniuriosam, potestati ecclesiasticae et Ordini hierarchico impie derogantem, schismaticam, s. Scripturae oppositam, blasphemam censuravit[2]. Vnde Lutheri in doctores Vniversitatum ira, invidia atque convicia.

3. *Bulla Leonis contra Lutherum (an. 1520)* — An. 1520 XVII° calendas iulii Leo X celeberrimam Bullam *Exurge Domine* edidit, qua 41 propositiones, e scriptis Lutheri excerptas, tanquam respective haereticas, scandalosas, falsas, piarum aurium offensivas, simplicium mentium seductivas et veritati catholicae obviantes, damnavit; omnia Lutheri scripta, in quibus errores illi aut eorum aliquis continebantur, proscripsit; Luthero praedicationis officio interdixit, eum nisi intra 60 dies errores suos revocarit, eiusque sectatores tanquam haereticos ab omnibus habendos esse declaravit.

4. *Lutheranorum progressus* — Lutherus errores suos non solum non revocavit sed auxit; nova scripta edidit, in quibus plura adhuc catholicae doctrinae capita reiecit, saepe sibi ipsi contradicens. In libro de captivitate Babylonica, Indulgentias fraudem, denegationem calicis Eucharistici impietatem dixit; admissa Christi praesentia in pane et vino, transubstantiationem reiecit; Eucharistiam esse sacrificium negavit; opera supererogatoria, speciatim vota monastica damnavit; Confirmationem, extremam Vnctionem, Ordinem et Matrimonium e Sacramentorum numero delevit. In libro de libertate christiana, hominem sola fide iustificari, adeoque bona opera ad salutem haud necessaria esse docuit. In alio scripto publico a Pontifice tanquam iniusto iudice, antichristo et s. Scripturae contemptore, provocavit ad generale concilium. In libello adversus execrabilem Antichristi bullam, huius auctorem omnesque eam approbantes antichristos vocavit et satanae tradidit. Vindictam suam plane exsatiaturus, sub finem an. 1520 a multis litterarum studiosis stipatus, corpus iuris canonici cum Bulla pontificia et nonnullis adversariorum scriptis in rogum, ante moenia Wirtembergensia extructum, coniecit.

Carolus V, qui an. 1516 Ferdinando in regno Hispaniae et an. 1519 Maximiliano in imperio romano suffectus fuerat, an. 1521 Lutherum ad comitia Wormatiensia vocavit, data ei fide publica seu *salvo-conducto*. Aderant illic cum imperatore septem electores, multique duces, marchiones et episcopi. Lutherus in comitiis interrogatus, an libros, eius nomine editos, reipsa scripsisset, et an errores in iis contentos revocare vellet, priorem quaestionem affirmavit, ad posteriorem post otium deliberationi concessum respondit, se nil revocaturum, nisi claris Scripturae verbis aut certis ratiociniis erroris convinceretur. Cum igitur huic declarationi perviciter inhaereret, et in privatis cum nonnullis principibus colloquiis tam imperii quam concilii generalis sententiam recusaret, imperator edixit, ut Lutherus ab omnibus tanquam schismaticus et haereticus haberetur, et transactis reliquis 21 diebus *salvo-conducto* sta-

1) I. Latomus, *Articulorum doctrinae F. M. Lutheri per Theologos Lovanienses damnatorum ratio*, Antverp. 1521 in-4°. Cf P. F. X. De Ram, *Disquisitio historica de iis quae contra Lutherum Lovanienses Theologi egerunt anno MDXIX*, Bruxel. 1843, in *Nouveaux Mémoires de l' Académie*, t. XVI.

2) D' Argentré, *Collect. iudicior.* t. I, p. II, p. 365.

tutis, in eum prout haereticum procederetur, ubique deprehenderetur; eius autem libros vendi, emi et imprimi vetuit. Elector Saxonicus, ne quid periculi Luthero obtingeret, eum in arce sua Wartbourg paucissimis notum custodiri curavit [1].

Eodem anno Henricus VIII rex Angliae, quum principes Germanos iam esset hortatus, ut Lutheri audaciam eiusque doctrinae propagationem reprimerent, contra eumdem edidit librum de septem Sacramentis, ideo a Leone Pp. titulo Defensoris Fidei ornatus [2].

Pseudo-reformatoris asseclae secundum doctrinam ab eo praedicatam, primum Wirtembergae, deinde alibi agere coeperunt; postquam plebem concitassent, in ecclesias et monasteria irruerunt, in resistentes sibi saevierunt, imagines confregerunt, abrogata missa, coenam novo modo in lingua vulgari celebrarunt, et omnibus sine discrimine utramque speciem porrexerunt; sacerdotes, nominatim Carlostadius, uxores ducere coeperunt, quod an. 1525 quoque fecit ipse Lutherus, Catharinam Boraeam monialem sibi sacrilego coniugio copulans; monachi et moniales, Lutheri doctrina infatuati, monasteria deseruerunt et ad matrimonia convolarunt. En pseudo-reformationis primordia.

Ad sectae propagationem plurimum contulit germanica Bibliorum versio, quam Lutherus confecit. Tunc quippe omnis generis laici, opifices, mulieres etiam Biblia assidue legebant, palam cum catholicis, sacerdotibus etiam et doctoribus, de rebus religiosis disputabant, doctrinasque Lutheri in Bibliorum versione iisdem ab auctore plane accommodata, facile inveniebant. Ad promovendam rem lutheranam inter eruditiores maxime contulit opus dogmaticum, an. 1521 a Philippo Melanchthone editum. Is insigni ingenio praeditus, litterarum graecarum in Vniversitate Wirtembergensi professor, Lutheri sectator et adiutor, compendium doctrinae lutheranae scripsit sub titulo: *Loci communes rerum theologicarum*; quod opus postea auctum, quaquaversum propagatum et brevi tempore saepius typis editum fuit.

5. *Hadrianus VI, Pontifex* (*an.* 1522)— Leone Pp. X, calendis decembris 1521, defuncto, V idus ianuarii 1522 ad summum pontificatum evectus fuit Hadrianus VI, Batavus. Is humili Vltraiecti loco natus, studiorum curriculo in Vniversitate Lovaniensi confecto, Theologiae lauream et magisterium in ea consecutus est. Deinde eiusdem Vniversitatis cancellarius et Caroli Austriaci, postea imperatoris V, praeceptor, a Ferdinando Hispaniae rege, apud quem legatione functus erat, episcopus Dertusensis, a Leone X cardinalis creatus fuit. Pontifex factus reformandae disciplinae et corrigendis abusibus, conterendae in Germania lutheranae haeresi, conciliandae inter principes christianos concordiae et repellendis Turcarum invasionibus animum applicuit. Sed in his omnibus multiplices obices expertus est. In conferendis ecclesiasticis dignitatibus cautus ac religiosus fuit, dicere solitus: ecclesias sacerdotibus, non sacerdotes ecclesiis ornare se velle. A ditandis consanguineis maxime extitit alienus. Ius legendi ac nominandi episcopos, a decessore suo regibus Galliae collatum, ad Hispaniae reges extendit. Lovanii magnificis sumptibus collegium extruxit, quod etiamnum collegium Papae vocatur. Ad propagandum inter novi orbis, Americae, incolas Evangelium, sacerdotes ex Ordine s. Francisci ad eos destinavit. Hadriani VI tempore (an. 1522) a Suleimanno capta est Rhodus insula, quam equites s. Ioannis Hierosolymitani una cum Christianis, anno 1291 a Palaestina eiecti, Turcis eripuerant anno 1310. Verum anno 1530 Carolus V, equitibus Hierosolymitanis, Rhodo a Suleimanno pulsis, Melitam insulam concessit, a qua equites *Melitenses* nunc appellantur. Obiit Hadrianus VI postridie idus septembris 1523, cum sedisset 1 anno et 8 mensibus [1].

6. *Clemens VII, Pontifex* (*an.* 1523) — Post Hadriani obitum propter comitiorum dis-

---

[1]) Cochlaeus, *Comment. de actis et scriptis Lutheri;* Pallavicini, *Hist. concil. Trident.* l. I; Audin, *Hist. de la vie, des écrits et des doctrines de Luther*, t. I, c. 12-19.

[2]) Raynald. ad an. 1521.

[1]) P. Burmann, *Hadrianus VI*, Vltraiect. 1727, in-4°.— Extant Hadriani VI *Commentarius in LL. IV Sententiarum*, Paris. 1521 in fol., et *Quaestiones quodlibeticae*, 1531 in-4°. In priori opere, *Q. de confirmatione*, c. 9, dicit auctor, Papas plures in Fidei negotio errasse. Sed Hadrianus ea scripsit cum esset doctor Lovaniensis, et ex contextu colligitur, eum ibidem loqui de RR. Pontificibus tanquam doctoribus privatis. Opus illud quidem, loco eo non correcto, Romae editum fuit, sed inscio Pontifice, ut testatur editionis curator in Praefatione ad Ioannem Ruffinum.—Cf Bellarminum, *De Romano Pontifice*, l. IV, c. 2; Melchior. Canum, l. VI, c. 1; Lud. Vinc. Gotti, t. I *Ver. Eccles.*, c. 2, § 1, n. 6.

sidia Apostolica Sedes vacavit usque ad III^{m} calendas decembris, qua die summo cardinalium consensu electus fuit Iulius Mediceus, patruelis Leonis X, cardinalis presbyter et R. E. vicecancellarius, qui sub Clementis VII nomine Ecclesiam administravit usque ad an. 1534. Pontificis huius gesta suis locis referemus.

7. *Comitia Norimbergae* — Interea lutheranae novitates in Germania in dies magis propagabantur. Adrianus Pp. VI ad comitia, Carolo V agente in Hispania, an. 1522 Norimbergae celebrata, legavit Cheregatum episcopum Aprutinum: ei litteras dedit, quibus imperii Ordines monebat, ut Lutherum eiusque sectatores secundum edictum Wormatiense reprimerent; in alia, quam legatus ferebat, instructione spondebat, se ad reformandam Romanam Curiam, ad concordata accurate servanda et in Germania beneficia non nisi dignis e natione Germanica conferenda esse paratum, rogabatque, ut ipsi Ordines medium reprimendi haeresim indicarent. Verum imperii Ordines, inter quos non pauci novitatibus Lutheri favebant, ista Pontificis instructione, quam legatus minus prudenter publicaverat, abusi responderunt: Wormatiensis edicti executioni obstare seditionem populi; medium vero restituendi concordiam esse concilium liberum in aliqua Germaniae urbe intra annum convocandum; interea purum Evangelium praedicaretur. Lutherani centum gravamina adversus Apostolicam Sedem, totumque ordinem ecclesiasticum conscripserunt, et Romam levanda miserunt. Haec ordinum imperii agendi ratio Adrianum Pp. magno dolore affecit, haereticorum vero audaciam auxit.

Anno 1524 Clemens Pp. VII ad comitia, rursum Norimbergae congregata, legavit cardinalem Campegium; qui docta et eleganti oratione principes Germanos ad urgendum decretum Wormatiense, ad. reprimendam haeresim et defendendam catholicam fidem hortatus est; plurium gravaminum, quae ad Apostolicam Sedem delata fuerant, iniustitiam ostendit; illam tamen correcturam promisit, quod prudentia emendandum suaserit. At comitia fere idem ac supra responderunt. Verumtamen principes catholici videntes, haereticos non tantum in Saxonia, sed etiam in regionibus vicinis numero augeri eodem anno convenerunt Ratisbonam. Aderant Ferdinandus archidux Austriae et frater imperatoris, duces Bavariae, archiepiscopi et episcopi Salisburgensis, Tridentinus, Bambergensis, Spirensis, Argentinensis, Constantiensis, Basileensis, Frisingensis. Ii communi consilio decreverunt, ut decretum Wormatiense observaretur, nihil in administratione Sacramentorum aut caeremoniis sacris innovaretur, in monachos apostatas et sacerdotes matrimonium contrahentes, secundum canonum rigorem animadverteretur [1].

8. *Zwinglius Sacramentar.*—Eodem tempore Vlricus Zwinglius catholicam doctrinam oppugnabat et religiosas novitates spargebat in Helvetia. Is an. 1484 in eadem terra natus, varios iam conceptus heterodoxos hauserat a Thoma Wittenbach, theologiae professore in Vniversitate Basileensi. Anno 1516 Eremi in civitate Suitiensi parochus, principium heterodoxum nil admittendi quod ex Scriptura sacra probari non possit, eique consentaneas opiniones admisit. Lutheri scripta avide suscepit, et etiam an. 1518 contra Bern. Samsonem ex Ordine s. Francisci, qui Indulgentias pontificias commendabat, declamavit. Eodem anno Tiguri ecclesiae collegiatae parochus constitutus et postea in ipsum Capitulum adscriptus, animos ad innovanda sacra ita excitavit, ut magistratus, multi e clero et laici plurimi catholicos ritus desererent. An. 1523 ex auctoritate magistratus in publica disputatione 67 conclusiones seu theses defendit contra sacrificium missae et presentiam realem, contra legem coelibatus et votum castitatis, contra confessionem et satisfactionem sacramentalem, contra purgatorium, contra potestatem Pontificis, episcoporum et aliorum clericorum, aliaque. Quorum effectus fuit, ut magistratus Tigurinus Eucharistiae adorationem, expositionem, circumgestationem, et missae celebrationem interdixerit et proinde altaria, imagines atque reliquiae ex ecclesiis eiecta fuerint. Anno 1524 Zwinglius uxorem duxit, lutheranam Bibliorum versionem, hinc inde mutatam, typis vulgandam curavit, et commentarium de vera et falsa religione seu compendium religionis a se conflatae edidit. Multa dogmata cum Luthero habuit communia, in nonnullis tamen praesertim circa Eucharistiam, quam meram figuram Corporis et Sanguinis Christi eiusque mortis memoriale esse contendebat, ab illo dissensit. An. 1528 pagi Bernensis et Constantiensis e decreto laici magistratus,

---

[1]) Cochlaeus, loc. cit.; Audin, *Op. cit.* t. II, c. 5-6.

reiectis catholicis ritibus, ad Tigurinos haereticos accesserunt. Eos paulo post secuti sunt Basileenses et Schafhusiani. Inde divisio et brevi post religiosum bellum inter apostatas et catholicos Helvetiarum pagos.

Zwinglio Sacramentariorum antesignano, se iunxerunt Carlostadius et OEcolampadius. Prior archidiaconus Wirtembergensis ab initio, ut vidimus, Luthero adhaesit et ex apostatis sacerdotibus primus uxorem duxit. Paulo post propter suam cum Luthero de Eucharistia dissensionem, odiumque in Imagines ab eo Wirtemberga eiectus, transiit in Helvetiam, seque cum Zwinglio coniunxit. OEcolampadius antea presbyter Ordinis s. Birgittae apud Augustam Vindelicorum, deinde monasterium et catholicam fidem deseruit, Zwinglium secutus est, uxorem duxit, haeresimque tum scripto tum sermone in Helvetia plurimum propagavit [1].

9. *Muncerus Anabaptista* — Praeterea Thomas Muncerus, Misniensis e sacerdote catholico discipulus Lutheri, postea cum pseudo-magistro suo simultatem habuit, eiusque partibus desertis, novam sectam nimirum Anabaptistarum instituit. Is quippe e Lutheri principio, hominem iustificari per fidem, concludebat, baptismum infantibus, utpote fidei incapacibus, non prodesse, et proinde baptizatos in infantia esse rebaptizandos. An. 1522 cum Storkio et Pfeiffero Ordinis Praemonstratensis apostata sectam suam constituit Mulhusiae in Thuringia; omnes ad se transeuntes rebaptizabat; imagines aliaque religionis catholicae signa odio fanatico persequebatur; in Lutherum non minus quam in R. Pontificem invehebat; summam ab omni potestate libertatem, bonorumque communionem praedicabat. Turbulentis his concionibus ingentem plebeiorum et facinorosorum multitudinem ad capessenda arma excitavit. Verum lantgravius Hassiae aliique principes collectis copiis seditiosos adorti, eos partim occiderunt, partim dissiparunt, ipso Muncero an. 1525 capto et decollato [2]. Post annos paucos haeretici resumptis viribus rursum, praesertim in Westphalia, exitiale bellum instaurarunt, ut videbimus.

10. *Bellum rusticorum* — Quod Adrianus Pp. et alii catholici praedixerant, novatorum nempe contra praepositos ecclesiasticos rebellionem ad civiles progressuram, et Ecclesia eversa, civitatem esse evertendam, modo inchoari visum fuit in bello rusticorum. Quum Lutherus libertatem a statutis humanis, a tyrannide, ut dicebat, Pontificis et universi cleri praedicaret; magna cum vehementia in omnes sibi adversantes inveheretur, Pontificem, clerum et principes conviciis proscinderet, rebellionem in opprimentes populo licere doceret; rustici in Germania dictis et factis novatoris excitati, arma contra dominos suos sive clericos, sive laicos converterunt. Hoc rusticorum bellum an. 1524 primum in Suevia exarsit, et brevi tempore per alias Germaniae terras praecipue ad Rhenum et Moenum propagatum fuit, idque eo furore, ut ultra 300 monasteria arcesque nobilium destructa ferantur. Principibus arma coniungentibus, rusticorum bello anno 1525 finis constitutus fuit [1].

11. *Lutherani in Saxonia* — Interim lutherana secta in Saxonia aliisque regionibus maiores progressiones fecit. Fridericus elector Saxonicus, quamvis Lutheri coeptis favisset, tamen catholicam religionem in terris suis non abrogavit. Is obiit an. 1525. Eius frater et successor Ioannes, abiecta doctrina catholica, lutheranam publice professus est, et consilio Lutheri, qui conculcatis monasticis votis et abitu abiecto, eodem anno uxorem duxit, in omni territorio suo monasteria adhuc residua, aliasque catholicae religionis reliquias tolli iussit; in locum missae catholicae novum divini cultus ordinem, a Luthero compositum, praescripsit; catholicos praedicatores ex omnibus ecclesiis eiecit; instructiones dogmaticas et disciplinas, a Melanchthone conscriptas, binumque Lutheri catechismum, maiorem ad instructionem pastorum et cultiorum in populo et minorem ad usum rudium et parvulorum, omnibus imperavit. Ita res ecclesiastica secundum mentem Lutheri in terris electoris Saxonici ordinata est, eademque norma in aliis terris, ubi Lutheranismus obtinuit, suscepta fuit.

Borussia — Ex his fuit Borussia seu Prussia orientalis, quam ad Lutheri placita deduxit Albertus Brandeburgicus. Borussia obediebat Ordini equitum Teutonicorum; horum supremus magister erat Albertus, e familia marchionum Brandeburgicorum in Franconia oriundus. Is an. 1521 A. Osiandri ipsiusque

---

[1]) Audin, loc. cit. c. 23; Bousset, *Histoire des variations des èglises protestantes*, l. II-III.

[2]) Meshovius, *Historia Anabaptistarum*, l. I; F. Catrou, *Histoire du fanatisme dans la religion protestante.*

[1]) Audin, loc. cit. c. 9.

Lutheri sermonibus excitatus, ut religione catholica et ordine desertis, novam religionem assumeret, nuptias iniret et Borussiam tanquam ducatum saecularem sibi vindicaret, pravis consiliis cessit. An. 1523 concionatores lutheranos in Borussiam vocavit, Dorotheam Holsatiensem uxorem duxit, inito an. 1525 cum Sigismundo rege Poloniae foedere, se ducem Borussiae constituit, multos equites in partes suas adduxit, alios ducatu exire iussit, abrogata liturgia catholica ubique lutheranam praescripsit. Ex quo tempore Lutheranismus in Borussia firmatus est.

Suecia—In Suecia primo religionem novam intulerunt duo fratres Sueci, Olaus et Laurentius Petri; qui in Vniversitate Wirtembergensi Lutheri placita magno studio didicerant, et an. 1519 in patriam reversi, summo ardore propagarunt. Gustavus Wasa an. 1523 rex Sueciae electus, lutheranis novitatibus iam imbutus, bonisque ecclesiarum, monasteriorum et cleri, quae ei novatores adiudicabant, occupandis inhians, propagando in terris suis Lutheranismo impense favit, scripta Lutheranorum edenda curavit, apostatas praesertim clericos et monachos favoribus auxit, resistentes sibi variis modis vexavit. An. 1527 regni ordinibus in partes suas pertractis, supremam in rebus ecclesiasticis potestatem, sicut possessiones et proventus ecclesiarum ac monasteriorum sibi vindicavit. Ex hoc tempore lutheranae religionis professio in Suecia lege publica firmata est, monasteria abolita, liturgia catholica abrogata, et demum an. 1544 in comitiis Westeresiensibus cuiusque catholicae religionis vestigii decreta extinctio.

Dania — In Dania quoque nova religio potissimum ope regum propagata fuit. Christianus seu Christiernus rex II ei aperte patrocinabatur, eiusque doctores e Germania advocavit. Ii una cum aliquot indigenis, qui in Vniversitate Wirtembergensi Lutheri doctrinas susceperant, eas Danorum animis instillare conati sunt. An. 1523 Christiano propter saevitiam suam eiecto, rex Daniae electus fuit Fridericus I dux Holsatiae. Hic pariter novae religioni addictus erat. Quapropter pseudo-doctores illam magis magisque propagarunt; episcopis incassum renitentibus. An. 1527 rex habitis Ottiniae comitiis inter alia decernendum curavit, ut Lutheranis plena religionis libertas, idemque praesidium et ius competeret ac catholicis, clericis et monachis matrimonia inire liceret, episcopi a canonicis electi, a solo rege, non vero a R. Pontifice confirmarentur, bona ecclesiis ac monasteriis lege publica adimerentur. Quibus decretis quam profecerit nova religio, sat colligitur. Hinc Lutherani facti audaciores, contra catholicos insurgere, ecclesias diripere, sacras imagines destruere, monachos e coenobiis pellere, omnisque generis violentiis novum evangelium ubique firmare coeperunt. Sub Christiano III, qui patri suo Friderico in regno Daniae an. 1533 successit, omnes episcopi, parochi et monachi, novum evangelium, suscipere nolentes, depositi et eiecti sunt, bonis eorum in regis commodum occupatis.

Norwegia — Anno 1536 etiam Norwegiae pars meridionalis cum Christiani III dominio novam religionem admisit. In parte septentrionali Olaus, archiepiscopus Dronthemiensis, novatorum studiis aliquandiu restitit, sed an. 1537, missis illuc a Christiano rege copiis, e Norwegia fugit. Tunc etiam huic Norwegiae parti novi evangelii professio praescripta fuit.

Germania — In Germania an. 1526 Philippus lantgravius Hassiae, princeps ambitiosus et augendarum opum cupidus, deserta catholica Religione, lutheranam publice professus est, totisque viribus hanc defendendam suscepit, et ad eumdem finem foedera cum aliis principibus componere studuit. Eiusmodi foedus iam an. 1526 iniit cum Ioanne electore Saxoniae, cui paulo post 4 duces Brunsvicenses, dux Megalopolitanus, princeps Anhaltinus, duo comites Mansfeldenses, et civitas Magdeburgensis accesserunt. Hoc foedus evangelicum postea auctum videbimus. Interea Philippus Hassiae omnibus suis subditis novam religionem violenter obtrusit, bona ecclesiastica, ut passim inter novatores factum est, sibi vindicavit, copiasque contra catholicos collegit. An. 1539 dignum pseudo-reformatione spectaculum praebuit, dum e Lutheri, Melanchthonis et aliorum novi evangelii doctorum auctoritate uxorem duxit, adhuc vivente Christina Saxonica legitima coniuge [1].

12. *Causae propagationis Lutheranismi*— Non mirum est, novam religionem brevi tempore fuisse tantopere propagatam; ad id quippe plurimum contulerunt temporum circumstantiae, quas supra in prooemio indicavi-

---

[1] Raynald. *Annal. eccl.*; Bazius, *Hist. eccl. Suecorum*; Audin, *Hist. de la vie etc. de Luther*, t. II, c. 11-14, 30.

mus; praesertim collapsa in multis provinciis cleri populique disciplina, novae religionis natura, quae cupiditatibus humanis adulabatur, et libertatem ab iis, quae in religione catholica homini videntur duriora, spondebat; media propagationis, nimirum convicia et violentiae principum, ecclesiasticis bonis occupandis inhiantium, favor, protectio, arma. Eaedem causae postea promoverunt calvinianae religionis progressiones, ut dicemus. Etiam propagationi novitatum religiosarum in Germania non parum faverunt Caroli imperatoris V a Germania absentia, eiusque cum Francisco I rege Galliae bellum et cum ipso Pp. Clemente VII dissidia.

13. *Caroli V et Francisci I bellum*—Etenim post mortem Maximiliani an. 1519 imperium concupiverunt Carolus V, rex Hispaniae atque Neapolis, et Franciscus I, rex Galliae. Prior, IV calendas iulias 1519, Francofurti electus fuit, et III idus octobris an. sequenti Aquisgrani coronatus. Inde an. 1521 bellum inter Carolum V et Franciscum I ortum est et annis pluribus in Hispania, Gallia et Italia continuatum. An. 1525 Franciscus I in pugna apud Ticinum captus et Matritum in Hispania abductus, anno sequenti conditionibus, Carolo admodum proficuis, libertatem recepit. Clemens Pp. VII ex imperatoris victoriis et progressionibus Italiae libertati metuens, Franciscum I ab observatione pacis, cum Carolo initae, tanquam iniustae et vi extortae, absolvit, et cum eodem atque Henrico VIII rege Angliae, Francisco Sfortia duce Mediolanensi et Venetis foedus adversus Carolum pepigit. Quum id audivisset Carolus Borbonius, Caesarearum copiarum in Italia dux, illas adversus Pontificem an. 1527 Romam perduxit, eamque, spreta induciarum fide, obsedit; dumque impetum faciens cum exercitu primus conscendit muros, globulo plumbeo in femur ad inguina ictus et occisus est. Philibertus princeps Arausicanus, in eius locum copiarum imperio suscepto, Vrbem cepit, eam militibus magna ex parte lutheranis diripiendam reliquit, et Pontificem in arce s. Angeli obsessum ad deditionem durissimis conditionibus compulit. Post septem menses Clemens sibi metuens ab astu Hispanorum, mentita veste, simulatoque mercatoris habitu, arce egressus confugit Vrbevetum. Carolus V ubi ea in Hispania accepit, direptionem Romae et Pontificis captivitatem doluit, vestes lugubres induit, preces publicas postulavit, pacemque cum Pontifice tractare coepit. Pax inter utrumque an. 1529 Bononiae composita est, et anno sequenti Clemens VII Carolum V sollemni ritu imperatorem coronavit. Eodem anno Cameraci concordia redintegrata fuit inter Carolum et Franciscum I [1].

14. *Comitia Spirensia* (*an.* 1529) — Interim religiosa dissidia in universa Germania magis magisque augebantur; praeterea Turcae magnam Pannoniae partem invaserant; quapropter Carolus V an. 1529 imperii ordines Spiram convenire iussit. In his comitiis decretum est, ut Wormatiense decretum in locis, in quibus receptum fuerat, observaretur et religio vetus sola exerceretur; ubi vero religio nova obtinebat, eiusque exercitium sine publica rerum perturbatione prohiberi non poterat, res ita persisteret usque ad futurum concilium generale; missa ubique libere celebraretur; Evangelium exponeretur secundum Patrum Ecclesiae doctrinam; Sacramentarii et Anabaptistae nusquam tolerarentur; imperii Ordines pacem mutuam custodirent.

Verum contra hoc decretum protestati sunt et ad imperatorem et futurum concilium generale provocarunt Ioannes elector Saxoniae, Philippus lantgravius Hassiae, Ernestus dux Luneburgensis, Georgius marchio Brandeburgicus in Franconia, Wolfangus princeps Anhaltinus et 14 civitates liberae, inter quas maiores erant Argentina, Vlma, Constantia et Norimberga. Ab hac protestatione illi nomen Protestantium acceperunt, quo postea omnes Lutherani, deinde etiam Zwingliani et alii compellari consueverunt [2].

15. *Colloquium Marpurgi* — Imperator commemoratam protestationem et appellationem cum indignatione minisque reiecit. Quapropter lantgravius Hassiae et alii ad commune foedus inter Lutheranos et Sacramentarios contra imperatorem sanciendum eodem an. 1529 Marpurgi inter primarios utriusque partis theologos colloquium indixerunt. Adfuerunt e parte Sacramentariorum Zwinglius, OEcolampadius, Bucerus et Hedio; ex altera parte Lutherus, Melanchthon, Iustus Ionas, Osiander, Brentius et Agricola. Ad conciliandam concordiam utraque pars doctrinam suam emolliit; sed ubi ad quaestionem de Eucharistia seu s. Coena ventum est, omnis

[1] Raynald. et Spondan. ad an. 1527-30; Pallavicino, *Ist. del Concil. di Trento*, l. II, c. 13-14; Ferreras, *Histoire générale de l'Espagne*.
[2] Raynald. ad an. 1529.

concordiae spes corruit, neque tum, neque postea unitas inter eos coalescere potuit. Hoc dissidium solum ostendit, utrum verum sit, quod illi tantopere efferunt de perspicuitate s. Scripturae. Hinc facile colligitur, an Fidei controversiae possint definiri absque legitimo iudice a Iesu Christo instituto [1].

16. *Comitia et confessio Augustana* (*an.* 1530) — Carolus V concordia cum Pontifice et cum Francorum rege composita, iter in Germaniam suscepit. An. 1530 imperii comitia coram se Augustae Vindelicorum celebranda indixit propter imminens a Turcis periculum et propter dissidia in religionis negotio. Principes lutherani a theologis suis fidei articulos seu confessiones, quos in comitiis professuri essent, conficiendos curarunt. Ex his confessionibus Melanchthon confecit librum, qui *Confessio Augustana* dictus est, et postea inter libros dictos symbolicos susceptus. Complectebatur is 28 articulos, quorum 21 prioribus doctrinae lutheranae a catholicis diversae exponebantur, in 7 posterioribus de abusibus religiosis agebatur. Quum haec confessio in comitiis lecta fuisset, theologi catholici, ibidem praesentes, illius confutationem scripserunt, qua ad singulos articulos eodem ordine responderunt. Imperator novatorum confessionem acceptare noluit, consensit tamen, ut selecti ex utraque parte theologi et iurisconsulti de unione religiosa tractarent. Variae sed frustra unionis viae propositae fuerunt. Demum Carolus V, iam a nonnullis catholicis nimiae moderationis erga contumaces haereticos accusatus, edictum promulgavit, ut avita et catholica religio sola in tota imperii latitudine exerceretur, quae fuerant circa eam innovata, in priscum ordinem restituerentur, et eorum quae corrigenda erant, reformatio differretur usque ad generale concilium, quod intra annum a R. Pontifice convocaretur.

17. *Foedus Schmalcaldense* — Hoc decretum ordines lutheranos ad pangendum inter se foedus excitavit. An. 1531 elector Saxonicus, dux Luneburgensis, Philippus Hassus, Wolfangus Anhaltinus, duo comites Mansfeldenses, pluresque civitates Schmalcaldam convenerunt, et pro religionis suae defensione foedus inierunt in 6 annos, his elapsis in 10 alios prorogatum. Eidem foederi progressu temporis plures alii Ordines accesserunt.

Carolus V pro temporis circumstantiis, maxime quod ingentes Turcarum copiae Hungariae vicinisque terris Austriacis imminerent, tantisper cedendum ratus an. 1532 Norimbergae cum ordinibus lutheranis pacem composuit ea lege, ut edicta Wormatiense et Augustanum suspenderentur, et nova religio toleraretur, donec in proximo generali concilio vel in comitiis causa religiosa definiretur; illi autem mox imperatori auxilia contra Turcas ferrent [1]. Hac habita concessione, quae ab urbe, ubi facta est, pax religiosa Norimbergensis dicta fuit, Lutheranae factiones creverunt, atque unionem quam studiosissime curarunt.

18. *Anabaptistarum turbae* — Anabaptistarum secta, quam principum armis supra repressam vidimus [2], in variis regionibus, praesertim in Germania, Hollandia et Belgio, vires suas resumpsit, tumultus concitavit, suorumque adversariorum exterminium praedicavit. An. 1534 Monasterii in Westphalia duo fanatici anabaptistae Batavi, I. Bockhold sartor Leydensis, et I. Mathiesen pistor Harlemiensis, tantam seditionem excitarunt, ut omnes, qui rebaptizari nollent, urbe fuerint eiecti, ecclesiae depraedatae; novumque regnum, quod divinum appellabant, in urbe institutum. Sed an. 1536 episcopus princeps Monasteriensis urbem recepit, seditionis auctores suppliciis affecit, totam turbam vesanam dissipavit.

Nihilominus secta extincta non est. Eam instauravit Menno Frisius, a quo haeretici Mennonitae appellari consueverunt. Is a Fide et Ordine presbyteratus apostata, inter pericula multa per Belgium, Hollandiam atque Germaniam anabaptistas instaurare, ab opinionibus fanaticis atque seditiosis avocare et ad meliorem normam reducere studuit [3].

19. *Schisma Anglicanorum* — Hoc ipso tempore Henricus VIII rex Angliae, antea propter assertionem septem sacramentorum contra Lutherum a Leone Pp. X titulo Defensoris Fidei honoratus, ecclesias regni sui a R. Pontificis obedientia et totius Ecclesiae communione divellit. Schismati causam dedit regis voluptas. Henricus e dispensatione Iulii Pp. II an. 1509 uxorem duxerat Catharinam Aragoniam, Arthuri fratris sui viduam, ea hactenus 18 prope annis ut coniuge usus fuerat, filiamque nomine Mariam ex ea ge-

[1]) Raynald. ad an. 1529; Audin, *loc. cit.* c. 23.

[1]) Cochlaeus, *Comment. de actis Lutheri*; Pallavicini, loc. cit. l. III; Chytraeus, *Hist. Confess. August.*; Audin, *loc. cit.* c. 21. — [2]) P. 136.

[3]) Meshovius, *Hist. Anabaptist.* l. VI-VII; H. Ott, *Annales Anabaptist.*

nuerat: at indomito in Annam Bolenam amore excitatus, an. 1527 matrimonium suum cum Catharina illegitimum contendit, et tale a R. Pontifice declarandum postulavit. Clemens Pp. VII rem discutiendam commisit theologis, qui responderunt, impedimentum, quod rex obiiciebat, e dispensatione Iulii II fuisse sublatum, et proinde illius cum Catharina matrimonium esse legitimum. Verumtamen Pontifex ne ex una parte Henricum regem, et ex altera Carolum V, qui pro Catharina, sua matertera, contra dissolutionem eius matrimonii graviter reclamarat, offenderet, sententiam distulit. At Henricum ad perficienda prava consilia stimularunt praesertim Thomas Wolsaeus, Thomas Cromwell et Thomas Crammer. Wolsaeus ex infima classe ingenio suo et industria eo pervenerat, ut cardinalis archiepiscopus Eboracensis et regni administer esset creatus, sed post paucos annos pravi sui consilii fructum tulit, an. 1530 extinctus. Cromwell, homo vafer et clam lutheranus, Annae Bolenae favore primas regni dignitates consecutus est. Crammer, theologus Cantabrigiensis, sed clam lutherana haeresi infectus et matrimonio iunctus, simulatione et perfidia nulli secundus, an. 1530 matrimonium regis cum Catharina nullum esse scripto propugnavit. Henricus VIII, morae impatiens, an. 1532 Catharinam relegavit, et occultum matrimonium cum Anna Bolena contraxit. Anno sequenti praedictus Crammer, ad archiepiscopatum Cantuariensem evectus, regis matrimonium cum Catharina nullum, illudque quod ante 5 menses clam inierat cum Anna, validum pronuntiavit. Re Romam perlata, Clemens VII sententiam Crammeri nullam declaravit, regemque sub poena excommunicationis Catharinam recipere et Annam dimittere iussit.

At vesanus rex neutrum praestitit: imo omnem cum R. Pontifice communionem abrupit, regnumque in tetrum schisma coniecit. Matrimonium suum cum Anna Bolena tanquam legitimum et Elisabetham ex ea genitam ceu veram regni haeredem ab omnibus haberi voluit; Mariam vero, e Catharina procreatam, veluti spuriam ad matrem relegavit; omnem R. Pontificis iurisdictionem in Anglos et Hibernos abrogavit, eius nomen ubique deleri iussit, cunctamque cum eo communionem severe interdixit. His violentiis et schismaticis regis decretis senatus et maxima ex parte clerus ac populus, aut blanditiis aut metu aut aliis artibus victi cesserunt; Henricum VIII supremum ecclesiae Anglicanae caput dixerunt; eique et successoribus ius haereses et abusus ecclesiasticos cognoscendi et tollendi, *annatas* et decimas ecclesiasticas percipiendi, novos episcopatus erigendi et alia ecclesiasticum regimen spectantia peragendi adiudicarunt. Henricus summum Anglicanae ecclesiae caput constitutus, an. 1535 Thomam Cromwell, virum laicum, suum vicarium generalem in rebus ecclesiasticis constituit. Huius viri et senatus consilio rex monasteria, primo minora deinde caetera, numero 640, praeterea 110 hospitalia et 2344 sacella sustulit, eorumque bona partim fisco, partim aulicis, et sibi deditis adiudicavit.

Quotquot iniquis et schismaticis Henrici decretis assentiri, eique ceu Ecclesiae capiti iusiurandum praestare recusabant, poena capitis damnabantur. Eorum, qui in hac persecutione suppliciis affecti fuerunt, praecipui sunt Ioannes Fischer episcopus Roffensis et Thomas Morus regni cancellarius, viri eruditione ac morum integritate conspicui. Tantus fuit regis furor, ut ipsum s. Thomam, saec. XII archiepiscopum Cantuariensem, ab Anglis devotissime cultum, ceu perduellionis reum in ius vocarit, e Ssrum albo eiecerit, eiusque ossa concremari et cineres dispergi iusserit.

Paulus Pp. III, Clementis VII successor, an. 1538 sententiam, quam iam ante 3 annos Henrico VIII minatus fuerat, sollemniter promulgavit: regem tanquam haereticum, moechum, innocentium interfectorem et pontificiae maiestatis reum, excommunicatum, regnum sacris interdictum et subditos a fidei officio solutos declaravit. Rex vero magis in catholicos saeviit. Nonnunquam etiam animadvertit in Lutheranos, qui favente Crammero in occulto serpebant, et contra eorum doctrinam an. 1539 sub poena capitis omnibus credendos definivit hos 6 articulos: In ss. Eucharistia panem et vinum substantialiter converti in Corpus et Sanguinem Christi; communionem sub una specie ad salutem sufficere; coelibatum clericorum retinendum; votum castitatis observandum; missae sacrificium pro vivis et defunctis offerendum; confessionem peccatorum coram sacerdote faciendam. Vnde si schisma et ea quae supra retulimus, excipias, exterior religionis forma sub Henrico VIII, qui usque ad an. 1547 regnavit, in Anglia vix immutata fuit [1].

[1]) Sander. *De origine et progressu schismatis Anglicani.*

Alia praeterea spectacula, schismaticae Ecclesiae capite digna, praebuit Henricus: an. 1536, paucis post Catharinae Aragoniae obitum diebus, Anna Bolena propter adulteria et incestum damnata et securi percussa, uxorem duxit Ioannam Seymouram, quam Anna adhuc vivente deperibat. Ioanna in partu, quo natus est Eduardus, defuncta, rex quartas nuptias iniit cum Anna Cliviensi; hanc autem post 6 menses repudiavit, et Thomam Cromwell, earum nuptiarum conciliatorem, ceu haereseos et aliorum criminum reum capite truncari iussit. Tunc rex quintum coniugium contraxit cum Catharina Howard. Haec cum an. 1542 propter infamia commercia fuisset capite plexa, Henricus sextas nuptias celebravit cum Catharina Parra, quae cum lutheranae doctrinae esset addicta, parum abfuit, quin eadem ac praecedentes sorte uteretur.

20. *Paulus III, Pontifex* (*an.* 1534) — Interea Clemens Pp. VII, VI° calendas octobris 1534, obiit. Prima die comitiorum, III° idus eiusdem mensis, concordibus suffragiis electus fuit Alexander Farnesius, cardinalis episcopus Ostiensis, qui Pauli III nomen assumpsit, et Ecclesiam gubernavit usque ad an. 1549. Is, ut diximus, sententiam in Henricum VIII regem Angliae tulit. Praecipuas curas adhibuit in concilianda pace inter principes christianos, praesertim inter Carolum V imperatorem et Franciscum I regem Galliae, in extirpanda haeresi et instauranda disciplina. Concilium generale indixit et post multa obstacula demum Tridenti inchoavit, ut videbimus. Constitutione *Licet ab initio* s. Inquisitionis Congregationem e 6 cardinalibus instituit, ad quam de Fidei negotiis ex omni orbe catholico referretur [1]. Alium 4 cardinalium et 5 peritissimorum virorum coetum instituit, qui quae corrigenda et constituenda forent pro disciplinae reformatione, inquirerent et ad Pontificem referrent. Alia huius Pontificis gesta suis locis narrabimus.

21. *Societates Clericorum Regularium* — Eodem vero tempore, quo haeretici specie reformationis Fidem corrumpebant, sanctissima Ecclesiae instituta abrogabant et populos ad noxiam libertatem atque licentiam conducebant; alii religionis et salutis animarum studiosi, pias instituerunt clericorum societates, qui non tantum propriae perfectioni, sed etiam aliorum morali emendationi et saluti operam navarent. Prima ex his clericorum societatibus originem suam debuit s. Caietano Thienaeo, nobili Vicentino et erudito presbytero; qui postquam cum I. P. Carafa episcopo Theatino, postea Romano Pontifice sub Pauli IV nomine, de instauranda in clero pietate et emendandis moribus contulisset, hic dimisso episcopatu, cum 2 aliis viris se Caietano adiunxit ad erigendam Clericorum societatem, cuius finis esset, sub trium votorum monasticorum et strictissimae paupertatis nuncupatione saluti animarum et provectioni pietatis christianae adlaborare, praesertim divini verbi praedicatione, Sacramentorum administratione, infirmorum consolatione, haeresum impugnatione. An. 1524 Clemens Pp. VII hanc societatem sub Clericorum regularium nomine approbavit. Primus societatis rector fuit Carafa, antea episcopus Theatinus, unde Theatinorum nomen societati adhaesit [1].

Similem societatem an. 1530 Mediolani instituerunt 3 sacerdotes saeculares, Antonius Morigia, Bartholomaeus Ferrarius et Zacharias Cremonensis. Eius etiam scopus fuit, ut socii, votis monasticis et vitae pauperi humilique adstricti, curae animarum, divino verbo praedicando, confessionibus excipiendis, iuventuti instituendae, seminariis regendis operam darent. Hanc societatem Clemens VII an. 1532 approbavit. Eius alumni nominati sunt Clerici regulares s. Pauli, scilicet apostoli, quem sibi patronum et exemplar elegerunt, postea vulgo dicti sunt Barnabitae ab ecclesia s. Barnabae, quae eis Mediolani tradita fuit [2].

Hae societates non tantum intra, sed etiam extra Italiam propagatae sunt. Similis illis fuit congregatio, quam fundavit s. Hieronymus Æmilianus, qui senatorio Venetorum genere ortus, primo militiam secutus, deinde se totum instituendis ad pietatem et litteras orphanis, erudiendis in religione pauperibus, et reducendis ad poenitentiam peccatoribus mancipavit. Postea in eumdem finem, adlectis sibi pluribus piis laicis et sacerdotibus, societatem instituit Somaschae in agro Bergomensi, unde socii Somaschensium nomen acceperunt. Eam societatem an. 1537 approbavit Paulus III; et Pius V, praescripta ei regula s. Augustini, sub nomine Clericorum regularium s. Maioli, cui eorum ecclesia Ticini erat consecrata, inter Ordines religiosos retulit [3].

---

[1]) *Bullar. Roman.* t. IV, part. I.

[1]) Helyot, *Histoire des Ordr. relig.* t. VII, p. 7.
[2]) Ibid. t. IV, p. 110. — [3]) Ibid. p. 223.

22. *Societas Iesu* — Praedictas clericorum societates tum propagatione tum rerum effectarum magnitudine longe superavit societas illa, quae a nomine Iesu appellata est. Eius auctor fuit s. Ignatius de Loyola, nobilis Hispanus. Is primum militiam secutus, quum e vulnere, an. 1521 in defendenda contra Gallos Pampelona accepto, decumberet, piorum librorum lectione ad Iesu Christi Ssrumque vestigia sectanda excitatus fuit. Mox novae vitae rationem iniit, primo in Monte Serrato, deinde in Manresa se poenitentiae, pietatis et caritatis exercitiis devovit. Posthaec piam peregrinationem instituit in Terram sanctam. An. 1524 in Hispaniam redux, studia a grammatica latina Barcinone exorsus, eadem in Complutensi et Salmanticensi Vniversitatibus prosecutus est. Cum litterarum studiis opera pietatis et caritatis, praesertim instruendo plebeios et serviendo infirmis in xenodochiis, iungebat, ideo non semel vexationes expertus. An. 1528 profectus est Parisios, philosophiae et theologiae studia confecturus. An. 1534 cum 6 aliis iuvenibus litterarum studiosis prima societatis fundamenta posuit et in ecclesia Montis Martyrum prope Parisios vota de colenda paupertate et procuranda proximi salute emisit. Socii eius erant Petrus Le Fevre, Sabaudus, Franciscus Xaverius, nobilis Navarrensis, Iacobus Laynez, Alphonsus Salmeron, Nicolaus Bobadilla, tres Hispani, et Simon Rodriguez, nobilis Lusitanus. Post 3 annos, cum numerus eorum auctus esset, Ignatius cum P. Le Fevre et I. Laynez Romam profectus, sua suorumque opera Pontificis arbitrio obtulerunt. Paulus Pp. III duobus posterioribus munus docendi in Vniversitate Romana demandavit, Ignatium vero caeterosque socios, qui post eum Romam venerunt, divini verbi praedicationi et animarum curae gerendae destinavit. Vt vero societas inter probatos ab Ecclesia Ordines reciperetur, eius constitutiones Pontificis iudicio subiecerant: quas cum Paulus III ad maiorem Dei gloriam, Ecclesiae utilitatem, Fidei propagationem, haeresum expugnationem, pietatis instaurationem et christianae iuventutis institutionem procurandam idoneas reperisset, an. 1540 eorum Congregationem sub nomine Societatis Iesu singulari Bulla approbavit et sub Apostolicae Sedis praesidium constituit. Primus generalis Societatis praepositus fuit s. Ignatius, qui eam ante obitum suum (1556) per Italiam, Lusitaniam, Hispaniam, Belgium, Germaniam, Brasiliam, Indiam et Abyssiniam, vidit diffusam. Post s. Ignatium Societas non modo in iisdem terris continua incrementa cepit, sed etiam in Galliam aliasque Europae, Asiae et Americae regiones illata est. Societas ab initio et deinceps claruit viris pietate et eruditione conspicuis, quorum alii de Fidei defensione et propagatione, alii de errorum et haeresum expugnatione, alii de christianae iuventutis institutione, alii de litterarum et scientiarum cultura, alii de pietatis et morum instauratione optime meruerunt. Quapropter Paulus III aliique Pontifices ad tanta merita remuneranda et ad Iesuitarum labores conatusque promovendos, Societati Iesu privilegia amplissima et nulli hactenus Ordini concessa, largiti sunt [1].

23. *Capucini* — Monachorum etiam reformationes a viris regularis observantiae studiosis, e gremio ipsorum monachorum, effectae sunt. Ita Matthaeus dictus de Bassi a loco natali in ducatu Vrbino, frater laicus inter Franciscanos Observantes, an. 1525 a Clemente Pp. VII facultatem accepit instituendi novam sub s. Francisci regula congregationem, cuius socii caputium acuminatum quale s. Franciscus gestasse dicebatur, et a quo ipsi *Capucini* appellati sunt, gererent, vitam eremiticam et priscis regulae s. Francisci austeritatibus consentaneam ducerent. Matthaeus hoc vitae genus amplexus est in Marca Anconitana, eique se multi alii sociarunt. An. 1528 idem Pontifex eos sub nomine Fratrum minorum conventualium de vita eremetica Capucinorum approbavit, iisdemque facultatem suscipiendi in congregationem clericos et laicos, et omnia privilegia FF. Minorum concessit. Anno sequenti Capucini, iam magno numero aucti, in capitulo Matthaeum vicarium generalem, ministro generali Conventualium subiectum, elegerunt et statuta pro Ordine suo condiderunt. Ordo primum in Italia, deinde in Gallia, aliisque terris catholicis plurimum propagatus est. Progressu temporis vitam eremiticam cum monastica commutarunt, et anno 1619 a Paulo Pp. V facultatem acceperunt eligendi sibi proprium et independentem Ministrum generalem [2].

24. *I. Calvinus* — Interim Sacramentariorum haeresis, a Zwinglio et OEcolampadio

---

[1]) Bartoli *Historia societatis Iesu*; Maffei et Bouhours, *Vitae s. Ignatii*.
[2]) Bover. *Annales Capucinorum*.

per Helvetiam propagata [1], incrementa multa cepit. Eam Lausannae, in toto Vaudo et Genevae propagarunt Guilielmus Farelius et Petrus Viretus. Illic etiam ecclesiae ab haereticis vi occupatae, altaria deiecta, imagines confractae, ritus catholici abrogati sunt. Post annos paucos civitas Geneva novae religionis sedes et centrum evasit, ex quo nempe Ioannes Calvinus ibi primarius praedicator et rector ecclesiae constitutus est. Is anno 1509 Novioduni in Picardia natus, litteris humanioribus et philosophiae Parisiis, iurisprudentiae Aureliani et Biturigibus studuit. Tum hic tum illic religiosas novitates ab occultis Lutheranis et Zwinglianis didicit suscepitque. An. 1532 post obitum patris binum beneficium ecclesiasticum, simplex unum et curatum alterùm, sibi cum adolesceret, collatum, vendidit. Rebus suis compositis se contulit Parisios, ubi occultos sectarios frequentavit et nova dogmata clam disseminavit. Inde an. 1533 confugit Engolismam, ubi libros suos de institutionibus religionis christianae e Lutheri, Zwinglii, OEcolampadii, Melanchthonis, aliorumque novatorum scriptis colligere coepit. Deinde petiit Germaniam, dogmata sua cum doctoribus lutheranis collaturus. Posthaec peragratis variis regionibus, an. 1541 sedem suam fixit Genevae, ubi tantam adeptus est auctoritatem, ut novae religionis, Sacramentariorum nimirum, caput et dux haberetur, legesque etiam in civilibus dictaret.

Introductum a Zwinglio religionis systema, quantum ad dogmata et regiminis formam spectat, plurimum expolivit reformavitque. Ad administrandam rem ecclesiasticam praescripsit consistoria, e praedicatore et senioribus composita, et inde presbyteria dicta. Secutus Zwinglium caeremonias in Ecclesia usitatas reiecit; sacramentis ceu meris symbolis, benevolas Dei promissiones obsignantibus, omnem vim conferendae gratiae abrogavit; realem praesentiam in Eucharistia negavit; docebat vero, pios in coenae usu per fidem fieri Corporis et Sanguinis Christi participes, et per vivam passionis et mortis Christi memoriam, quam panis et vini symbola excitarent, credentium animos ita pasci sicut cibo et potu corpus nutritur. Asserebat praeterea, liberum hominis arbitrium per peccatum esse penitus extinctum, ita ut homo malum necessario eligeret, ad bonum nullo modo cooperaretur, gratia sola id efficiente; Deum hominis lapsum non solum praevidisse, sed etiam decrevisse et praedestinasse, quatenus arbitraria aliorum salvatione et aliorum damnatione clementiae ac omnipotentiae suae thesauros manifestaret; omnibus fidelibus seu credentibus esse plenam et absolutam certitudinem suae iustificationis et praedestinationis; iustitiam esse propriam electorum et semel habitam non posse amitti. Quantum ad opera bona, satisfactionem, indulgentias et alia spectat, Calvinus fere eadem ac Lutherus docebat. Doctrinas has pluribus exegetici, dogmatici et polemici generis scriptis proposuit, inter quae celebrior est eius *Institutio religionis christianae* 4 libris contenta [1].

25. *Scriptores ecclesiastici* — Divina Providentia, quae hoc saeculo Ecclesiam a tot hostibus oppugnari permittebat, plurimos etiam illius defensores suscitavit. Omnes, quos hoc saeculum peperit scriptores, recensere non possumus, indicabimus solum praestantiores. Inter eos qui ante saeculi huius dimidium floruerunt, numerantur hi qui sequuntur:

Exponendis ss. Scripturis studuerunt, Augustinus Iustinianus, Genuensis, episcopus Nebiensis in Corsica, sacrarum Litterarum et linguarum peritissimus, edidit *Psalterium* octaplum, continens nempe 8 columnis textum hebraeum, graecum, arabicum, chaldaicum, versionem latinam vulgatam, duas alias et scholia [2]; F. Ximenes, Ordinis Min., Cardinalis archiepiscopus Toletanus, accitis viris doctissimis et conquisitis vetustissimis ac probatissimis codicibus manuscriptis, novam ss. Bibliorum editionem curavit, quae a numero linguarum Polyglotta, et a loco, ubi typis impressa sunt, Complutensia dicuntur [3]; Sanctes Pagninus, Lucensis, Ordinis Praed., edidit novam utriusque Testamenti versionem latinam, item grammaticam et lexicon linguae sanctae, isagogen ad ss. Litteras earumque sensus mysticos, catenam argenteam in Pentateuchum et in Psalterium; Desiderius Erasmus, Roterodamus, presbyter Canonicus Regularis, philologus, criticus saepe iusto au-

[1]) Vid. p. 135.

[1]) Edita cura R. Stephani 1553 in-fol. Cf F. de Remond, *De ortu, progressu et inclinatione haeresum*, l. VIII; Audin, *Histoire de la vie, des ouvrages et des doctrines de Calvin*, Louvain 1844, 2 vol. in-8°.

[2]) Genuae 1516, in fol.

[3]) 1514-17, 6 vol. in-fol.

dentior, polygraphus, N. Testamenti interpres, paraphrastes et commentator, plurima diversorum argumentorum scripta reliquit, quorum nonnulla damnata, alia suspecta, omnia caute legenda sunt [1]; Xystus Senensis, e iudaeo christianus et Ordinis s. Francisci, ab haeresi in quam dilapsus erat, reductus et Ordini Praed. adscriptus, composuit Bibliothecam sacram, in qua protocanonicos, deuterocanonicos, apocryphos libros distinguit, biblicum exhibet dictionarium, regulas tradit interpretandi Scripturas et per maiorum commentaria ac explicationes discurrit [2]; Franciscus Vatablus, Gallus, linguae hebraicae professor Parisiis, scripsit annotationes in s. Scripturam, quas cum haeretica manu corrupisset editor R. Stephanus, Salmanticenses theologi easdem an. 1584 correxerunt; Thomas de Vio, doctrina excellens, cardinalis episcopus Caietanus, reliquit commentaria in s. Scripturam [3]; Franc. Titelmannus, Hasseletanus, Capucin., inter cuius scripta commendantur commentaria in Iob, in Psalmos, in Matthaeum, Ioannem et in Epistolas; Iacobus Sadoletus, Mutinensis, R. E. cardinalis, styli Tulliani imitator, praeter alia varia elaboravit commentarios in Psalmos aliquot et in Epistolam D. Pauli ad Romanos; Ioannes Gagnaeus, Parisiensis, doctor Sorbonicus, edidit commentarios in N. Testamentum; s. Thomas de Villa-Nova, dioeceseos Toletanae oriundus, episcopus Valentinus, praeter Sermones edidit commentarium in Canticum Canticorum; Aloysius Lippomanus, Venetus, e Methonensi Veronensis episcopus, composuit Catenam in Genesim, Exodum et in Psalmos aliquot; Dominicus Soto, Hispanus, Ordinis Praed., doctor Salmanticensis, reliquit commentarium in Epistolam ad Romanos; Hieronymus Seripandus, cardinalis archiepiscopus Salernitanus, elaboravit commentarios in Epistolas Paulinas et Catholicas.

Inter theologos claruerunt, praedictus Thomas Caietanus, qui composuit commentaria in Summam D. Thomae Aquinatis et Tractatus theologicos plurimos; D. Soto supra indicatus, edidit commentarios in libros Sententiarum; Paulus Cortezi, Hetruscus, episcopus Vrbinensis, reliquit commentarios in libros Sententiarum; Melchior Canus, Ord. Praed., doctor Salmanticensis, auctor est operis elegantissimi de locis theologicis, in 12 libros distributi [1]; Ioannes Driedo, Turnhautanus, Vniversitatis Lovaniensis professor, adversus lutheranos errores scripsit de gratia et libero arbitrio, huiusque cum divina praedestinatione concordia, de captivitate et redemptione humani generis, de Scripturis et dogmatibus ecclesiasticis [2]; Ioannes Fischerus, episcopus Roffensis, an. 1533 iussu Henrici VIII regis Angliae gladio necatus, reliquit eruditas lucubrationes contra Lutherum [3]; Ioannes Faber, Suevus, episcopus Viennensis, dictus *Malleus haereticorum*, plura scripsit historico-polemico-pia [4]; Ioannes Eckius, Suevus, Vniversitatis Ingolstadiensis professor, acerrimus Lutheranorum profligator, reliquit Tractatus de sacrificio missae et de controversiis Fidei contra novatores; Albertus Pighius, Campensis Batavus, baccalaureus Lovaniensis et doctor Coloniensis, multa scripsit contra Lutherum, Melanchthonem, Bucerum et Calvinum, inter quae eminent assertio hierarchiae ecclesiasticae [5], et tractatus de gratia et libero hominis arbitrio [6]; Iudocus Clichtoveus, Flander, doctor Parisiensis, cuius opus *Anti-Lutherus* prae ceteris laudatur [7]; Iacobus Latomus, Hanno, doctor Lovaniensis, in Fidei controversiis versatissimus, varia contra Lutherum eiusque sectatores scripsit [8]; Ioannes Cochlaeus, Norimbergensis, canonicus Vratislaviensis, inter alia polemica conscripsit commentaria de actis et scriptis Lutheri [9]; Alphonsus a Castro, Hispanus, Ord. s. Francisci, inter eius scripta eminent tractatus contra haereses, libri 3 de iusta punitione haereticorum et 2 de potestate legis poenalis [10]; Ioannes Gropperus, archidiaconus Coloniensis, praeter alia elucubravit Enchiridion christianae religionis et librum de reali praesentia Corporis et Sanguinis Christi in Eucharistia [11]; Ruardus Tapperus, Enchusanus Batavus, doctor Lovaniensis, scripsit explicationem doctam seu vindicias articulorum Lovaniensium contra errores Lutheri [12],

---

1) Edita Basil. cura Froben, 9 vol. in-fol., et Lugd. Batav. cura Clerici, 1703, 11 vol. in-fol. Cf P. F. X. De Ram, *Notice sur les rapports d' Erasme avec de Goés*; item, *Particularités sur le sèjour d' Erasme à Bâle et ses derniers moments*, Bruxell. 1842, in *Nouveaux Memoires de l' Academie*.
2) Neapol. 1742, 2 vol. in-fol.
3) Lugdun. 1639, 5 vol. in-fol.

1) Salmant. 1563 in-fol., Patav. 1727 in-4°, et alibi.—2) 1533, 4 vol. in-fol. et in 4°.—3) Wiceburg. 1597, in-fol.—4) Colon. 1537 et 1541, 3 vol. in-fol.
5) Colon. 1572, in-fol.
6) Ibid. 1542, in-fol. — 7) Paris. 1524, in-fol.
8) 1550 in-fol. — 9) 1549 in-fol.
10) Paris. 1578, 2 vol. in-fol.
11) Colon. 1560, in-4°, et 1746, in-fol.
12) Lovan. 1555 et 1565, 2 vol. in-fol.

et orationes cum corollario ad Carolum V et Ferdinandum I de causis et remediis calamitatum Belgii [1]; D. Soto, supra commemoratus, reliquit libros 2 de natura et gratia [2]; Petrus Galatinus, Italus, e iudaeo christianus, Ord. s. Francisci, scripsit arcana catholicae veritatis contra Iudaeos [3]; Petrus Soto, Ordinis Praed., doctor Delingensis, reliquit Institutiones christianas et compendium doctrinae lutheranae.

Ecclesiasticam historiam illustrarunt: I. Cochlaeus, iam commemoratus, qui edidithistoriam Hussitarum [4]; Onuphrius Panvinus, Veronensis, Ord. Eremit. s. Augustini, dedit annotationes et supplementa ad Vitas RR. Pontificum, collectas a Platina; scripsit etiam de primatu Petri, de antiquo ritu baptizandi catechumenos, de veteribus Christianorum sepulturis et coemeteriis; Seripandus et Lipomanus supra commemorati, quorum prior edidit Epitomen chronicorum Ordinis Eremitarum s. Augustini [5], posterior Vitas Ssrum [6]; Iacobus Merlin, Lemovix, doctor Sorbonicus, et Petrus Crabbe, Mechliniensis, Ordinis FF. Min., ediderunt collectionem Conciliorum [7].

Christianae et asceticae vitae praeceptiones tradiderunt ss. Ignatius de Loyola, cuius librum *Exercitiorum Spiritualium* auctoritate apostolica communivit Paulus III, Thomas de Villa-Nova, Franciscus de Borgia, Franciscus Xaverius, Petrus de Alcantara. Quibus accedunt Ludovicus Blosius et Ioannes Avila, probitate et sapientia insignes.

26. *Convocatur Concilium generale*—Abhinc annis multis pii quique desiderabant concilii generalis convocationem ad reprimendas haeresum progressiones, ad definiendas Fidei controversias et ad restituendam disciplinam ecclesiasticam. Ipsi novatores, Lutherus aliique continuo ad concilium generale provocabant. Obstabant vero dissidia et bella inter principes christianos, tergiversationes et mala fides novatorum. Quum Clemens Pp. VII cum Carolo imperatore V de cogendo concilio generali in aliqua urbe Italiae consensisset; novatores postularunt, ut concilium in Germania cogeretur, Pontifici nulla ratione subesset, res in eo secundum solam s. Scripturam definirentur, et suis quoque theologis suffragii ius daretur. His inauditis et absurdis conditionibus quum Pontifex acquiescere non posset, res dilata fuit. Paulus III anno 1534, Clementis VII in summo pontificatu successor, generalis concilii celebrationem maxime cordi habuit, legatosque ad Carolum imperatorem, ad Franciscum regem Galliae et ad alios principes misit, ut, pace composita, concilium libere celebraretur. Tandem generale concilium indixit, an. 1537 X calendas iunii in urbe Mantua inchoandum. At cum Fridericus dux Mantuae non consentiret nisi sub conditionibus, quas Pontifex ab institutis maiorum suorum, a s. Sedis et ecclesiastici nominis dignitate atque libertate alienas iudicabat, Paulus III de alia idonea urbe eligenda cogitavit. Postquam christianorum principum sententias de loco concilii explorasset, easque reperisset varias et incertas, elegit Vicentiam Venetiarum urbem, in qua concilium calendis maii 1538 inchoaretur; at novis emergentibus obstaculis, illius celebratio prorogata fuit. Obstabant discordiae inter christianos principes, praesertim Carolum imperatorem inter et Franciscum regem Galliae, ad quas componendas omnem operam adhibuit Pontifex. In Germania novatores, maxime Lutherus, qui antea ad generale concilium continuo provocarant, nunc omni modo illud impedire conabantur. Tandem principes Germani an. 1542 in comitiis Spirensibus censuerunt cum Pontifice, ut concilium celebraretur Tridenti; attamen lutherani principes reclamarunt, neque concilii locum, neque pontificiam auctoritatem, qua convocabatur, approbantes. Paulus III e cardinalium consilio XI calendas iunii 1542 per Bullam *Initio nostri* episcopos et alios, quorum intererat, Tridentum convocavit. Causas convocati concilii in eadem bulla indicat Pontifex. « Quo melius, inquit, atque commodius quae ad integritatem et veritatem christianae religionis, quae ad bonorum morum reductionem emendationemque malorum, quae ad Christianorum inter se tam principum quam populorum pacem, unitatem, concordiamque pertineant, et quae ad repellendos impetus barbarorum et infidelium, quibus illi universam christianitatem obruere moliuntur, sint necessaria... agi in dicto sacro oecumenico concilio... consuli, tractari, confici, ad optatosque exitus deduci quamprimum et quam optime possint ». Verumtamen tum propter discordias bellumque inter Carolum V et Franciscum I, tum propter religiosas in Germania turbas concilii

1) Colon. 1568, in fol.—2) Paris. 1519, in-4°.
3) Francof. 1612, in-fol.
4) Mogunt. 1549, in-fol.—5) Romae 1586.
6) 1568 in-fol.
7) Colon. 2 vol. in-fol.

celebratio adhuc prorogata fuit usque ad annum 1545 [1].

27. *Declarationes Theologorum Parisiens. et Lovaniens.* — Interea religiosae novitates per Germaniam, Poloniam, Livoniam, Curoniam, Hungariam, Transylvaniam, Galliam, Belgium, aliasque terras disseminabantur. In Galliis Franciscus I, sincerus Religionis catholicae cultor, haeresum propagationem et progressionem in regno suo impedire conatus est. Eius mandato sacra Facultas Parisiensis ad conservandam catholicae fidei integritatem an. 1542 edidit 25 articulos, lutheranae et calvinianae haeresibus oppositos, ut essent veluti formula doctrinae catholicae. Sacra Facultas omnes suos doctores et baccalaureos ad subscribendum istis articulis adstrinxit, et rex omnibus parochis mandavit, ut secundum eamdem catholicae doctrinae formulam fideles instruerent [2].

Iisdem de causis, nimirum ad tutandam in populo christiano orthodoxae fidei custodiam contra Lutheranorum, Sacramentariorum et Anabaptistarum conamina, sacra Facultas Lovaniensis an. 1544 edidit 32 articulos, quorum 20 prioribus exponuntur ea, quae pertinent ad Ecclesiae sacramenta; 21ˢ et 5 sequentes agunt de perpetuitate et unitate Ecclesiae catholicae, de unico et summo eius Pastore, de natura et efficacia constitutionum ecclesiasticarum; 27ˢ et reliqui sunt de invocatione Ssrum, de libertate christiana et aliis doctrinae capitibus, quae tunc in controversiam venerant. Lovanienses theologi in his articulis praecipua orthodoxae fidei capita tam accurate proposuerunt, ut in multis praestruxisse videantur credendi agendique regulam, a Tridentino concilio post paucos annos praescriptam. Mandavit sacra Facultas omnibus suis alumnis, ne quid articulis illis contrarium assererent, sed eosdem fideliter tuerentur. Quo diligentius iidem articuli observarentur, Carolus V imperator illos praesidio suo communivit et decreto Bruxellis lato confirmavit [3].

28. *Concilii Tridentini Periodus I*, 1545–47 — Tandem post multifaria obstacula concilium generale Tridenti coeptum est idibus decembris 1545. Ab hac die ad postridie calendas iunii 1547 habitae sunt 10 sessiones; quae constituunt primam concilii Tridentini periodum. Praesederunt eis Pontificis nomine Maria de Monte, episcopus Praenestinus, Marcellus Cervinus et Reginaldus Polus, R. E. cardinales et Sedis Apostolicae legati. Sess. Iª quae celebrata fuit idibus decembris 1545, peractis sacris mysteriis et sollemnibus supplicationibus, Patres iam apertum atque incoeptum declararunt sacrum Tridentinum et generale concilium ad incrementum et exaltationem Fidei et religionis christianae, ad extirpationem haeresum, ad pacem et unionem Ecclesiae, ad reformationem cleri et populi christiani, et ad extinctionem hostium christiani nominis; lecta fuit admonitio legatorum Pontificis ad Patres et indicta sessio futura. Sess. IIª, habita VII idus ianuarii 1546, editum est decretum de modo vivendi aliisque in concilio et eo durante servandis. Sess. IIIª, celebrata pridie nonas februarii, recitatum fuit symbolum Fidei, quo Romana omnesque ecclesiae utuntur, tanquam principium, in quo omnes, qui fidem Christi profitentur, necessario conveniant. In his 3 sessionibus nihil magni momenti constitutum fuit, quod multi episcopi adhuc iter agerent et eorum adventus expectaretur ad Fidei morumque sanctiones definiendas. Sess. IVª, habita VI idus aprilis, edita sunt 2 decreta, unum de Scripturis canonicis, alterum de editione et usu ss. Librorum. Illi libri declarati sunt sacri et divinitus inspirati, qui in versione latina, dicta Vulgata, continentur et in Ecclesia catholica legi consueverunt; ss. Traditionibus par reverentia ac s. Scripturae attributa; ex omnibus versionibus latinis Vulgata declarata authentica; denique prohibitum, ne quis contra doctrinam Ecclesiae, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum, aut contra unanimem Patrum consensum s. Scripturam interpretari audeat. Sess. Vª, celebrata XV calendas iulias, edita sunt 2 decreta, quorum prius 5 canonibus definit doctrinam de peccato originali; posterius, quod est de reformatione, decernit de constituendo in ecclesiis lectore s. Scripturae, de concionatoribus divini verbi et quaestoribus eleemosynariis. Sess. VIª, habita idibus ianuarii 1547, pariter 2 decreta sancita sunt; prius continet 16 capita de iustificatione et 33 canones,

---

1) Pallavicini *Historia Concil. Trident.* l. I-IV; P. F. X. De Ram, *Nonciature de Pierre Vandevorst d'Anvers, évêque d'Acqui, en Allemagne et dans les Pays-Bas en* 1536-37, Bruxell. 1839, in *Nouveaux Mémoires de l'Académie.*

2) Fontanon, *Collectio constit. reg.* t. IV.

3) Cf P. F. X. De Ram, *Disquisitio de dogmatica declaratione a Theologis Lovaniensibus an.* 1544 *edita*, Bruxell. 1841, in *Nouveaux Mémoires de l'Académie.*

quibus contrarii haereticorum errores damnantur; posterius complectitur 5 capita de residentia praelatorum et beneficiatorum, de corrigendis ab Ordinario loci excessibus saecularium clericorum et regularium extra monasteria degentium, de visitandis ecclesiis ab episcopis et aliis praelatis maioribus, de non exercendis pontificalibus aut conferendis Ordinibus ab episcopis in aliena dioecesi. Sess. VII$_a$, celebrata V nonas martii, primo conditi sunt 13 canones de sacramentis in genere, 14 de baptismo et 3 de confirmatione, quibus errores, catholicae doctrinae oppositi, cum anathemate reprobantur; dein editum est decretum reformationis continens 15 capita, quibus prohibetur beneficiorum pluralitas, praescribuntur dotes eorum, qui ad beneficia promovendi sunt, aliaque constituuntur. Sess. VIII^a, habita V idus martii, legati Pontificis propter contagiosum morbum, Tridenti grassantem, ex potestate sibi a Paulo III facta, concilium transtulerunt Bononiam. Hic 2 sessiones habitae sunt: IX^a, XI° calendas maias, et X^a, postridie calendas iunii, sed propter multorum praesulum absentiam nihil in iis fuit definitum. Postridie vero idus septembris in congregatione generali sessio futura prorogata fuit ad beneplacitum sacri Concilii. Paulo post praelati Bononia profecti sunt, et Concilii continuatio 4 annis suspensa [1].

29. *Religionis status in Germania* — Interea audacia protestantium in Germania magis magisque aucta est ex moderatione, qua erga eos utendum esse censebat Carolus imperator propter bellum, quod sibi incumbebat cum rege Francorum, et propter imminentia pericula e Turcarum in Hungariam invasionibus. Schmalcaldico foederi, quod principes lutherani an. 1531 pro religionis suae defensione inierant, novi deinde principes et civitates accesserunt. Iidem principes religionis libertatem, quam antea sibi petebant, nunc catholicis in terris suis denegabant, cunctis subditis suis novam religionem vi obtrudebant, etiam subditos principum catholicorum, in illam pronos, praesidio suo communiebant, variisque occasionibus significabant, consilium suum esse, ut in omni Germania, eliminata religione veteri, purum Dei verbum, ut Lutheri placita appellabant, stabiliretur. An. 1540 imperator ad procurandam pacem religiosam rursus tentavit theologorum utriusque partis de religione collationem. Haec Wormatiae inchoata, anno sequenti in comitiis Ratisbonensibus frustra continuata fuit. Foederati Schmalcaldici iam concilium generale reiiciebant, plenam et perpetuam religionis libertatem poscebant; bellum minitabantur, et quo imperator eorum postulationibus indulgebat, eo ipsi postulationes urgebant.

Anno 1546 Lutherus, malorum, quibus Germania agitabatur et agitanda erat, auctor, ad iusti iudicis tribunal adstitit. Eodem anno pax, hactenus inter catholicos et protestantes aegre conservata, rupta est et bellum inter imperatorem et foederatos Schmalcaldicos coeptum, quod ab illis Schmalcaldicum dictum fuit. Ambo belli duces, Fridericus elector Saxoniae et Philippus lantgravius Hassiae, ab imperatore capti sunt. Imperatoris victoria effecit, ut principes protestantes se concilio generali accessuros promitterent. Cum illud esset suspensum, Carolus V, ne turbatus rerum status in Germania perduraret, an. 1548 in comitiis Augustanis proposuit formulam seu normam in religionis negotio servandam usque ad plenam dissidiorum compositionem per generale concilium. Ea formula dicta *Interim*, doctrinas controversas catholico sensu proponebat; supremam R. Pontificis potestatem, caeremonias, festa, nominatim Corporis Christi, benedictiones, ieiunia praescribebat; in favorem protestantium sacerdotibus, qui uxorem duxerant, matrimonium, et laicis calicem eucharisticum indulgebat [1]. Verum formula ista catholicis ac protestantibus displicuit. Catholici eam reprobarunt, quod a principe laico sine Ecclesiae auctoritate esset praescripta, pro novatoribus clericorum coniugia et communionem sub utraque specie permitteret, et nec episcopis suam iurisdictionem, nec ecclesiis sua bona restitueret. Protestantes fere ubique eidem formulae ceu maxima ex parte catholicae retinebantur [2].

30. *Religionis status in Anglia* — In Anglia Henricus VIII funesto schismati, quod excitavit, an. 1547 immortuus est. In testamento suo constituerat, ut sibi in regno succederet primo loco Eduardus, filius suus e Ioanna Seymoura, secundo Maria, filia sua e Catharina prima coniuge, tertio Elisabetha, ex Anna Bolena suscepta. Secundum supremam hanc regis voluntatem regnum Angliae

---

[1]) Pallav. *Hist. Concil. Trident.*; Labbe, *Concil.* t. XIV, p. 726-92.

[1]) Goldast. *Constitut. imper.* t. I, p. 518.

[2]) Cochleus, *Comment. de actis et script. Lutheri*; Raynald. et Spondan. *Annal. eccl.*

et Hiberniae accepit Eduardus VI, filius eius novennis, regnavitque usque ad 1553. Eius avunculus Eduardus Seymour, dux Somersetanus, qui protectoris nomine supremum regimen occupavit, una cum Crammero archiepiscopo Cantuariensi novam religionem Anglis obtrusit; hic Lutheranorum, ille Sacramentariorum placita probabat, sed facile in novam religionem, ex his et ex illis conflatam, consenserunt. An. 1547 in comitiis seu curia regia sex articuli, sub Henrico VIII promulgati contra Lutheranorum doctrinam [1], abrogati sunt; supplicium supremum decretum contra eos, qui regem Anglicanae ecclesiae caput esse negarent; missae privatae interdictae; communio sub utraque specie praescripta. Anno sequenti, reclamantibus multis episcopis, matrimonium clericis concessum est. Tunc etiam sacrae reliquiae et imagines, iam a novatoribus e pluribus ecclesiis eiectae, auctoritate publica sublatae sunt; liturgia mutata, usus linguae vernaculae in omnibus sacris functionibus praescriptus; Calvini doctrina de Eucharistia proposita; altaria in mensas conversa; Extrema Vnctio et Confirmatio, preces pro defunctis, Crucis signa abrogata. Qui autem a nova religione erant alieni, magisterio in scholis et ministerio verbi in ecclesiis privati sunt, et in eorum loca intrusi pseudo-doctores; qui se eidem religioni opponebant, carceri mancipati sunt. An. 1549 a multis rusticis, civibus, et nobilibus, priorem religionis statum poscentibus, seditio excitata fuit, sed brevi suppressa. Ita nova religio omnibus obtrusa est [2].

31. *Fidei propagatio in America, Africa et Indiis* — Ad magnum sane catholicorum solamen accidit, ut Religio, in variis Europae provinciis depressa, in aliis orbis regionibus latissime propagaretur et incrementa magna caperet. Supra memoravimus occasione pervestigationum, quas Lusitani et Hispani in Africam, Asiam et Americam saeculo elapso et praesenti fecerunt, fidem christianam in illas regiones illatam fuisse [3]. Inter missionarios, qui in occupatis ab Hispanis Americae terris Evangelium praedicarunt, celebris est Bartholomaeus de Las Casas, Hispalensis, Dominicanus, qui ineunte hoc saeculo in Americam profectus, annis multis convertendis ad christianam Religionem insulanis adlaboravit; nihil etiam omisit, ut illos a servitute, ad quam a gubernatoribus Hispanis redigebantur, liberaret; in hunc finem iteratis vicibus oceanum pernavigavit, ut coram Hispaniae rege insulanorum causam defenderet.

Postquam Hispani an. 1521 vastissimam regionem Mexicanam, et deinde Peruviam, Chilì, Paraquaiam occuparunt, amplissimus campus evangelico missionariorum ardori patuit. Missionarii, qui praesertim assumebantur e clero regulari, neque labori neque incommodis pepercerunt, ut indigenas populos ab idolorum cultu, a superstitiosis ritibus, ab inculta vivendi ratione ad veri Dei cultum et ad christianam atque humanam vitae disciplinam converterent. Iam an. 1524 in Mexico synodus celebrata legitur secundum formam canonicam, in qua polygamia, aliaque vitia, inter indigenas communiora, fuerunt severe prohibita, et praeter alia, sive ad preparandos ad baptismum neophytos, sive ad confirmandos in Fide baptizatos constituta, decretum est, ut viri baptismum petentes, uxores suas dimitterent, una excepta, quam ritu sacro ducerent. His missionibus reges Hispaniae opem ferebant; et quum iam non solum ex Europaeis, qui in illas terras transibant, sed etiam ex Americanis ecclesiastici coetus fierent frequentiores, Paulus Pp. III, supplicante Carolo V, varios episcopatus et archiepiscopatus illic creavit.

Similiter in Brasilia aliisque Americae terris, quas Lusitani subegerunt, viri religiosi, Franciscani, Dominicani et Iesuitae, sub regis Lusitaniae auspiciis convertendis insulanis ad christianam fidem adlaborabant ardenter. Hic quoque ac illic Religionis propagationi multa obstabant, praecipue indigenarum barbaries, eorum a Lusitanis aversio et mos de loco ad locum migrandi. Verumtamen apostolico missionariorum ardore et constantia factum est, ut numerus conversorum, coetusque christiani magis magisque augerentur, et an. 1551 in civitate Salvatoris, quam Ioannes III rex Lusitaniae condendam curarat, episcopatus sit erectus [1].

In Africa quoque missionarii in terris, quas Europaei vel occuparunt vel mercaturae causa adibant, Evangelium annuntiarunt, sed coetus seu ecclesias stabiles non condiderunt, si Congum et adiacens Angola excipiantur; cum in his Lusitani dominium quoddam supremum exercerent, missionarii ibi coeptas

---

1) Vid. p. 140.
2) Sanderus, *De schismate Angl.*
3) Vid. p. 128.

1) Charlevoix, *Histoire de Saint Domingue*; De Solis, *Histoire des conquêtes de Cortez*; Touron, *Histoire de l'Amerique*; Raynald. *Annal. eccl.*

exeunte saeculo praecedenti conversiones prosecuti sunt, auxeruntque [1].

In India latissime propagata fuit christiana fides a s. Francisco Xaverio. Iam ante eius illuc adventum Evangelium in ea Indiae parte insulisque Asiaticis, quas Lusitani occupaverant, fuerat praedicatum. Goae, quae erat Indiae lusitanicae metropolis, Franciscani ethnicis et mahomethanis Evangelium annuntiarant eo successu, ut episcopi quoque constituti fuerint et seminarium Goae erectum, in quo iuvenes e diversis gentibus Indicis in christiana fide instruerentur et ad apostolicum et sacerdotale munus inter suos obeundum formarentur. Praeterea e gente Paravorum in littore Piscatorio ad orientalem plagam promontorii Commorini, quam Lusitani a tyrannide principis mahomethani liberarant, 20,000 circiter hominum baptismum susceperant. Etiam Malacae et in aliis locis Peninsulae cognominis, in quibus pariter Lusitani consederant, complures indigenarum ad christiana sacra transgressi fuerant [2].

32. *Iaponensis ecclesia. S. Franciscus Xaverius* — S. Franciscus Xaverius, postulante Ioanne III rege Lusitaniae, a Paulo Pp. III et s. Ignatio societatis Iesu fundatore, cum 2 sociis in Indiam destinatus, an. 1542 Goam pervenit. Postquam urbis huius indigenis convertendis aliquandiu operam dedisset, eodem adhuc anno transiit ad Paravos, ubi integram stirpem, quae hactenus idolorum cultui pertinaciter adhaeserat, ad veri Dei cultum perduxit. Posthaec Evangelii praedicationem continuavit felici successu inter Punicalenos in iisdem Indiae meridionalis plagis. An. 1543 in promontorio Commorino multitudinem ingentem ad Christum convertit. In regno Travancorensi e regis assensu Evangelium annuntiavit tanto fructu, ut an. 1544 intra unum mensem 10,000 circiter hominum ad suscipiendum baptismum promoverit. Anno sequenti traiecit in Malacam, ubi christianos ad fervorem et pietatem excitavit, novisque conversionibus eorum numerum auxit. An. 1546 in insulis Moluccensibus, Amboina et Ternate, integram gentem, admodum barbaram, divini verbi praedicatione emollivit et ad christiana sacra perduxit. Similiter an. 1548 regem Candyensem in insula Ceylana Religioni Christianae conciliavit. Omnipotens Deus apostolicos eius labores linguarum et miraculorum donis roborabat. Anno 1549 s. Franciscus navigavit in Iaponiam, quia a viro Iaponensi, e patria profugo, quem ad Christi fidem converterat, spem propagandi inter eius populares Fidem acceperat. Primo in provincia Saxumensi, permittente regulo, Evangelium annuntiavit eo eventu, ut intra paucos menses ultra 200 Iaponenses ad Christum converterit; inter quos erant 2 sacerdotes seu bonzi, quos ad seminarium Goanum misit, ut idonei pro sua gente missionarii redderentur. Post aliquod tempus tumultu a bonzis concitato, Franciscus cum sociis suis transiit in provinciam Firandensem, in qua maiori adhuc successu Fidem praedicavit. An. 1551 petiit Meacum, totius Iaponiae metropolim, sed cum ibi nihil efficere potuisset, regressus est in urbem Amanguchi, in qua intra 2 menses 500 Iaponenses baptizavit. Posthaec ivit in regnum Bungum, ab ipso rege invitatus, ubi cum bonzi christianae Religionis propagationi resisterent, quod sapientes Sinenses eam nondum suscepissent, Franciscus consilium concepit tentandi Sinensium conversionem. An. 1552 Sinas navigio petiit, sed antequam eas attingeret, in insula Sancino morbo correptus, eodem anno animam Deo reddidit, postquam 10 annis propagandae inter nationes Asiaticas Fidei operam indefessam dedisset. Eius autem et sociorum, quos post eum s. Ignatius in Indiam destinavit, atque missionariorum, quos seminarium Goanum aluerat, laboribus Religio christiana in India ita propagata fuit, ut in pluribus urbibus, velut Cochini et Meliapuri, sedes episcopales, Goae vero metropolitica sint erectae [1].

33. *Iulius III, Pontifex* (*an.* 1550)—Quum Paulus Pp. III, IV° idus novembris 1549, obiisset, Sedes Apostolica propter diversas cardinalium sententias vacavit usque ad VI idus februarii 1550, quo electus fuit Ioannes Maria de Monte, Aretinus, cardinalis episcopus Praenestinus, qui sibi nomen Iulii III adscivit. Is concilii Tridentini celebrationem, quae erat suspensa, instauravit; Anglos sub Maria regina, quae post Eduardum VI regnum accepit, ad Ecclesiae unionem reducere studuit; *Thalmud* librum Hebraeorum [*], et hae-

---

[1]) Cavazzi, *Descrizione de' tre regni, Congo, Matamba e Angola*, gallice versum a Labat sub titulo: *Rélation historique de l'Ethiopie occidentale.*

[2]) I. P. Maffei, *Hist. Ind. ll. XII.*

[1]) S. Francisci Xaverii *Epistolarum ll. V*; H. Tursellinus, *Vita s. Francisci Xaverii*; I. P. Maffei, loc. cit.

[*]) Vid. *Bullarii* t. I, Constitut. 24, ubi etiam adiicit, *Hebraeos in memoriam Passionis Domini-*

reticorum libros legi prohibuit sub poenis ecclesiasticis; societatem Iesu confirmavit multisque privilegiis ornavit; Romae clericorum Germanorum collegium condidit, cui s. Ignatium praefecit,—ut educati in eo Germani bonae indolis adolescentes, ac deinde Germaniae Ecclesiis praepositi, labantem in illa regione catholicam Fidem sustinerent, eversamque restituerent;—Ecclesiam rexit usque ad annum 1555 [1].

34. *Concilii Tridentini periodus II* (*an.* 1551-52)—Iulius III, postulante Carolo imperatore V, ad concilium generale in urbe Tridento instaurandum calendis decembris 1550 Romae bullam dedit, qua patriarchas, archiepiscopos, episcopos, omnesque alios, qui de iure vel consuetudine vel privilegio conciliis generalibus interesse debent, Tridentum convocavit ad resumendum ibi calendis maii 1551 generale concilium. Hac ipsa die sess. XI[a], quae est I[a] sub Iulio III, celebrata fuit, praesidentibus vice Pontificis Marcello cardinali Crescentio, Sebastiano Piglino, archiepiscopo Sipontino, et Aloysio Lippomano, episcopo Veronensi. In ea sessione lecta sunt Pontificis decreta de resumendo concilio, hocque legitime resumptum esse declaratum, deinde indicta fuit sessio futura pro calendis septembris. Sess. XII[a], habita praedicta die, concilium laudes Deo reddidit de archiepiscoporum electorum Moguntini et Trevirensis aliorumque inclytae nationis Germanicae episcoporum adventu; cumque plurimi alii tum Germanicae, tum aliarum nationum episcopi expectarentur, sessionem prorogavit usque ad V idus octobris. Sess. XIII[a], dicta die habita, edita sunt 2 decreta, quorum prius continet 8 capita de reali D. N. Iesu Christi in ss. Eucharistiae Sacramento praesentia, de institutione huius Sacramenti, de eius excellentia, de transubstantiatione, de cultu et veneratione huius Sacramenti, de eius asservatione et ad infirmos delatione, de digna eiusdem perceptione et admirabili usu; deinde contrarii haereticorum errores 11 canonibus cum anathemate damnantur; posterius decretum de reformatione complectitur 8 capita, praesertim de clericorum et episcoporum causis. Praeterea cum protestantes Germaniae securum ad concilium accessum, et liberam in eo audientiam postulassent, concilii Patres, qui eorum adventum ante multos menses magno desiderio expectarant, omnibus et singulis universae Germaniae personis, cuiusvis status et conditionis, securum accessum ad concilium et libertatem in eo conferendi, proponendi et tractandi decreverunt. Sess. XIV[a], habita VII calendas decembris, primo 9 capitibus exposita fuit Ecclesiae doctrina de necessitate et institutione Sacramenti poenitentiae, de illius cum Baptismo differentia, de eius partibus et fructu, de contritione, confessione, ministro et absolutione, de casuum reservatione, de necessitate, fructu et operibus satisfactionis; postea 3 capitibus declarata fuit doctrina de sacramento Extremae Vnctionis, de illius institutione, effectu et ministro; haereticorum vero errores contra doctrinam catholicam de utroque sacramento 19 canonibus damnati sunt. Deinde editum fuit decretum reformationis continens 14 capita, quae initiandos sacris Ordinibus, clericorum habitum, beneficia ecclesiastica, ius patronatus, aliaque spectant. Quum autem Ordines protestantes Germaniae concilio supplicassent, ut decretorum publicationem differret usque ad theologorum suorum adventum, concilii Patres sessionem XV, habitam VIII calendas februarii 1552, prorogarunt usque ad XIV calendas aprilis, et novum atque ampliorem salvum-conductum omnibus ad concilium venturis concesserunt, confidentes fore ut protestantes propediem advenirent, seque decretis concilii subiicerent. Spes concilium fefellit. Sess. XVI[a], celebrata IV calendas maias, cum propter enatum in Germania bellum episcopi Germani, praesertim principes electores Tridentum deseruissent, concilii celebratio ad biennium suspensa fuit, quae suspensio 10 prope annis duravit [1].

35. In Germania rerum ecclesiasticarum ac publicarum status magis magisque turbatus est. Mauritius, elector Saxoniae, abusus gratia Caroli V, quam sibi sua calliditate captarat, an. 1551 cum quibusdam principibus Germanis et Henrico II rege Galliae, qui an. 1547 Francisco I patri suo successerat, belli societatem clam iniit contra Carolum V. Anno 1552 Mauritius exercitum, celeriter collectum, duxit contra imperatorem, OEniponte morantem, qui, nil tale suspicatus, ad fugam adactus est. Eodem tempore Henricus rex Galliae Germaniam armata manu invasit, et 3 episcopatus Lotharingicos, praemia auxilii

cae a sancta Matre Ecclesia tolerari, ut aliquando mansuetudine nostra allecti ad verum Christi lumen, divino afflante Spiritu, convertantur.

[1]) Raynald. et Spondan. ad an. 1550-55.

[1]) Labbe, *Concil.* t. XIV, p. 793-1133; Pallavicini *Hist. Concil. Trid.*

protestantibus praestiti, tulit. Ferdinandus vero rex Hungariae, frater Caroli V, Turcarum armis ubique succumbebat.

Pax Augustana — In his angustiis imperator ad indecoram pacem cum protestantibus ineundam compulsus est. Primo quidem in transactione, an. 1552 Passavii facta, statutum est, ut abhinc pax esset catholicos inter et protestantes, in proximis comitiis sollemniter firmanda et usque ad perfectam dissensionis religiosae compositionem, vel, si ea effici non posset, perpetuo duratura. Demum an. 1555 in comitiis, Augustae habitis, protestantes desideriorum suorum compotes facti sunt. In iis enim statutum est, ut Confessionistae seu confessioni Augustanae addicti aeque ac catholici plena religionis libertate et aequalibus iuribus gauderent, bona ecclesiastica, hactenus occupata, retinerent, et ab episcoporum iurisdictione essent immunes; ut qui in statibus ecclesiasticis confessioni Augustanae nunc adhaerebant, sive nobiles, sive urbes, sive aliae communitates, ad eam deserendam non compellerentur; ut in liberis imperii urbibus, in quibus hactenus utraque, vetus et nova, religio viguerat, is status perduraret [1]. Hanc pacem, quae ab urbe in qua confecta est, Augustana dicitur, protestantes appellant religiosam, et velut libertatis suae columnam praedicant.

36. *Marcellus II, Paulus IV, Pontifices* (*an.* 1555) — Eodem anno (1555) VIII calendas aprilis obiit Iulius III, in cuius locum V idus eiusdem mensis concordibus suffragiis electus est Marcellus II, antea dictus Marcellus Cervinus Politianus, prudentia, doctrina ac morum integritate spectatissimus, fulgens adhuc legatione ad Concilium Tridentinum Pauli III nomine. At communem laetitiam magnamque spem, quam electio eius omnibus fecerat, abrupit praepropera mors, quam, apoplexia correptus, pridie calendas maias subiit. Nomen non mutaverat ductus pietate erga inclytum Pontificem et martyrem s. Marcellum I [*]. In eius locum X calendas iunii suffectus fuit Paulus IV, Neapolitanus, antea appellatus Ioannes Petrus cardinalis Carafa, episcopus Theatinus, a quo clerici Regulares, quorum cum s. Caietano fuit institutor, Theatini cognominantur, ut supra diximus [1].

Hic Pontifex conservandae et vindicandae in toto orbe christiano orthodoxae fidei summas curas impendit. In hunc finem ad diversos principes legationes misit; Congregationem S. Officii seu Inquisitionis, a Paulo III institutam, confirmavit et maiori auctoritate donavit. — Cum propter severitatem metui se nimium animadvertisset, initio lautum se ac magnificum praebuit, postea ita se gessit, ut et Cleri sapiens censor, et Cardinalium prudens emendator, ac deliciae Romani populi haberetur, atque ob eam causam ei statua poneretur in Capitolio [*]. Elaborandum curavit Indicem librorum prohibitorum seu perniciosorum, cuiusvis argumenti vel auctoris essent: eosque sub poena excommunicationis, ipso facto incurrendae et R. Pontifici reservatae, privationis omnium munerum et perpetuae infamiae, legi ac retineri vetuit. Festum Romanae Cathedrae s. Petri iam exoletum revocavit, ac praecepit XV calendas februarii celebrari, professus se id facere haereticis refellendis, qui negarent aliquando Romae fuisse Apostolorum Principem [2]. — In India ecclesiam Goanam, hactenus Olisipponensis suffraganeam, dignitate et iuribus metropoliticis auxit; in Cochino aliisque urbibus episcopatus instituit et Goanae metropoli subiecit. In Belgio, postulante Philippo II, qui an. 1555 patri suo Carolo V in Hispaniae, Siciliae et Belgii regnis successerat, 14 novos episcopatus superaddidit 4 antiquis, Cameracensi, Vltraiectensi, Tornacensi et Atrebatensi; 3 creavit metropoles, nimirum Mechli-

---

[1]) Goldast. *Constitut. imper.* t. II, p. 566.

[*]) Paulo ante Marcellum II Hadrianus VI pristinum *Hadriani* nomen retinuit, ductus virtutibus et fama Pontificum eius nominis. Quare inepte P. Suavis miratur Marcellum suum non mutasse nomen, idque novum et inusitatum reputat. Ineptum quoque obtrectatorem se prodit, cum morem nominis mutandi, quem Romani Pontifices habent, ambitiosum dicit. Verum ipse ignorare haud poterat, *Fratres* ipsos, qui quidem *humilitatem* eximiam profitentur, eumdem morem sequi. Et revera advertit Baronius, ad an. 1009, § 3, et confirmat epitaphium Sergii IV, apud eumdem auctorem, ad an. 1012, § 1, humilitate non superbia Romanos Pontifices nominis mutandi morem servasse. Profecto Sergius IV, omnium primus, cum Petrus appellaretur, nomen mutavit, eo quod non auderet, nomen gerere Apostoli Petri, quem Christus ipse primum suum in terris vicarium constituerat.

[1]) Vid. p. 141.

[*]) Quum in corrigendis abusibus Paulus IV quandoque severitate usus fuisset, post eius obitum hanc statuam deiecerunt improbi homines, ob confirmatum ab eo auctumque auctoritate tribunal Inquisitionis sacrae. Deiectam reposuit Clemens XI et basim subea collocavit, inscripsitque: *Paulo IV Pont. Max. scelerum vindici integerrimo, Catholicae Fidei acerrimo propugnatori.* Vid. Raynald. et Spondan. ad an. 1555-59.

[2]) Vid. Sandini, *Disput. Historic.* III *De Cathedra D. Petri Romana.*

niensem, quam etiam primatialem voluit, cuique Antverpiensem, Gandavensem, Brugensem, Iprensem, Ruremundensem et Buscoducensem; Cameracensem, cui Tornacensem, Atrebatensem, Audomarensem, et Namurcensem; Vltraiectensem, cui Halemensem, Daventriensem, Leovardiensem, Groningensem et Mildeburgensem episcopatus subiecit; ius nominandorum ad eas sedes episcoporum concessit Philippo regi eiusque successoribus. Ad reformandos mores et corrigendos abusus varias constitutiones edidit. Iudaeos, in Ecclesiae ditione degentes, in secretis a christianorum habitatione locis vivere et indumenti genere, quo dignoscerentur, uti iussit; adiecit praeterea, ut unicam solum in singulis civitatibus synagogam haberent, nutrices, ancillas aut famulos christianos non acciperent. Nepotes Carafas, insolentius Romae agentes, Vrbe eiecit, lata in eosdem, si eam repeterent, perduellionis poena. Rexit Ecclesiam usque ad annum 1559.

37. *Antitrinitarii* — Quousque autem protestanticum principium de s. Scriptura, reiectis traditione et auctoritate Ecclesiae, ex se sola a quovis interpretanda abducat; enatae inter ipsos novatores factiones, praesertim Antitrinitariorum, docuerunt. Hi principio illo utentes, textus sacros, hactenus de divinitate Christi et Spiritus S. intellectos, in alios sensus interpretati sunt, et dogma catholicum de ss. Trinitate negarunt, quamquam caeterum in eo, quid esset Christus et Spiritus S. inter se admodum dissentirent. Ex illis princeps fuit Michaël Servetus, an. 1509 Villaenovae in Aragonia natus, qui notionibus, quas sibi e philosophicis, medicis et theologicis studiis compararat, inflatus, veram Christi religionem a se restituendam iactabat, et Galliae, Germaniae, Helvetiae atque Italiae regiones visitans, magna cum vehementia doctrinam de ss. Trinitate impugnavit. Viennae in Gallia propterea in carcerem coniectus est. Quum inde elapsus, per Genevam se reciperet in Italiam, iussu Calvini, quocum antea de eadem doctrina disputaverat, interceptus et a magistratu Genevensi propter haereses et blasphemias igne damnatus est an. 1553. Similem sortem experti sunt aliquot alii eiusdem generis viri. Nonnulli, inter quos fuit Ochini, quondam generalis Capucinorum vicarius, confugerunt in Poloniam, ubi sub rege Sigismundo Augusto maior quam alibi religionis libertas vigebat. Illic plures in partes suas pertraxerunt, qui postquam per aliquod tempus caeteris acatholicis, lutheranis et calvinistis, permixti fuissent, an. 1565 in conventu Petricoviensi se ab iis separarunt et peculiarem abhinc coetum efformarunt. Eodem tempore impiam haeresim in Transylvaniam intulit Blandrata medicus. Quamvis isti a diversis urbibus, in quibus coetus habuerunt, diverse in Polonia appellati sint, ipsi tamen a primario suo dogmate de unica persona divina Vnitarii dici maluerunt [1]. Postea haeresim celebrius propagavit Faustus Socinus, a cuius nomine huius haeresis sectatores dicti sunt Sociniani.

38. *Religionis status in Anglia sub Maria* — Vidimus nuper, quis fuerit Religionis status in Anglia sub Eduardo rege VI [2]. Cum is an. 1553 obiisset, regnum accepit Maria, Henrici VIII e Catharina Aragonia filia, quae a matre in catholica Religione educata, hanc in regno suo restituendam in primis curavit. Reginae studiis in abolendis haeresi et schismate supremus regni senatus obsecutus est. Confestim episcopi et proceres, religionis causa exules vel carceribus detenti, restituti sunt, acatholicis potestas praedicandi librosque edendi adempta, omnes extranei, qui nec publicam personam gererent, nec regnicolarum iuribus donati essent, regno exire iussi, qua occasione plura haereticorum millia Angliam deseruerunt.

Iulius Pp. III a Maria regina pro reconciliandis Anglis cum Sede Apostolica interpellatus, an. 1554 ad eam cum plena potestate legavit Reginaldum Polum, regia Anglorum familia oriundum, qui sub Henrico VIII patriam relinquere coactus, propter obsequia abhinc Apostolicae Sedi praestita ad cardinalatus dignitatem fuerat evectus. Is in comitiis publicis nationi, per ordines suos supplicanti et schisma ac haeresim abiicienti, sollemnem absolutionem et reconciliationem cum Ecclesia impertivit, omnes leges, contra Religionem et Sedem Apostolicam latas, revocari mandavit, iniustos bonorum ecclesiasticorum possessores pro pacis et unionis bono promisit non fore inquietandos, episcopatus ab Henrico VIII erectos, sacras Ordinationes tempore meri schismatis peractas, matrimonia contra leges ecclesiasticas inita, rata habuit; quae omnia confirmavit Paulus Pp. IV.

---

1) Raynald. *Annal. eccl.*; Natal. Alex. *Hist. eccl.* saec. XVI, c. II, a. 13.

2) Vid. p. 147-48.

Postquam in ordinum comitiis veteres contra haereticos leges fuissent instauratae, ab an. 1555 severius in haereticos animadversum est etiam ignis supplicio, quod inter alios Crammerus ceu perduellis et haereticus subiit an. 1556. Hanc tamen severitatem non probavit cardinalis Polus, qui primatiali ecclesiae Cantuariensi praefectus, magna cum prudentia mala Religioni illata reparare, disciplinam in clero et populo instaurare, Academias reformare, antiqua instituta et pias consuetudines restituere conatus est. Verum quo minus omnia ista restituendi Religioni priscum splendorem conamina plenum et stabilem effectum consequerentur, impedivit mors Mariae reginae et cardinalis Poli, qui ambo an. 1558 decesserunt [1].

39. *Religionis status in Gallia* — In Gallia, non obstante Francisci regis I, episcoporum et sacrae Facultatis Parisiensis sollicitudine de conservanda Fidei integritate, lutheranae et calvinianae novitates progressum fecerunt. Anno 1547 Francisco I successit Henricus II, filius eius, qui ad patris exemplum novitatum religiosarum progressiones edictis sat severis reprimere conatus est; sed haec non impedivere, quo minus calvinianae religionis sectatores continuo multiplicarentur. Profuit iis vicina Geneva, unde doctores et scripta affluebant; profuerunt etiam continua Henrici II cum regibus Angliae et Hispaniae bella, propter quae edicta contra haereticos negligentius executioni mandabantur. Ex ipsis regni proceribus plures novitatibus religiosis adhaeserunt, inter quos celebriores erant Antonius Borbonicus rex Navarrae, eius frater Ludovicus princeps Condaeus, Gasparus de Coligni praefectus classis navalis, eiusque frater Franciscus summus belli dux. Quamvis ab initio novatores in Gallia plerique sentirent cum Luthero, tamen placita calviniana praevaluerunt. Iam numero et viribus aucti, an. 1559 Parisiis synodum celebrarunt, in qua secundum Calvini placita fidei confessionem et ecclesiasticam disciplinam composuerunt. Eodem anno obiit Henricus rex II.

Sub Francisco II, qui Henrico patri suo successit, principe iuveni et infirmo, regimen maxima e parte fuit apud fratres Guisios, Franciscum ducem et Carolum cardinalem. Id aegre tulerunt principes Borbonici. Guisii pro studio, quo in Religionem catholicam ferebantur, Hugonotis (hoc fuit Calvinistarum in Gallia nomen) sacros conventus severe interdixerunt. An. 1560 plurimi nobiles Hugonoti duce Ludovico principe Condaeo Ambaciae coniurationem inierunt ad transferendum a Guisiis ad Borbonicos regimen et tutandam in universo regno novam religionem. Coniuratione detecta, multi eius participes debitas poenas luerunt; verumtamen propter nimis auctum haereticorum numerum poenae contra eos ab hoc tempore mitigatae fuerunt.

Francisco II, an. 1560 defuncto, successit Carolus IX eius frater minorennis, regni vero administrationem accepit regina mater Catharina Medicea. Haec administrationis conservationem ipsius Religionis protectioni anteponens, utrique parti, Guisiis et Borbonicis, Catholicis ac Hugonotis, aeque favere voluit. Posteriores patrocinio, quod sibi obtigerat, iam adeo insolescebant, ut non tantum publicos conventus sacros agerent, consistoria et synodos instituerent, sed etiam catholicis ecclesias vi eriperent, sacras Imagines et cruces destruerent, clericos domibus, fundis, aliisque bonis et redditibus privarent, magistratus catholicos in locis, ubi praevalebant, deponerent, suosque iis substituerent. An. 1561 regina mater secundum novatorum consilia ad procurandam in religionis negotio concordiam sollemne colloquium seu disputationem episcopos et doctores inter et pseudoreformationis ministros Poissiaci indixit. Ministri acatholici petierunt et impetrarunt, ut rex cum regina matre et regii sanguinis principibus colloquio praesideret, controversiae e sola Scriptura dirimerentur, episcopi non ut iudices, sed ut collocutores in eo sederent. Sacra Facultas Parisiensis et alii plures eiusmodi colloquium aegre tulerunt, quod in eo ministris errores suos defendendi summa daretur libertas, unde in multorum animis dubia de catholicis dogmatibus nasci possent. Colloquium habitum fuit mense septembri per plures dies. Adfuerunt praeter regiam familiam et proceres 6 cardinales, 40 circiter episcopi et selecti doctores, 12 ministri acatholici cum 22 calvinianae religionis deputatis. Inter theologos disputatores praecipui fuerunt Claudius Espencaeus, doctor Sorbonicus, ex parte Catholicorum; et Theodorus Beza e parte Hugonotorum. In hoc colloquio catholica veritas quidem egregie fuit vindicata: sed haeretici errores suos non abiecerunt, imo eos maiori audacia propugnarunt.

An. 1562 regina mater edicto, quod a mense, quo conditum est, Ianuarium nuncupatum

---

[1]) Sander., *De schismate Angl.*

fuit, Hugonotis concessit, ut extra urbes sacros conventus, conciones, publicas preces habere possent. Ista reginae indulgentia Catholicis graviter displicuit, neque Hugonotis, in dies plura et aequalia cum illis iura poscentibus, satisfaciebat. Eodem an. 1562 Ludovicus Borbonicus, princeps Condaeus, belli civilis classicum cecinit. Hugonoti eo duce arma capessiverunt, Aureliam, Rothomagum, Lugdunum, Turones, aliasque plures urbes occuparunt, in quibus sacrae aedes eversae et direptae, imagines confractae, Ssrum sepulcra violata et reliquiae exustae sunt. Catholicorum duces erant Franciscus dux Guisius, A. Montmorentius magister equitum et Antonius Borbonicus rex Navarrae, ex hugonoto catholicus. Multa praelia commissa fuerunt, inter quae celebriora sunt Drocense an. 1562, St-Dionysianum 1567, Iarnacense et Moncontoriense 1569. His praeliis victi quidem, sed non domiti fuerunt rebelles. Interim regina mater saepius concordiam inter utramque partem componere tentavit. Plures pacis tractatus editi sunt, sed neutri parti iis fiebat satis. Anno vero 1570 post praeclarissimam apud Moncontorium in Pictonibus victoriam, a Catholicis de Hugonotis relatam, novus pacis tractatus in regio concilio confectus est, qui Pium V pontificem et catholicos multum contristavit. Per istum enim tractatum praeter praeteritorum oblivionem calvinistis concessa sunt liberum religionis suae exercitium, iurium civilium cum catholicis aequalitas, facultas omnibus muneribus publicis fungendi, et quatuor securitatis civitates, nimirum Rupella, Montalbanum, Cognacum et Charitaeum [1].

Hugonotis Galliae opem potentem tulit Ioanna Albretia, regina Navarrae, quae una cum coniuge suo Antonio Borbonico calvinianam religionem, relicta catholica, susceperat, sed conversionem eius non est imitata; contra filium suum Henricum, principem Benearniae, ad haeresim amplectendam et bellum contra catholicos Galliae prosequendum excitavit, catholicos Benearnienses multis modis vexavit, sacerdotes et monachos eiecit, Religionis catholicae exercitium in omni Benearnia proscripsit. Obiit an. 1572.

40. *Pius IV, Pontifex* (*an.* 1559) — Interea Paulus IV, xv° calendas septembris 1559 decessit, et VII calendas ianuarii 1560 summo cardinalium consensu pontifex creatus fuit

[1]) Belcar. *Commentar.* l. 22-29; Fontanon, *Collect. edict. reg.* t. IV.

Ioannes Angelus Mediceus, Mediolanensis, presbyter cardinalis, vir aetate et usu doctus, qui sub nomine Pii IV die festo Epiphaniae coronatus est, atque Ecclesiam rexit usque ad annum 1565. Is concilium Tridentinum, per annos fere 10 intermissum, instauravit data III calendas decembris 1560 bulla *Ad Ecclesiae regimen*, qua illud in proximo Dominicae Resurrectionis festo Tridenti resumendum indixit, omnes patriarchas, episcopos aliosque qui de iure aut consuetudine concilio interesse debent, ad illud evocavit; reges quoque et principes etiam acatholicos ad idem invitavit, - et novem sessionibus absolutum emisso diplomate confirmavit. Approbavit etiam Indicem librorum ab selectis eiusdem Oecumenici concilii Patribus confectum. Instituit Congregationem octo Cardinalium, qui eiusdem Synodi decreta executioni mandanda curarent, eidemque Congregationi potestatem fecit etiam interpretandi ea, quae ad morum interpretationem pertinerent. - Ferdinando I, cui Carolus V an. 1556 imperium cesserat, quique a septemviris receptus, anno 1558 Francofurti fuerat inauguratus, dignitatem imperialem confirmavit. Sigismundum regem Poloniae, in qua haeretici libere agebant, et episcopos litteris excitavit, ut causam Fidei adversus novitates fortiter agerent. Maximilianum regem Bohemiae, in Fide fluctuantem, per doctissimum Hosium, episcopum Warmiensem, in eadem confirmavit. In America, propagata latius catholica fide, novos episcopatus instituit, quos congruis subsidiis donavit Philippus II rex Hispaniae. In Carafas, decessoris sui propinquos, ab ipso Paulo urbe eiectos, tanquam laesae maiestatis et perduellionis reos severe animadvertit. Constitutiones varias pro curiae et conclavis reformatione edidit [1]. Biennio post Concilium Tridentinum, scilicet IV idus decembris 1565, obiit. — Ei morienti adfuere duo sanctissimi viri Philippus Nerius, et Carolus Cardinalis Borromaeus sororis filius, qui etiam Ecclesiae sacramenta ipsi administravit [*].

41. *Concilii Tridentini periodus III* (*an.* 1562-63) — Concilium Tridentinum ad diem festum Paschatis 1561 indictum, non nisi XV calendas februarii 1562 fuit inchoatum.

[1]) Raynald. et Spondan. ad an. 1559-65.

[*]) Refert Spondanus, ad an. 1556, § 11, quod altero anno huius Pontificis mortuus est Mediolani Iosephus Fernensis ex Ordine Capuccinorum, quem fuisse volunt auctorem et institutorem utilissimae Orationis *Quadraginta Horarum*.

Hac die praesidentibus Pii IV legatis sessio XVII celebrata fuit, qua declaratum est, concilium secundum bullam Pii Pp. IV, sublata quacumque suspensione, continuari, ad sedandas de Religione controversias, ad corrigendos depravatorum morum abusus, et conciliandam Ecclesiae veram et christianam pacem. Sess. XVIII[a], habita IV calendas martii, ad avertenda mala, quae e perniciosis libris oriuntur, delecti sunt Patres, qui, quod de iis constituendum esset, ad concilium referrent. Praeterea omnes, a communione Ecclesiae aberrantes, ad concilium et reconciliationem invitati sunt, et publica securitas seu salvus-conductus eisdem concessus. Sess. XIX[a], indicta pridie idus martii, prorogata fuit pridie nonas iunii. Sessio XX[a], convocata pro hac die, pariter prorogata fuit postridie idus iulii, tum quod quorumdam principum etiam protestantium legati, magnusque episcoporum Galliae numerus expectarentur, tum quod de reformationis obiectis quaestiones amplae essent exortae. Sess. XXI[a], habita postridie idus iulii, duo edita sunt decreta, priori, quod continet 4 capita, declaratur, laicos et clericos non conficientes, non adstringi iure divino ad communionem sub utraque specie; Ecclesiam e gravibus et iustis causis approbasse consuetudinem communicandi sub altera specie; totum et integrum Christum, verumque sacramentum sumi sub qualibet specie, ac propterea nulla gratia necessaria ad salutem defraudari eos, qui unam speciem solam accipiunt; parvulos, usu rationis carentes, ad communionem sacramentalem non obligari. Errores huic doctrinae oppositi, 4 canonibus damnantur. Alterum decretum de reformatione continet 9 capita, quibus mandatur, ut sacri Ordines, dimissoriae et testimoniales litterae gratis conferantur, ordinandi habeant titulum beneficii aut patrimonii, beneficiati resideant, sacramenta a convenienti sacerdotum numero exhibeantur, imperitis rectoribus vicarii deputentur, et in scandalo perseverantes beneficiis priventur, ecclesiae, quae reparari nequeunt, cum oneribus transferantur, commendata monasteria, in quibus non viget regularis observantia, et beneficia quaecumque quotannis ab Ordinario visitentur, indulgentiae et gratiae spirituales publicentur ab Ordinariis. Sess. XXII[a], celebrata XV calendas octobris, editum est decretum dogmaticum de sacrificio missae, nimirum de eius institutione, quod sit propitiatorium pro vivis et defunctis, de missis in honorem Ssrum, de canone missae, de sollemnibus missae caeremoniis, de missa in qua solus sacerdos communicat, de aqua vino miscenda, de missa non celebranda passim lingua vulgari, et de explicandis populo eius mysteriis. Errores contrarii 9 canonibus damnantur. Accedit decretum de observandis et evitandis in celebratione missae. Deinde pro reformatione editum est decretum continens 11 capita, nimirum de vita et honestate clericorum, de iis qui ad ecclesias cathedrales assumendi sunt, de quotidianis distributionibus, de iis, qui vocem habent in Capitulo, de dispensationibus extra R. Curiam committendis episcopo, de circumspecta ultimarum voluntatum commutatione, de observando circa appellationes decreto Innocentii IV, de executione piarum dispositionum, de piorum locorum visitatione et administratione, de notariis et occupatoribus bonorum ecclesiasticorum. Sess. XXIII[a], habita idibus iulii 1563, doctrina catholica de sacramento Ordinis, de ecclesiastica hierarchia et ordinatione 4 capitibus exposita fuit, et errores contrarii 8 canonibus damnati. Deinde conditum est decretum reformationis continens 18 capita, in quibus rectorum ecclesiarum in residendo negligentia coërcetur et animarum curae provideatur; praecipitur, ut praefecti ecclesiis intra 3 menses consecrentur, episcopi extra aegritudinem per se Ordines conferant; decernitur, qui prima tonsura, qui sacris Ordinibus sint initiandi, quae aetas ad beneficium ecclesiasticum requiratur, qui privilegio fori gaudeant, qualiter examinandi sint ordinandi, quomodo et a quo unusquisque promoveri debeat, quae interstitia, aetas et alia praecepta in susceptione Ordinum sint observanda; praescribuntur varia de approbatione Ordinarii pro audiendis confessionibus et de ratione erigendi seminaria. Sess. XXIV[a], celebrata III idus novembris, explicata fuit doctrina catholica de sacramento Matrimonii, et novatorum errores 12 canonibus damnati. Accedit decretum de reformatione matrimonii, de eius sollemnitatibus, impedimentis, libertate, tempore clauso, de raptoribus, vagis, concubinariis. Sequitur decretum de reformatione, continens 21 capita, scilicet de norma creandi episcopos et cardinales, de celebrandis synodis provincialibus et dioecesanis, de visitatione dioeceseon, de ratione praedicandi verbum Dei, de cognitione causarum, de episcoporum potestate in irregularitatum et suspensionum dispensatione et criminum absolutione, de poenitentiario in ec-

clesiis cathedralibus instituendo, de iis qui promovendi sunt ad dignitates et canonicatus ecclesiarum cathedralium, de modo consulendi tenuioribus ecclesiis cathedralibus et parochiis, harumque circumscriptione, de ratione augendi tenues praebendas, de munere Capituli sede vacante, de modo conferendi beneficia et non retinendi plura, de nominando vicario pro parochia vacante et de forma examinandi parochos, de ratione tractandi causas ad forum ecclesiasticum pertinentes. Sess. XXV^a et ultima, coepta 2° et absoluta pridie nonas decembris, exposita fuit Ecclesiae doctrina de Purgatorio, de invocatione, veneratione et reliquiis Ssrum et de ss. Imaginibus. Deinde editum est decretum de reformatione regularium et monialium continens 22 capita, et aliud decretum de reformatione, quod complectitur 21 capita. Postremo condita sunt decreta de Indulgentiis, de delectu ciborum, ieiuniis et diebus festis, de Indice librorum prohibitorum, catechismo, breviario et missali, de loco oratorum, de recipiendis et observandis decretis concilii, de fine concilio imponendo et confirmatione petenda a Pontifice [1].

Ita concilium Tridentinum, idibus decembris 1545 sub Paulo III coeptum, pridie nonas decembris 1563 sub Pio IV confectum est. — VII calendas februarii 1564 Pius IV in sollemni cardinalium consistorio omnia et singula, quae in Tridentino concilio tam sub decessoribus suis Paulo III et Iulio III quam pontificatus sui tempore decreta et definita fuerant, apostolica auctoritate confirmavit, et ab omnibus Christifidelibus recipi et inviolabiliter observari mandavit. De qua confirmatione idem Pontifex eadem die bullam promulgavit, praecipiens, ut Concilii decreta ab omnibus observarentur, cavensque, ne quis sine Pontificis auctoritate ullos commentarios, glossas aut annotationes super eisdem decretis edere praesumeret. Altera bulla edita XV calendas augusti declaravit tempus, quo concilii decreta, ad reformationem et ius positivum dumtaxat spectantia, obligare inciperent. Praeterea instituit congregationem 8 cardinalium, qui decreta concilii executioni mandanda curarent. Approbavit etiam Indicem librorum prohibitorum, a selectis Patribus in concilio confectum [1].

Concilium Tridentinum, quantum ad Fidei definitiones spectat, ab omnibus ubique catholicis unanimiter receptum est, et tanquam norma credendorum habitum. Quantum ad eius decreta de reformatione pertinet, ea etiam recepta et publicata sunt in Italia, Sicilia, Venetorum republica, Lusitania, Hispania, Belgio, in insulis subditis Lusitaniae et Hispaniae regibus, in catholicis Germaniae regionibus et provinciis haereditariis familiae Austriacae, in Polonia. In Gallia quidem legalis decretorum promulgatio locum non habuit, attamen pleraque in conciliis provincialibus recepta et promulgata fuerunt [2].

42. *Pius V, Pontifex* (*an.* 1566) — Pio Pp. IV e vivis sublato IV idus decembris anni 1565, VII idus ianuarii anni sequentis subrogatus fuit Michaël Ghislerius, Insuber, Ordinis Praed., ex episcopo Nepesino et Sutrino archiepiscopus Montis-Regalis et R. E. cardinalis presbyter, qui nomen Pii V assumpsit. Hic Pontifex vitae sanctitate, catholicae Religionis studio, rebusque praeclare gestis claruit. Causam Carafarum, in quos Pius IV severe animadverterat, retractari iussit, et post diligentem illius discussionem eorum memoriam in integrum restituit. Curiam reformavit, pravasque consuetudines sustulit. Iudaeos ex ecclesiastica ditione, Roma et Ancona exceptis, discedere iussit. Omnem curam adhibuit, ut Tridentini concilii decreta ubique gentium reciperentur et executioni mandarentur. Catechismum e Tridentino decreto editum, Breviarium et Missale ex eiusdem Concilii praescripto emendata appro-

---

[1]) Labbe, *Concil.* t. XIV, p. 1131 seq.; Pallavicini, *Hist. concil. Trid.*

De praelatis Belgicis et doctoribus Lovaniensibus, qui Concilio Tridentino interfuerunt, legi meretur dissertatio, quae inscripta est: *Memoire sur la part que le clergè de la Belgique, et specialement les docteurs de l' Vniversitè de Louvain ont prise au Concile de Trente,* par P. F. X. de Ram, recteur magnifique de l'Vniversitè cath. de Louvain, Bruxelles 1841, in *Nouveaux Memoires de l' Academie.*

---

[1]) Labbe, loc. cit. p. 939-55.

[2]) Cf Pallavicini, *Op. cit.* l. 24; L. Selvag. *Institut. canon.* t. I, tit. IV *de Conciliis*, § 22. Pro Belgio videsis *Dissertationem de gemino opusculo circa iura Belgarum*, quod cl.p.Stockmans adscribitur ad finem opusculi inscripti: *Acta Z. B. Van Espen*, Mechlin. 1827; item, *Synodicon Belgicum* cura P. F. X. de Ram, t. I, p. 3-28. Pro Gallia legesis *Dissertation sur la réception du concile de Trente dans l' Eglise de France* par l'abbè Boyer in suo *Examen du pouvoir lègislatif de l' Eglise sur le mariage*, Paris 1817; item, *Exposition de la conduite tenue par le clergé de France relativement à l'acceptation des decrets de discipline du Concile de Trente*, in *Echo des vrais principes*, t. II, p. 397.

bavit, caeteris prohibitis, quorum usus a prima institutione a Sede Apostolica vel legitima consuetudine 200 annorum non esset approbatus. Latinis sacerdotibus graeco et graecis latino ritu sacrificare et divina officia peragere prohibuit. Constitutiones varias edidit de divino cultu, festorum observantia, monialium clausura, cambiis illicitis, aliisque. Congregationum religiosarum reformationem promovit. Ordinem Humiliatorum, quorum emendationem tum ipse, tum Carolus Borromaeus, illius protector, frustra tentarant, suppressit. Michaëlis Baii propositiones, ut infra videbimus, damnavit. Mariam Stuart reginam Scotiae, quam Elisabetha Anglorum regina per summam iniuriam miserat in carcerem, paterno coluit affectu, Elisabetham vero, quae etiam acriter catholicos vexabat, anathemate perculit, Equitibus Melitensibus a Turcis ad angustias redactis auxilia suppeditavit [1]. Bellum sacrum contra Turcas excitavit, quo an. 1571 insignis victoria ad Echinadas insulas a Christianis relata est (quam divinitus didicit eadem hora, qua parta est). Carolum IX, regem Galliae, adversus Calvinistas seu Hugonotos bellum gerentem, milite et pecunia iuvit. In Americam et Indias apostolicam sollicitudinem explicuit, lectissimosque Fidei praecones e societate Iesu ad Iaponenses et Sinenses destinavit.—Anno 1568 Clericorum Regularium Somaschae Congregationem in Ordinum religiosorum numerum cooptavit. S. Thomam Aquinatem Ecclesiae Doctorem habendum iussit. Tandem vitam pie et caste traductam, sanctissimo fine clausit calendis maii 1572, a Clemente X Beatorum et a Clemente XI Ssrum numero adscriptus [2].

43. *Religionis status in Anglia sub Elisabetha*—In Anglia sub Maria regina catholicae Religionis exercitia restituta vidimus [3]. Verum illa an. 1558 sine liberis defuncta, Elisabetha, Henrici VIII ex Anna Bolena filia, regnum accepit, quae, proscripta catholica, novae religioni in Anglia stabiliendae 45 annos, quibus regnavit, consecravit. Artibus politicis instructa, quamvis a teneris unguiculis in nova religione instituta, ab episcopo Carleolensi ritu catholico inaugurari voluit, solitum iuramentum de fidei catholicae defensione, privilegiorum et libertatum ecclesiasticarum conservatione praestitit, suamque inaugurationem Paulo Pp. IV significavit. Iam pridem Apostolicae Sedi infensa, magisque offensa responso Pontificis, questi, quod, non obstante natalium vitio, regnum occupasset, abolendae Religioni catholicae manus adiecit.

Primo religionis seu cultuum libertatem subditis concessit, omnes acatholicos sub Maria prehensos dimisit, exulesque revocavit. An. 1559 regni Ordines convocavit, qui mira animi abiectione in omnem principum suorum voluntatem proni cuncta Mariae reginae acta et decreta pro catholica Religione abrogarunt, novae religionis formam et liturgiam, sub Eduardo VI introductam, restituerunt; Elisabetham eiusque successores pronuntiarunt supremos Ecclesiae gubernatores; eos plenissima in illa potestate instruxerunt, quam etiam per vicarios a se delectos exercere possent. Elisabetha e potestate sibi ab Ordinibus facta et ex eorum consensu creavit sic dictum altum tribunal ecclesiasticum, maxime e laicis compositum; episcopos, qui fere omnes ei tanquam supremo Ecclesiae capiti obedientiam iurare recusabant, custodiae tradidit et paulo post deposuit, eorumque loca acatholicis dedit; novum credendorum symbolum, continens 39 articulos, an. 1562 in Londinensi synodo acceptandum curavit; liturgiam Eduardi VI confirmavit. Caeterum Elisabethae symbolum erat calviniano symbolo simillimum; verumtamen hierarchiam archiepiscoporum, episcoporum, presbyterorum et diaconorum, canonicatus, archidiaconatus et decanatus conservavit; retinuit etiam festa Domini, Apostolorum et aliorum aliquot Ssrum, ieiunia, sacra clericorum vestimenta, externa Ecclesiae ornamenta, organa, cantum ecclesiasticum, aliosque nonnullos ritus catholicos; imo sacras Imagines et clericorum coelibatum aliquandiu conservavit: postea tamen in his communi novatorum desiderio cessit. Hanc religionis normam Elisabetha omnibus suis subditis obtrusit; in illos vero, qui avitae religioni inhaerebant, paulatim, etiam poenis severis, munerum ademptione, mulctis, carceribus, exilio, cruciatibus animadvertit; atque his modis maximam Anglorum partem ad novam religionem adegit.

Quum ea omnia audivisset Pius V, v° calendas maias 1570 bullam promulgavit *Regnans in excelsis*, qua declaravit, Elisabetham esse haereticam et usurpato regni Anglicani iure

———

[1]) Equites Hospitalarii s. Ioannis, ut vidimus p. 131, an. 1522 ex insula Rhodo eiecti, a Carolo V acceperunt insulam Melitam, unde Melitenses dicti sunt.

[2]) H. Catena, *Vita del gloriosissimo Papa Pio V*; A. Gabutii, *De vita Pii libri IV*; Bolland. *Acta SS.* t. I maii, p. 617.

[3]) Vid. p. 152.

(erat quippe spuria) privatam, subditos omni obsequii et fidei debito solutos, eos vero, qui haereticis illius innovationibus adhaerebant, anathematis sententiam incurrisse et ab Ecclesiae unitate esse praecisos. Id Elisabethae furorem in catholicos auxit. Multi catholici e clericorum, monachorum, nobilium, aliorumque statu et conditione, praeclara christianae constantiae specimina dederunt; plures patres Iesuitae, qui, Religioni suppetias laturi, in Angliam transierant, suppliciis necati sunt; et non vulgaria tantum supplicia, sed cruciatus, solis tyrannorum temporibus usitati, contra catholicos exerciti fuerunt [1].

44. *Puritani* — Caeterum inter ipsos acatholicos in Anglia scissio gravis orta est. Illi quippe, qui regnante Maria patriam reliquerant, et in Helvetia et alibi calvinistarum placita adoptaverant, nunc in Angliam reduces, formam religionis et ecclesiae, ab Elisabetha inductam, improbabant, quod multa ex hierarchia, liturgia et disciplina catholica retinuisset; doctrinae calvinianae strictius inhaerentes, religionem ab illis inquinamentis purgandam esse contendebant; unde Puritani dicti sunt, et quia sacris, publica auctoritate introductis, se non conformabant, regimenque ecclesiasticum e solis presbyteris compositum vellent, etiam Non-conformistae et Presbyteriani appellati sunt. Elisabetha eos, quod sacra a se introducta negligerent et separatos conventus agerent, primo mulctae subiecit, deinde praedicationis officio interdixit, carceris et exilii poenas contra eosdem decrevit, quosdam morte affecit. Sed his omnibus ad unionem cum ecclesia dominante adduci non potuerunt: contra dissidium, odium, postea etiam bellum illos inter et Episcopales seu Anglicanos aucta sunt [2].

45. *Religionis excidia in Scotia* — Eodem tempore, quo Elisabetha novam religionem in Anglia stabilivit, antiqua religio catholica e vicina Scotia eliminata fuit. In hanc terram anno circiter 1524 novarum doctrinarum rumor maxime ex Anglia pervenit. Eas propagare studuit Patricius Hamilton, abbas Fermensis, an. 1527 supplicio haereticis destinato affectus. Verumtamen seminatas ab eo novitates multi e clero inferiori, deinde etiam laici nobiles et viri litterati susceperunt. Quapropter David Beaton, an. 1539 ad regimen ecclesiae primatialis in Scotia, a s. Andrea compellatae, evectus, cum caeteris episcopis Iacobum regem V ad certum inquisitionis genus instituendum promovit. Iacobo rege an. 1542 defuncto, nova religio maiora incrementa cepit, quamvis Iacobus Hamilton, qui, Maria Stuarta, regis filia et haerede, adhuc infante, regnum administrabat, una cum Beatone archiepiscopo haereticorum conaminibus resisteret. Anno 1554 haereticorum machinationibus Iacobus Hamilton regni procurationem reginae matri, Mariae Lotharingae, cedere coactus fuit. Ex hoc tempore calvinianae doctrinae sectatores, numero et viribus catholicos superantes, sacros conventus palam egerunt, haereseos causa exules revocarunt, contra Religionem catholicam summa vehementia declamarunt, in Ssrum et Christi crucifixi imagines, reliquias, ipsosque sacerdotes frequenter violentas manus iniecerunt. An. 1559 praedicante et instigante Ioanne Knox, sacerdote apostata, in pluribus urbibus et in ipsa metropoli Edenburgo altaria, imagines, ornamenta ecclesiarum destructa, monasteria cum suis thesauris direpta, clerici, monachi, aliique pessime habiti sunt. Quum Maria regni procuratrix his violentiis se opponeret, dignitate sua fuit exuta. Anno 1560 regni Ordines congregati confessionem fidei, sibi a novatoribus oblatam, approbarunt, Religionis catholicae exercitium abrogarunt, contra eos, qui ter missae interessent, extremum supplicium, et contra illos, qui cum R. Pontifice communicarent, proscriptionem et exilium statuerunt.

Maria Stuarta, Iacobi V filia et Scotiae regina, nupserat Francisco II, Henrici II regis Galliae filio et an. 1559 successori. An. 1561 post Francisci mortem Maria Stuarta in Scotiam rediit, nupsitque Henrico cognato suo. Verum fanatici haeretici ne quidem permiserunt, ut in domestico reginae sacello missa celebraretur; Mariam continuis opprobriis vexarunt, et cum eamdem ad novam religionem suscipiendam perducere non possent, an. 1567 necis mariti sui falso accusatam deposuerunt, custodiae tradiderunt, Iacobum VI, eius filium, anno uno natum, regem crearunt, regnique administrationem dederunt Iacobo comiti Morraeo, reginae fratri spurio et haeresi studiosissimo. Maria Stuarta e custodia egressa, armis iura sua vindicare tentavit, sed superata, an. 1568 confugit in Angliam, ubi sub haeretica Elisabetha 18 annis

---

[1]) Sanderi continuator, *De schismate Angl.*; G. Cambden, *Annal. Britann.*

[2]) Pluquet, *Diction. des Hérés.*, art. *Angleterre* et *Presbytèriens.*

in custodia detenta, an. 1587, variis criminibus ei suppositis, capite plexa fuit[1].

Abrogata catholicae Religionis in Scotia professione, nova religio ubique secundum mentem formamque Calvini et Puritanorum seu Presbyterianorum introducta fuit[2].

46. *Religionis status in Germania et Belgio* — In Germania Lutherani post pacem Augustanam sacra sua libere exercuerunt[3]. Ferdinandus I, qui post fratris sui Caroli V abdicationem usque ad 1564 imperio potitus est, eiusque successor Maximilianus II, qui imperavit usque ad 1576, pacis studio novae religionis exercitium, quod impedire metuebant, tolerarunt. Protestantes horum principum indulgentia usi sunt ad religionis suae propagationem, etiam in iis civitatibus, quae hactenus fidem catholicam conservarant. Viennae et in aliis Austriae urbibus conventus suos libere celebrarunt, multosque in sectam suam pertraxerunt. At Rudolphus II, qui post Maximiliani obitum ab an. 1576 usque ad 1612 imperavit, novae religionis progressiones in Austria cohibuit, praedicatores haereticos e Vienna aliisque urbibus exire iussit, conventus sacros haereticorum prohibuit, neminem inter cives suscipi praecepit, nisi perseverantiam in catholica Religione promitteret, in Vniversitate Viennensi nullum ad gradus academicos promoveri voluit, nisi fidem catholicam professum. His aliisque modis Rudolphus protestantium progressus in Austria cohibuit[4].

In Belgio etiam sub Carolo V, non obstantibus huius principis edictis, protestantes multorum fidem corruperant. Philippus II, qui an. 1555 patri suo Carolo V in Hispania, Sicilia et Belgio successit, nullam haeresim in terris suis tolerans, mox patris sui leges contra haereticos in Belgio instauravit. Nihilominus eorum numerus continuo augebatur. Ex eorum cum vicinis Galliae Hugonotis seu Calvinistis relatione factum est, ut plerique a Luteranismo ad Calvini placita deflexerint. Philippus, ad tutandam Religionem contra haereticorum progressiones, an. 1559 ex auctoritate Pauli Pp. IV 14 novos episcopatus in Belgio erexit. Eodem anno provinciarum Belgicarum procurationem commisit sorori suae Margaritae, quae Octavio duci Parmensi nupserat. Hoc aegerrime tulerunt Guilielmus princeps Arausicanus, copiarum dux et Hollandiae ac Zeelandiae praefectus, et comes de Egmont Flandriae praefectus, qui ipsi procurationem Belgii ambiebant. Illi plerisque ex ordine nobilium in partes suas pertractis, an. 1565 cum haereticis foedus adversus Philippum II sancierunt, Belgasque ad rebellionem excitarunt. Haeretici, maxime Calvinistae, in Belgium accurrentes, in Flandria, Artesia, Brabantia, aliisque provinciis populum contra Religionem catholicam quasi idololatricam excitarunt, barbarica ferocia ecclesias et monasteria diripuerunt, altaria et imagines sacras destruxerunt, et sacros suos conventus in plures urbes introduxerunt.

Philippus II de statu provinciarum Belgicarum litteris Margaritae procuratricis certior factus, an. 1567 ducem Albanum cum magno exercitu ad eas destinavit. Catholici violentiis haereticorum offensi, iam a foedere recesserant. Princeps Arausicanus et alii multi ad adventum ducis Albani, cuius severam indolem noverant, aufugerunt. Reipsa dux Albae ad domandos rebelles severitate usus est; comites de Egmont et de Hornes, aliosque ad caeterorum terrorem Bruxellis capitis supplicio affici iussit; rebelles, e provinciis meridionalibus fugatos, usque in septentrionales insecutus est; an. 1572 Harlemium, quod erat praecipuum illorum propugnaculum, expugnavit. Verum an. 1573, quum Belgae durum ducis Albani imperium aegre ferrent, Philippus II eum in Hispaniam revocavit. Quo factum est, ut rebelles haeretici duce principe Arausicano provincias septentrionales a iugo hispanico abstraxerint, suum imperium et novam religionem secundum Calvini placita in iisdem stabiliverint, bellumque in meridionalibus etiam provinciis instaurarint[1].

Porro in cunctis provinciis, praesertim in Hollandia, Zeelandia et Gueldria, in quibus calvinistae praevaluerunt, catholicorum sacra perturbarunt, eorum ecclesias depraedati sunt, alias suae religioni addixerunt, monasteria destruxerunt, bona occuparunt, pluresque catholicos, praesertim sacerdotes et monachos

---

[1]) G. Stuart, *Apologie de Marie Stuart*; M. de Sevelinges, *Histoire de Marie Stuart*; item Opuscula, *Martyre de la reine d'Écosse douairiére de France*, Edimbourg in-8°; et *Recherches hist. et crit. sur les preuves de l'accusation intentée contre Marie Stuart*, Paris 1772, in-12°.

[2]) G. Stuart, *Histoire de la réformation en Écosse*; item, *Histoire de l'Ecosse depuis la réformation jusqu'a la mort de la reine Marie*, Londres 1786.

[3]) Vid. p. 151.

[4]) Raupach, *Evangelisches Oesterreich*.

[1]) De Gerlache, *Histoire du royaume des Pays-Bas*, t. I, Introduct.

suppliciis affecerunt. Notissima est historia 19 martyrum Gorcomiensium, qui propter confessam constanter fidem de reali Christi praesentia in ss. Eucharistia an. 1572 horrendis suppliciis necati fuerunt [1].

47. *Michaël Baius eiusque systema* — Interea magnae animorum contentioni in theologicis Belgii scholis causam dedit Michaël Baius seu De Bay, Melini an. 1513 natus, in Vniversitate Lovaniensi an. 1550 s. Theologiae doctor et anno sequenti in eadem Vniversitate ss. Litterarum interpres creatus. Quum occasione recentiorum haeresum circa gratiam, liberum hominis arbitrium et bona opera, de his quaestionibus in Scholis frequenter disceptaretur, Baius easdem secundum s. Augustini mentem tractare sibi proposuit; sed Africani praesulis sententiis male intellectis, in varios errores impegit. Doctrinam suam in primis persuasit Ioanni Hesselio, in eadem Vniversitate s. Theologiae professori. Cum ambo hi doctores essent ingenio morumque probitate conspicui, multi scholastici et alii sententias eorum probarunt. Contra Ruardus Tapperus, Iudocus Ravensteyn aliique doctores Lovanienses ab initio iisdem obstiterunt. An. 1560 sacra Facultas Parisiensis 18 propositiones de Baii doctrina proscripsit. Adversus hanc censuram Baius edidit doctrinae suae apologiam, et acrius inter eius patronos et adversarios disceptatum est. Archiepiscopus Mechliniensis De Granvelle propter Baii et Hesselii eruditionem et probitatem prudentia et moderatione utendum esse ratus, utrique parti silentium praescripsit, et cum cardinali legato Commendonio egit, ut Baius et Hesselius cum aliis theologis ad concilium Tridentinum destinarentur, tum ut ibidem virorum doctorum colloquiis a sententiis suis revocarentur, tum ut disceptationes in Belgio sopirentur. Cum vero in ultima concilii Tridentini periodo, cui Baius et Hesselius interfuerunt, quaestiones, ad eorum sententias spectantes, non fuerint agitatae; cumque prudentiae sit ardentibus cum hoste bellis domesticorum litigia pacare, Baii doctrina in concilio non fuit discussa. Quapropter post illorum reditum contentiones in scholis recruduerunt.

Anno 1567 Pius Pp. V ad cardinalem De Granvelle, archiepiscopum Mechliniensem, bullam dedit, in qua 79 propositiones, e scriptis Baii excerptas et Romam delatas, damnavit. Inter illas propositiones praecipuae sunt hae: 19ª, opera catechumenorum, ut fides et poenitentia, ante remissionem peccatorum facta, sunt vitae aeternae merita; 26ª, omnia opera infidelium sunt peccata; 27ª, integritas primae creationis non fuit indebita humanae naturae exaltatio, sed naturalis eius conditio; 28ª, liberum arbitrium sine gratiae Dei auxilio non nisi ad peccatum valet; 38ª, omnis amor creaturae rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, aut laudabilis illa caritas, qua per Spiritum S. in corde diffusa Deus amatur; 39ª, quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit; 41ª, is libertatis modus, qui est a necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, sed solum nomen libertatis a peccato; 66ª, sola violentia repugnat libertati hominis naturali; 67ª, homo peccat etiam damnabiliter in eo quod necessario facit.

Sacra Facultas Lovaniensis bullam Pontificis reverenter suscepit; Baius ipse primo tergiversatus, dein an. 1570 eidem subscripsit; I. Hesselius iam an. 1566 Lovanii obierat. Verum non omnes Baii fautores eius submissionis exemplum secuti sunt, alii pontificiae Bullae authentiam in dubium vocarunt, alii eam supposititiam, alii subreptitiam esse contenderunt; unde sopitae vix disceptationes recruduerunt. Quapropter Gregorius XIII an. 1579 alteram bullam per F. Toletum, S. I. presbyterum et postea R. E. cardinalem, ad Vniversitatem Lovaniensem dedit, qua decessoris sui bullam authenticam declaravit confirmavitque. Gregorii XIII bullam sollemniter susceperunt Vniversitatis Lovaniensis doctores et ipse Baius, qui tanta cum submissione errores suos damnavit, ut Toletus diceret: *Fateor et fatebor, nihil me vidisse Baio doctius, nihil Baio humilius.* Baius in hac submissione usque ad obitum (1589) perseveravit [1]. Baianismus ita proscriptus, postmodum in Iansenismum transfusus est, ut videbimus.

48. *Scriptores ecclesiastici* — Iisdem cum M. Baio et I. Hesselio [2] temporibus floruerunt

---

[1]) G. Estius, *Historia martyrum Gorcomiensium,* Duaci 1603, in-8°; Bolland., *Acta SS.* t. II iul. p. 736.

[1]) Pallavicini, *Hist. Concil. Trid.* l. XV, c. 7 et l. XXI, c. 7; Foppens, *Bibliotheca Belgica*, t. II, p. 658 et 888; Duchêsne, *Histoire du Baianisme*, Douaï 1731, in-4°.

[2]) Opera M. Baii a Quesnel et Gerberon collecta et edita an. 1696, Romae an. 1697 damnata sunt. Hesselius reliquit commentarios *in Evangelium s. Matthaei, in Epistolam I ad Timotheum, in II s. Petri* et *in I s. Ioannis*, catechismum et tractatus plures de controversiis.

scriptores qui sequuntur: Iudocus Ravensteyn, Tiletanus, doctor Lovaniensis, scripsit praeter alia Apologiam decretorum concilii Tridentini de Sacramentis [1]. Claudius Espencaeus, doctor Parisiensis, reliquit commentarios in Epistolas s. Pauli ad Timotheum et Titum, pluresque tractatus de rebus Fidei [2]. Andreas Masius, Bruxellensis, graece, hebraice et syriace peritus, edidit Commentarium in librum Iosue [3], dictionarium [4] et grammaticam linguae syriacae [5]. Cornelius Iansen seu Iansenius, Hulstensis, doctor Lovaniensis et primus episcopus Gandavensis, composuit concordiam Evangelicam et commentarios in plures s. Scripturae libros. Bartholomaeus Carranza, Navarrus, Ord. Praed., et archiepiscopus Toletanus, propter haereseos suspicionem aliquandiu custodiae mancipatus dein absolutus, collegit summam conciliorum et RR. Pontificum a s. Petro usque ad Iulium III [6], et tractatum de residentia [7]. Didacus Covarruvias, episcopus Segobiensis, s. Theologiae, iuris et litterarum peritus, cuius plura extant opera [8]. Laurentius Surius, Ord. Carthusiani, inter alia reliquit collectionem Conciliorum [9] et Vitas SSrum [10]. Stanislaus Hosius, Cracoviensis, episcopus Warmiensis et R. E. cardinalis, multa scripsit, inter quae eminent Confessio catholica fidei christianae, tractatus de communione sub utraque specie, de sacerdotum coniugio, de missa in lingua vulgari [11].

49. *S. Carolus Borromaeus* — Eruditione pariter ac vitae sanctitate floruit Carolus Borromaeus, qui an. 1538 in arce Aronae nobili genere natus, a pueritia insignem pietatem cum litterarum et scientiarum studio coniunxit; clericali militiae adscriptus, anno aetatis suae 23 a Pio IV cardinalis archiepiscopus Mediolanensis creatus fuit. Vix dici potest, quanta sollicitudine et quanto Ecclesiae bono omnes vigilantissimi pastoris partes expleverit. Resumendo et absolvendo Tridentino concilio potentem operam praestitit, illius decreta executioni mandavit, et secundum ea cleri, populi et regularium mores atque disciplinam emendavit, celebratis in hunc finem 6 provincialibus et 11 dioecesanis synodis. Seminaria clericorum, studiorum collegia, monasteria, pauperum et orphanorum domicilia erexit. Animarum saluti constanter intentus, a concionibus in ecclesia sua faciendis non destitit. Poenitentia admirabili et liberalitate ac caritate effusissima claruit maxime dum pestis Mediolani grassabatur. Multa scripsit, ad instructionem episcoporum praesertim ac parochorum utilissima. Tandem magnis pro Ecclesia laboribus perfunctus, anno 1584 in coelum migravit [1].

50. *Bellum Turcarum*—In Oriente Turcarum imperio ab an. 1520 usque ad 1566 potitus est Solimanus II. Is reliquiis Mamalucorum in Ægypto deletis, pactisque cum Sophi Persarum induciis, arma vertit in christianos. An. 1521 Belgradum seu Albam graecam expugnavit, et anno sequenti equites hierosolymitanos ad deditionem Rhodi compulit. Quadriennio post commisso apud Amantiam (Mohatz) in Hungaria praelio, magnam Hungarorum stragem edidit, et an. 1529 Budam Hungariae metropolim expugnavit. Inde Vindobonam usque venit, eamque obsedit; sed post 20 dies obsidionem solvere coactus est. Posthaec expeditionem suscepit contra Persas. Deinde an. 1565 Melitam insulam, a Carolo V equitibus Hierosolymitanis concessam, oppugnavit, sed ab illis reiectus fuit. Anno sequenti insulam Chium in mari Ægeo, Genuensibus subditam, occupavit, et eodem anno dum Sigethum, firmissimum Hungariae oppidum, obsideret, apoplexia extinctus est. Eum excepit Selimus II filius, qui an. 1567 cum Maximiliano imperatore II inducias 8 annorum pepigit, pacemque a patre cum Venetis initam confirmavit. Verum an. 1570, spretis pactionibus, bellum Venetis intulit, insulam Cyprum iis subditam occupavit, grandemque stragem edidit.

Interim Pius Pp. V cum Philippo II rege Hispaniae et Venetorum senatu ingentem classem instruxit, quae duce Ioanne Austriaco adversus Turcas movit, et an. 1571 ad Naupactum prope Echinadas insulas, non sine praesentissimo Dei auxilio, insignem et a saeculis inauditam victoriam de Turcis retulit; universa fere hostium classis in christianorum potestatem venit, Turcarum prope 25,000 cum duce suo caesa, 10,000 ca-

—

1) Colon. 1607, in 12°.
2) Paris. 1619, in-fol.
3) Antverp. 1574, in-fol.
4) Ibid. 1571, in-fol. — 5) Ibid. 1571, in-fol.
6) 1681 in-4°. — 7) Venet. 1547, in-4°.
8) Genevae 1762, 5 vol. in-fol.
9) Colon. 1567, 4 vol. in-fol.
10) Ibid. 1617, 6 vol. in-fol.
11) Ibid. 1584, in-fol., et alibi saepe.

1) Vitam eius scripserunt A. Valerio, C. Bascapè et P. Giussano, auctores aequales. — Opera edita sunt Mediolani 1747, 5 vol. in-fol.

pta, et mancipiorum christianorum plusquam 15,000 libertati reddita sunt.

Summus Pontifex hanc victoriam Deiparae Virgini acceptam referens, instituit commemorationem s. Mariae de Victoria quotannis nonis octobris recolendam, eiusdemque Virginis Litaniis addidit has voces: *Auxilium Christianorum*. Gregorius XIII in eiusdem victoriae memoriam instituit festum ss. Rosarii celebrandum prima dominica octobris in singulis ecclesiis, in quibus esset altare Rosarii: quod festum postea Clemens XI ad universam Ecclesiam extendit [1].

51. *Gregorius XIII, Pontifex* (*an.* 1572) — Anno sequenti calendis maii obiit s. Pontifex Pius V, et III idus eiusdem mensis concordibus 52 cardinalium suffragiis in eius locum electus fuit Hugo Boncompagnus, Bononiensis, presbyter cardinalis, qui sub Gregorii XIII nomine Ecclesiam gubernavit usque ad an. 1585. Is a pontificatus sui initio principes christianos hortatus est ad instaurandum bellum adversus Turcas, quos recens victoria nimis fregerat; sed obsteterunt principum discordia atque cunctatio.

Idem Pontifex Henricum III regem Galliae adversus perduelles Hugonotos seu Calvinistas milite et pecunia iuvit, clerique proceribus potestatem dedit alienandi etiam ecclesiarum bona immobilia, si id ad continuandum bellum pro Fidei conservatione contra haereticos esset necessarium. Ad propagandam in Iaponia Fidem, novos in eam praecones e societate Iesu destinavit. Honorifice excepit oratores regum Iaponensium, obedientiae erga Apostolicam Sedem testimonia deferentes. Excepit pariter legatos Maronitarum, patriarchae sui confirmationem postulantes, et cum iis aliquot e societate Iesu viros ad montem Libanum legavit, qui Maronitas recte instituerent. Maximo rei christianae emolumento Romae pro Maronitis, Graecis, Anglis, aliisque nationibus diversa collegia erexit et annuis reditibus dotavit, Romanum collegium societatis Iesu, omnium gentium et nationum seminarium, fundavit, magnisque beneficiis ac privilegiis auxit. Alia in aliis christiani orbis regionibus etiam apud Indos collegia et seminaria excitanda curavit et liberaliter iuvit. Optatam diu saepiusque tentatam calendarii ecclesiastici correctionem opera insignium astronomorum et mathematicorum praesertim Aloysii Lilii feliciter absolvit, et an. 1582 publici iuris fecit. Opera selectorum iuris peritorum inchoatam sub decessoribus suis Decreti Gratianaei, totiusque iuris canonici emendationem curavit. Praeterea novae et correctae ss. Bibliorum editioni, quam secundum concilii Tridentini decretum Pius IV et Pius V susceperant, animum adiecit, varios codices ms. e diversis regionibus conquiri iussit, et congregationem virorum, linguarum peritia et theologicis scientiis insignium, ad id opus instituit, sed quominus hoc perficeret, mors impedivit [1].

52. *Disciplinae monasticae status*—Interea monastica disciplina tum per reformationis decreta in concilio Tridentino edita, tum per novos Ordines religiosos refloruit.

S. Petrus de Alcantara—In primis s. Petrus de Alcantara, in Hispania nobilibus parentibus natus an. 1499, ab ineunte aetate sanctitatis semitam secutus, deinde Ordinem FF. Minorum ingressus, omnium virtutum exemplar fuit; divina ope et apostolica auctoritate fretus, s. Francisci Institutum ad primaevam formam revocare studuit, et an. 1555 iuxta Pedrosum Palenciae coenobio extructo, Ordinis reformationem incepit, quae brevi in multis Hispaniae et aliarum regionum monasteriis fuit suscepta. Obiit Petrus de Alcantara an. 1562, postea a Gregorio XV in Beatorum et a Clemente IX in Ssrum album relatus [2].

Reformationi inter Augustinianos eremitas occasionem dederunt octo huius Ordinis missionarii in Hispania, qui an. 1533 in Mexicum profecturi, nudi pedes incedere et villosam vestem e rudiori lana textam induere coeperunt. Eorum exemplum mox plures secuti, nova austeritate usi sunt: quod cum caeteri non susciperent, illi, facta separatione, novam Augustinianorum congregationem in Hispania constituerunt, an. 1585 a Xysto V approbatam, cuius membra Augustiniani discalceati nominari consueverunt [3].

S. Theresia — Similem reformationem, maiori abstinentia, rigidiori ieiunio, viliori vestitu, flagellatione, frequentioribus precibus auctam, inter Carmelitas promovit. Theresia, an. 1515 Abulae in Castella nobili genere nata, et anno aetatis suae 20 Ordinem monialium Carmelitarum ingressa. Haec soro-

---

[1]) Gabut. et Catena in *Vita s. Pii V.*

[1]) Spondan. ad an. 1572-85; Ciacon. *Vitae RR. Pontif.*

[2]) Helyot, *Hist. des Ordres relig.*; Wadingh, *Annal. Minor.* ad an. 1542.

[3]) Helyot, loc. cit.

rum suarum disciplinam a regula in multis degenerem dolens, cum omnes non posset, aliquot saltem melioris indolis permovit, ut in proprium coenobium, quod extruxit, secum secederent, ibique secundum regulae rigorem viverent. Quam reformationem, a caeteris oppugnatam, cum Pius IV an. 1562 approbasset, plura alia eiusdem Ordinis monialium coenobia susceperunt[1]. Decessit s. Theresia an. 1582, relictis variis scriptis coelesti sapientia refertis; dein a Gregorio XV Ssrum Virginum fastis adscripta est[2].

S. Ioannes de Cruce — Theresia eamdem reformationem etiam inter monachos sui Ordinis introducere studuit, et reipsa opera potissimum s. Ioannis de Cruce complures ad illam admittendam adduxit, quorum exemplum successive tot alii imitati sunt, ut plura ab iis monasteria in Hispania implerentur. Iidem, quippe qui inter caetera austeritatis studia nudipedes incedere sollemne habebant, Discalceati dicti, postea etiam per Galliam, Italiam, aliasque regiones propagati sunt. Quum autem caeteri, qui reformationem respuebant, reformatis acriter adversarentur, Clemens VIII an. 1600 data his facultate eligendi sibi proprium Praepositum generalem, Ordinem in duas Congregationes separavit[3]. S. Ioannes de Cruce Fontiberi in Hispania natus an. 1542 et reformatum Ordinem B. M. V. de Monte Carmelo professus, obiit an. 1591 relictis aliquot scriptis; postea a Benedicto XIII in Ssrum numerum relatus est[4].

S. Ioannes de Deo — Novum Ordinem monasticum, curandis infirmis destinatum, fundavit s. Ioannes de Deo. Hic anno 1495 in Lusitania natus, et a laxiori vivendi ratione revocatus, ad expianda peccata sua et vitam aeternam promerendam an. 1540 Granatae in Hispania infirmos in domum a se conductam suscipere et curare coepit, et non modo eorum indigentiis corporalibus, sed etiam spiritualibus subveniebat. In hoc misericordiae opere a piis hominibus, ei stipem largientibus, in primis ab urbis archiepiscopo et ab episcopo Tudensi adiuvabatur; hic Ioannem, qui Dei misericordiam imitari studebat, de Deo appellavit, eique et omnibus qui eius vestigia sectarentur, propriam vestitus formam praescripsit. Id reipsa plures fecerunt, qui post mortem s. Ioannis (1550) societatem regularem cum tribus votis monasticis et obligatione infirmos ex eleemosynis collectis curandi efformarunt, an. 1572 a Pio V inter Ordines religiosos relatam. Hic Ordo propter suam utilitatem per omnes terras catholicas propagatus est; eius membra ab opere suo Fratres misericordiae dici consueverunt; plerique laici erant, et paucos tantum presbyteros ad sacra domestica peragenda, et ad spirituales aegrotorum indigentias curandas inter se habebant[1].

S. Philippus Nerius — Ad promovendam in clero pietatem et ad subveniendum spiritualibus fidelium indigentiis novam Congregationem, scilicet Patrum Oratorii, instituit s. Philippus Nerius. Hic piis honestisque parentibus an. 1515 Florentiae natus, Romae litteras philosophicas et theologicas didicit, et iam tum singulari pietatis et salutis animarum studio flagrabat. Anno 1551 sacerdos factus, cum aliquot viris, quos in spiritualibus dirigebat, primum in cubiculo, deinde, aucto eorum numero, in ecclesiae oratorio quotidiana de rebus divinis colloquia instituit, iisque progressu temporis alia pietatis exercitia adiunxit. Salutaribus huius Instituti fructibus permotus anno 1575 annuente Gregorio XIII Summo Pontifice, illos, qui ex presbyteris sibi adhaerebant, in propria ecclesia sibi tradita B. Mariae Vallicellae regionis congregavit, ut ibidem praeter publicum cultum divinum exercitia spiritualia cum auditoribus instituerent; iamque etiam horum exercitiorum formam variis praescriptis, postea a Paulo V sollemniter approbatis, ordinavit. Caeterum sacerdotes huic Congregationi adscripti, vestitum clericorum saecularium gestabant, singuli suis sumptibus vivebant, litteras theologicas colebant, praeposito obediebant, sed vota monastica non emittebant. Hoc Institutum etiam extra Romam ita placebat, ut in multas Italiae urbes introduceretur. Illud saeculo sequenti in Gallia imitatus est Petrus Berulle. S. Philippus vitae sanctitate et miraculis clarus obiit an. 1595, deinde a Gregorio XV Ssrum numero adscriptus[2].

[1]) Helyot, *Hist. des Ordr. relig.*

[2]) Vitam s. Theresiae, quam ipsa scripsit, aliaque eius scripta ex hispanico gallice vertit ediditque Arn. d'Andilly, 1670 in 4°.

[3]) Helyot, *Op. cit.*

[4]) Vitam s. Ioannis de Cruce scripserunt D. a s. Alexio, Paris. 1727, 2 vol. in-4°, et Collet, Paris. 1769, in-12°. Scripta eius gallice edidit R. P. Maillard, Paris 1694.

[1]) Helyot, *Op. cit.*; F. de Castro, *Vita s. Ioannis de Deo.*

[2]) Galloni, *Vita s. Philippi Nerii*; Bolland. *Acta SS.* t. VI maii, p. 461.

53. *Lutheranorum doctrina a Graecis reprobata*—Anno 1574 ad magnam catholicorum satisfactionem et ad Lutheranorum confusionem contigit, ut horum doctrina ab ipsa ecclesia Graeca condemnaretur. Etenim theologi Wirtembergenses et Tubingenses rati, plurimum sectae suae interesse, si accepta ab ecclesia Graeca confessionis Augustanae approbatione, de consensione in dogmatibus cum ea gloriari possent, an. 1574 confessionem Augustanam, in graecum versam, ad Ieremiam patriarcham Cp. miserunt, rogantes, ut iudicium suum de consensu illius cum fide Graecorum ad eos rescriberet.

Verum patriarcha non solum eorum confessionem reprobavit, sed in suo responso inter alia asseruit, hominem non sola fide iustificari, sed bona opera tum ad iustificationem tum ad salutem aeternam esse necessaria; septem esse sacramenta divinitus instituta et gratiam sanctificantem conferentia, in Eucharistia fieri transubstantiationem, μετουσιωσιν; singula peccata sacerdoti esse aperienda; ad remissionem peccatorum obtinendam, etiam poenitentiae opera esse peragenda; pro defunctis esse orandum; Sanctos invocandos; vitam monasticam esse perfectiorem; praeter s. Scripturam traditiones ss. Patrum tenendas. Arguit eosdem, quod veteris et novae Romae doctrinam oppugnent, et antiquis utriusque Ecclesiae theologis sua commenta anteponant.

Tubingenses theologi in alio scripto, an. 1577 ad patriarcham dato, doctrinam lutheranam defendere conati sunt; sed eorum rationes patriarcha in rescripto confutavit. Cumque Wirtembergenses huic etiam refutationi nova argumenta opponerent, Ieremias in novo ad ea responso illos monuit, ne deinceps ad eum de rebus theologicis scriberent [1].

54. *Religiosa haereticorum dissidia*—Ad maiorem novatorum confusionem accidit, ut inter eos ipsos dissidia religiosa augerentur, magnaque cum vehementia et mutua persecutione agitarentur. Ea ex eorum principio, de interpretatione s. Scripturae cuilibet fidelium tributa, necessario sequebantur, et luculenter confirmant, praeter Scripturam s. in Fidei rebus necessariam esse infallibilem Ecclesiae auctoritatem, qua controversiae dirimantur. Post plures lites, vivente Luthero, exortas, celebres sunt *Adiaphoristicae* et *Interimisticae*, quibus occasionem dedit norma religionis *Interim* dicta, supra an. 1548 a Carolo V praescripta [1]. Etenim theologi Wirtembergenses, quibus mortuo Luthero praesidebat Melanchthon, novam confessionem ex Augustana confecerunt, in qua statuerunt res *adiaphoras*, idest quae s. Scripturae non adversentur, pacis causa observari posse; plerasque doctrinas et caeremonias in *Interim* Caroli V exscriptas, attamen in sensum lutheranum explicatas, receperunt; aliquas vero ut transubstantiationem, invocationem Ssrum, Purgatorium penitus omiserunt. Ea formula Lipsiae ab Ordinibus Saxonicis acceptata, gravissimas inter Lutheranos lites excitavit: siquidem alii theologi praesertim Thuringici illis defectionem a Lutheranismo cum conviciis exprobarunt, quod in sua formula concederent, bona opera ad salutem esse necessaria, hominemque gratiae divinae aliquo modo cooperari posse et debere.

Praeterea I. Brentius contendit, corpus Christi non tantum in usu coenae, sed vi unionis hypostaticae ubique esse praesens; fuitque parens Vbiquistarum. M. Flacius Illyricus, in Vniversitate Ienensi theologiae professor, asseruit, peccatum originale esse hominis substantiam, eiusque asseclae ab adversariis dicti sunt *Substantialistae* seu *Flaciani*. A. Osiander, e praedicatore Norimbergensi professor Regiomontanus, doctrinam Lutheri de iustificatione ita mutavit, ut assereret, iustificationem consistere non tam in remissione peccatorum, quam in essentiali Dei iustitia, homini per fidem collata et immorante; unde sequeretur Christum non secundum humanam, sed solam divinam naturam esse iustitiae auctorem et humani generis salvatorem. Is instituit factionem Osiandristarum, ab aliis ut haereticam proscriptam.

Non minus notatu digna est defectio multorum theologorum aliorumque Lutheranorum ad Calvini placita de Eucharistia. Lis inter Lutherum et Zwinglium iam olim de ea re agitata, denuo efferbuit, et circa sexagesimum huius saeculi annum inter primarios utriusque partis theologos summa cum vehementia mutuisque more solito conviciis agitata fuit. Fridericus III elector Palatinus, quum de controversa materia a Melanchthone responsum accepisset, calvinianae potius quam lutheranae sententiae favens, lutheranos praedicato-

---

[1]) Schelstrate, *Acta Ecclesiae orientalis contra Calvini et Lutheri haereses*, Romae 1739.

[1]) Vid. p. 147.

res et professores dimisit et religionem calvinianam in terras suas introduxit. Hanc quidem Ludovicus, eius filius et an. 1576 successor, eliminavit; sed eo an. 1583 mortuo, Casimirus eamdem non sine violentia restituit; ex quo tempore Calvinismus in Palatinatu dominatum retinuit. Eodem tempore maior Bremensium pars relicto Lutheranismo, Calvinismum professa est. Etiam theologi Saxonici, Wirtembergenses scilicet et Lipsienses, sicut in doctrina de libero arbitrio et de bonis operibus, ita et circa Eucharistiam a Lutheri sententia defecerunt, secuti exemplum Philippi Melanchthonis; unde etiam Philippistae dicti sunt a rigidioribus seu orthodoxis Lutheranis, qui eisdem haereseos notam inusserunt. Augustus elector Saxonicus consensum inter illos in conventu Dresdensi an. 1572 conciliare frustra tentavit. Wirtembergenses an. 1574 edito libro, cui titulus: *Exegesis perspicua controversiae de coena Domini,* non tantum Calvini sententiam de Eucharistia nude exposuerunt, sed etiam lutheranam et argumenta, pro ea adferri solita, diserte reiecerunt. Elector Saxonicus ea re offensus, omnes Wirtembergenses et Lipsienses theologiae professores primo carceri tradidit, deinde muneribus suis privatos relegavit; alios etiam professores eis consentientes deposuit, eorumque patronos ex aula eiecit. Iis exturbatis elector, consentientibus caeteris principibus lutheranis, theologos Saxonicos et extraneos an. 1576 convocavit Torgaviam, ut omnes doctrinae, hactenus inter Lutheranos controversae, ad mentem Lutheri definirentur. Illi librum concordiae confecerunt, contra quem tamen plura ab aliis obiecta sunt. Quapropter anno sequenti in conventu Bergensi prope Magdeburgum idem liber in nonnullis articulis emendatus et ad novam formam redactus fuit.

Novus hic liber symbolicus susceptus fuit ab omnibus civitatibus lutheranis in Germania, exceptis Hassia, Holsatia, Anhalto et pluribus urbibus liberis. In terris Brunsvicensibus et Brandeburgicis nunc susceptus, postmodum iterum reiectus fuit. Extra Germaniam, nominatim in Dania et Suecia, nunquam acceptatus est. At non obstante severitate Augusti electoris, fautores sententiae calvinianae in Saxonia magno numero agebant, et post mortem illius (1586) munera praecipua tam ecclesiastica quam academica occuparunt. Sed sub Christiano II, qui an. 1591 electoratu potitus est, deiecti sunt, et omnibus munere publico fungentibus, liber concordiae sub iureiurando praescriptus [1].

Non maior inter Calvinistas quam inter Lutheranos extitit concordia. Idem principium de s. Scriptura, traditione et auctoritate Ecclesiae reiectis, ex se sola a quovis interpretanda, apud illos continuas controversias, pluresque sibi invicem infensas factiones excitavit. Celebriores inter sectas calvinianas sunt hae quatuor: 1ª rigidorum Calvinistarum, qui pseudo-magistri sui doctrinae stricte inhaerebant, quales fuerunt Hugonoti in Gallia, Reformati in Helvetia, Puritani in Anglia et Scotia; 2ª Anglicanorum, qui ab illis tum in nonnullis doctrinae articulis tum in hierarchia et caeremoniis differebant; 3ª Piscatorianorum, qui auctore Ioanne Piscatore alias Fischer Argentinensi, in doctrina de iustitia Christi, de satisfactione, praedestinatione, poenitentia et de coena adeo ab aliis dissentiebant, ut ab his inter haereticos recenserentur; 4ª Arminianorum in Batavia, qui auctore Iacobo Arminio, theologiae professore, a Calvini sententiis de libero arbitrio, praedestinatione et reprobatione discesserunt, ut infra videbimus.

Praeterea in ipsis his sectis controversiae plures et factiones diversae progressu temporis exortae sunt, ut ex earum synodis, Sendomiriensi an. 1570, Cracoviensi an. 1573, et Petricoviensi an. 1578 in Polonia, Rupellensi an. 1571 et Nemausensi anno sequenti in Gallia, aliisque patet. Inde etiam Calvinianorum uti et Lutheranorum tot libri symbolici, quibus, etiamsi humana auctoritate compositis, se iureiurando obstringere debebant. Sic novatores suam fidei libertatem, quam tantopere iactabant, longe infra catholicam, non nisi divinae auctoritati subditam, deprimebant [2].

55. *Religionis status in Polonia, Hungaria, Transylvania, et Suecia* — In Polonia primis annis Sigismundi regis II, qui an. 1548 regnare coepit, novae doctrinae latissima incrementa ceperunt. Illas multi aulici, senatores, proceres aliique libere profitebantur. Quamvis nulla lege novatoribus religionis libertas esset concessa, tamen et Lutherani et Calvinistae et Antitrinitarii secure agebant, coetus instituebant, synodos celebrabant. Quin imo rex urbibus Borussis, Dantisco,

[1]) Bossuet, *Histoire des variations des Églises protestantes*; Hospinian. *De origine et progressu libri Concordiae.*

[2]) Cf Bossuet, *Op. cit.*

Thorunio et Elbingae religionis libertatem sua auctoritate an. 1557 concessit. An. 1563 Pius Pp. IV in Poloniam legavit I. F. Commendonium, episcopum Zacynthensem, qui sua prudentia et eloquentia rei catholicae inter Polonos plurimum profuit, et inter alia effecit, ut, quamvis archiepiscopus Gnesnensis Vchansky novitatibus clam faveret, patriarchatum ecclesiae Polonicae intendens, Ordines decreta Concilii Tridentini acceptarent. Postea quidem haereseωn progressiones reprimere tentavit Sigismundus II, sed serius, illae iam nimis erant propagatae [1].

In Hungaria sub Ferdinando rege I in pluribus comitiis, iam inde ab an. 1548 celebratis, decreta plura contra novitates religiosas condita sunt, quibus tamen earum progressus non cohibiti fuerunt. Sub Maximiliano rege, qui an. 1564 patri suo Ferdinando successit, nullasque ad reprimendos haereticos rationes iniit, eorum numerus magis auctus est. Nihil quoque iis adversi decrevit Rudolphus, an. 1576 Maximiliani successor. Turcarum enim invasiones reges cogebant, ut tranquillitatem internam et pacem domesticam conservarent.

In Transylvania novatores iam anno 1556 religionis libertatem, publica lege sancitam, nacti sunt, ansam dante politica mutatione per Turcas adducta. His enim minantibus, Transylvani, repudiato Ferdinando, principem elegerunt Ioannem Sigismundum, Ioannis de Zapolya filium, et in comitiis, hac in causa dicto anno habitis, statuerunt, ut omnium confessionum asseclae eadem libertate iisdemque iuribus gauderent. Praeterea omnia monasteria sublata et bona ecclesiastica fisco adiudicata sunt [2].

Ita post saeculi huius dimidium in Polonia, Hungaria et Transylvania Lutheranorum, Calvinistarum et Vnitariorum seu Antitrinitariorum sectae plurimum auctae sunt. Caeteras duas numero superavit secta Calvinistarum.

In Suecia catholicae Religionis exercitia sub rege Gustavo Wasa proscripta, sub Ioanne III, eius filio, qui ab an. 1568 usque ad 1592 regnavit, aliquandiu restituta sunt. Hic quippe consiliis uxoris suae, regio Polonorum sanguine oriundae, Iesuitas in regnum admisit, coram A. Possevini, Iesuita et Gregorii Pp. XIII legato, lutheranam haeresim abiuravit, et catholicae Religioni inter Suecos propagandae opem tulit. At post annum 1583 secundae uxoris et procerum consiliis ad Lutheranismum rediit, subditosque in eodem obfirmavit [1].

56. *Sociniani*—Antitrinitariorum seu Vnitariorum haeresi sub haec tempora novam formam indidit Faustus Socinus, an. 1539 Senis natus, cui adhuc iuveni patruus Laelius Socinus sententias antichristianas instillaverat. Has Faustus e Laelii scriptis magis excoluit, relictaque patria (1574) Basileae verbo et scripto aliis communicavit. A Calvinistis et Lutheranis reiectus, an. 1579 transiit in Poloniam, ubi eloquentia sua et dexteritate sensim omnes fere Vnitarios ad suas sententias pertraxit, ita ut ab eo, an. 1604 mortuo, Socinianorum nomen acceperint. Quae esset Socinianorum doctrina, e catechismo aliisque F. Socini scriptis intelligitur. Quamvis sacram Scripturam religionis suae fontem praedicarent, propriam tamen credendorum regulam statuebant rationem humanam, ad quam illius effata ita contorquebant, ut nihil nisi humano intellectui pervium docerent credendum. Hinc ss. Trinitatis aliisque mysteriis reiectis, docebant unum esse Deum, omnium creatorem: Christum esse merum hominem, qui propter supernaturalem conceptionem unigenitus Dei filius et propter altiores dotes, ad homines redimendos ei collatas, non nunquam Deus in Scripturis dicebatur: Illum mortem pertulisse, non ut pro peccatis nostris satisfaceret, quae gratis a Deo remitterentur, sed ut morte sua uti et vitae sanctitate ac miraculis divinam suae doctrinae originem confirmaret, hominibus exemplum patientiae in adversis, et resurrectione sua certitudinem de futura eorum resurrectione et beatitudine praeberet: Spiritum S. in Scripturis proprie significare Evangelium Christi, sancta animi sensa in hominibus excitans, eos suaviter afficiens et quandoque certam vitae aeternae spem divinitus ingerens: Hominem a Deo mortalem esse creatum, nullamque naturae suae depravationem per peccatum esse passum: Nullam dari praedestinationem: Sacram coenam, quae non nisi ritus erat a Christo praescriptus, esse meram commemorationem mortis Christi.

Sociniani sese per magnam Poloniae, Lithuaniae et Transylvaniae partem propagarunt. Postea e Polonia eiecti, confugerunt in Hungariam, Moraviam, Silesiam, Borussiam,

---

[1]) Spondan. *Annal. eccl.*
[2]) Ibid.; item, *Historia ecclesiae reformatae in Hungaria et Transylvania.*

[1]) Possevini, *Confutatio ministrorum;* Spondan. ad an. 1581 et 1587.

Hollandiam et Angliam, ubi inter alios haereticos delituerunt [1].

57. *Religionis status in Gallia* — In Gallia pacis tractatus an. 1570 cum Hugonotis confectus, catholicis graviter displicuit, illorum vero audaciam auxit [2]. An. 1572 Carolus rex IX concordiam inter partes conciliare voluit nuptiis Margaritae sororis suae cum iuniori rege Navarrae Henrico Borbonico. Verum cum harum nuptiarum causa magnus Hugonotorum praesertim nobilium numerus Parisios convenisset, regi relatum est, illos in vitam eius coniurasse. Carolus ac relatione, vera aut falsa, exacerbatus, immane facinus imperavit; nimirum die 24 augusti, D. Bartholomaeo sacra, summo mane milites et cives in Hugonotos, viros mulieres et infantes, nil tale suspicatos, irruerunt et plerosque interfecerunt. Haec cedes a die, qua contigit, dicta *San-Bartholomaea*, quamvis a rege pro sola urbe Parisiensi imperata, Parisiorum exemplo in nonnullis aliis urbibus, quae prae aliis belli tempore Hugonotorum furorem expertae erant, repetita fuit [3]. Hugonoti desperatione et furore agitati, in aliis urbibus, praecipue Rupella, Monte-Albano, Nemauso arma arripuerunt, seque ita defenderunt, ut rex earum urbium incolis et Hugonotorum nobilioribus liberum religionis exercitium concedere coactus sit. Illi vero limitata hac libertate non contenti, bellum instaurarunt, quo durante Carolus IX an. 1574 mortuus est.

Henricus III, Caroli frater et successor, Guisiorum consilio sub initia bellum contra Hugonotos, prosecutus est; anno vero 1576 cum iisdem pacem composuit, qua iis plena religionis libertas, facultas fungendi muneribus publicis, et 8 urbes munitae, excluso regio praesidio, securitatis causa concessae sunt [1]. Haec pax fervidioribus catholicis probrosa visa est et intolerabilis. Itaque paulo post Parisiis et in Picardia proceres caeterique nobiles, magistratus et cives ad Religionis regnique defensionem foedus nomine Ligae sacrae inierunt. Foederis scopus erat, impedire ne publica lege haereseos professio permitteretur, et ne princeps haereticus, quamvis regii sanguinis, Henrico sine liberis morienti succederet. Huic foederi mox alii multi per Galliam accesserunt; ipsi etiam ordines publici, an. 1576 in comitiis Blesensibus congregati, decreverunt, ut una Religio catholica in regno exerceretur, ad quam omnes regni incolae, attamen sine armis revocarentur; nulla vero iniuria inferretur haereticis, domi quiete agentibus. At Hugonoti cum haereticis Angliae, Germaniae, Sueciae, Daniae principibus, cum sacramentariis Helvetiae foedere inito, bellum civile in Gallia instaurarunt. Rex nova edicta promulgavit, quae neque Hugonotis neque Catholicis foederatis erant accepta. Quum an. 1584 mortuo duce Alenconio, unico regis fratre, regnum secundum legem Salicam post mortem Henrici III, cui nulla erat proles, devolveretur ad Henricum regem Navarrae calvinistam, Catholici foederati duce Henrico Guisio iurarunt, se arma non deposituros, priusquam de catholico regis successore esset provisum et publica haereseos professio in regno proscripta; futurumque Henrici III successorem declararunt Carolum Borbonicum cardinalem. Anno sequenti rex novum edictum promulgavit, quo privilegia, alias haereticis concessa, revocabantur, et unius Religionis catholicae exercitium in regno permittebatur [2]. Hinc bellum Catholicos inter et Hugonotos recruduit.

Quam deplorandus esset ecclesiarum in Gallia status, constat ex antistitum ad regem orationibus et expostulationibus: plures sedes episcopales praelatis et coenobia abbatibus erant orbatae, abbatiae feminis in dotem assignatae, beneficia in commendas laicas conversa, monasteria a laicis occupata; in Occitaniae et Aquitaniae provinciis tanta erat episcoporum penuries, ut a multis ecclesiis Pyrenaeorum iuga essent superanda ad sacrum chrisma ab Hispanis quaerendum [3].

Henricus III nunquam sibi constans, an. 1588 ambos Guisios, Henricum ducem et

---

[1]) Natal. Alex. *Hist. eccl.* saec. XVI, c. 11, a. 13; Pluquet, *Dictionn. des hérés.* art. *Socin.*; C. Sandius, *Bibliotheca Antitrinitariorum.*

[2]) Vid. p. 154.

[3]) Deplorandum hoc facinus adversarii saepius obiecerunt Catholicis, illius adiuncta exaggerantes, perinde ac si longo consilio religionis causa fuisset praeparatum, per omnem Galliam imperatum, et plura Calvinistarum millia caesa: alii 100,000, alii 60,000, alii 30,000 numerant. Constat vero, hanc caedem non religioso, sed politico fine, a rege et pro Parisiis tantum fuisse imperatam, clerum ab ea fuisse alienum, et interfectorum numerum ad summum fuisse 2,000. Caveirac, *Dissertation sur la journée de la Saint-Barthelemy;* De Saint-Victor, *Tableau hist. et pittor. de Paris*, t. IV, p. 159, Louvain etc.

[1]) Fontanon, *Collect. edict. reg.* t. IV, tit. 7.

[2]) Ibid.

[3]) *Commentar. Cleri gallicani*, t. V, p. 7.

Ludovicum cardinalem, per subornatos satellites interfici iussit. Tunc provinciae et civitates, quae Guiisios ceu Fidei defensores venerabantur, ab Henrico III defecerunt. Hic in angustiis positus opem haeretici regis Navarrae imploravit, qui mox ei praesto fuit. At Henricus III post paucos menses (1589) e vulnere, sibi a Iacobo Clemente, Ord. Praed. monacho fanatico, inflicto, extinctus est. Ei secundum legem Salicam, ut diximus, succedebat Henricus rex Navarrae; at propter calvinianam religionem non tantum a foederatis, sed etiam a multis aliis belliducibus, gubernatoribus et urbibus repudiabatur. Vnde bellum civile vario utrimque eventu continuatum est usque ad an. 1593, quo Henricus abiecta haeresi, catholicam fidem suscepit[1].

58. *Religionis status in Belgio* — Vidimus supra, quis fuerit Religionis status in Belgio usque ad an. 1573, quo Philippus II ducem Albae ex eo in Hispaniam revocavit[2]. Ludovicus Requesino seu de Requesens, cui Philippus procurationem provinciarum Belgicarum commisit, catholicorum res erexit, sed an. 1576 mortuus est. Eodem anno provinciarum Ordines, nonnullis Hispanicorum militum violentiis offensi, cum principe Arausicano, quem Ordines provinciarum septentrionalium gubernatorem suum creaverant, Gandavi foedus inierunt, quod pacificatio Gandavensis dictum est. Hoc foedere sibi mutuum auxilium ad pellendos Hispanicos milites promiserunt; quantum ad Religionem spectabat, statuerunt, ut fine isto obtento, Ordines generales congregarentur, in quibus Religionis negotium definiretur; interea Religio catholica etiam in provinciis septentrionalibus libere exerceri posset. Hinc factum est, ut Belgarum imperium praevaluerit Hispanico, exceptis Namurco et aliquot civitatibus, quas Ioannes Austriacus, ab anno 1576 usque ad 1578 Belgii procurator, cepit.

Verum quominus concordia inter foederatos perduraret, obstiterunt religionis diversitas et Calvinistarum intolerantia. Hi libero religionis suae exercitio non contenti, idem in locis, ubi etiam exiguo numero existebant, catholicis denegare, horumque sacra abolere vi nitebantur. Sic anno 1578 Amstelodami, ubi maior incolarum pars avitae religioni adhuc inhaerebat, seditione excitata ecclesias occuparunt, altaria et imagines confregerunt, et deposito magistratui catholico calvinianum substituerunt. Non multo post etiam Harlemii in catholicos irruerunt, nonnullos interfecerunt, caeteros pessime tractarunt, ecclesias et monasteria expilarunt, et calviniano cultui tradiderunt. Similia in pluribus Flandriae, Geldriae et aliarum provinciarum urbibus perpetrata sunt. Hinc factum est, ut provinciae meridionales, praesertim Wallonicae, quae constantius in antiqua religione perseverabant, a foedere Gandavensi discesserint, seque cum legitimo rege et duce Parmensi Alexandro Farnesio, ab an. 1578 Belgii procuratore, reconciliarint.

Princeps Arausicanus provincias septentrionales, maxima ex parte calvinianas, arctius inter se coniuncturus, effecit, ut anno 1579 Hollandia, Zelandia, Vltraiectum, Frisia et Geldria foedus inirent Vltraiecti contra omne Hispanorum dominium; qua societate fundamentum reipublicae Belgii foederati positum est. Anno 1581 eaedem provinciae in comitiis Hagae celebratis, Hispaniae regem omni iure in Belgium exutum declararunt. Bellum annis multis inter Hispanos et foederatos Belgas continuatum est eo exitu, ut 5 praedictae provinciae, quibus accesserunt Tansisalana et Groninga, independentem rempublicam constituerint, Hispani vero caeteras ad suum dominium et Religionem catholicam reduxerint[1].

59. *Xystus V, Pontifex* (*an.* 1585) — Postquam Gregorius Pp. XIII, IV idus aprilis 1585, decessisset, in eius locum VIII calendas maias electus fuit Felix Peretti, humili loco in Piceno natus, Ord. Fratrum Min. et R. E. cardinalis, qui nomen Xysti V suscepit et Ecclesiam gubernavit usque ad an. 1590. Is multa praeclare et magno animo constituit gessitque. Fuit litterarum et artium patronus, vitiorum insectator, cunctis etiam summis imperantibus diligendus aeque ac formidandus sicariorum et aliorum facinorosorum licentiam in Vrbe et ditione ecclesiastica compescuit, et publicam securitatem restituit. Vrbem templis, xenodochiis, fontibus, obeliscis, columnis, aliisque exornavit[*]. Montem altum, Lauretum, s. Severinum et Tolentinum civitatum et episcopalium sedium honoribus auxit. Praeter Congregationem s. Inquisitionis, quam confirmavit, alias 14 Congregationes Cardinalium instituit ad faciliorem universae reipublicae christianae statusque ec-

[1]) R. P. Daniel, *Histoire de France*, t. VI, in-4°.
[2]) Vid. p. 159.

[1]) De Gerlache, *Hist. du royaume des Pays-Bas*, Introduct.
[*]) Sandini, *Vitae RR. PP.; Xystus V.*

clesiastici et R. Curiae negotiorum expeditionem; nimirum 1ª pro signatura gratiae, 2ª pro erectione ecclesiarum et provisionibus consistorialibus, 3ª pro ubertate annonae in statu ecclesiastico, 4ª pro sacris ritibus et caeremoniis, 5ª pro classe paranda et servanda ad defensionem Status Ecclesiastici, 6ª pro Indice librorum prohibitorum, 7ª pro sublevandis gravaminibus, 8ª pro Vniversitate studiorum, 9ª pro executione et interpretatione Concilii Tridentini, 10ª pro consultationibus Regularium, 11ª pro consultationibus Episcoporum et aliorum Praelatorum, 12ª pro viis, pontibus et aquis, 13ª pro typographia Vaticana, 14ª pro consultatione negotiorum Status ecclesiastici. Idem Pontifex numerum Cardinalium restrinxit ad 70, quorum 6 essent episcopi, 50 presbyteri et 14 diaconi cardinales; — atque ex iis insignes viri in sacra Theologia magistri ex Regularibus, et Mendicantium Ordinibus, saltem quatuor, non pauciores [*]. Vulgatam Bibliorum versionem latinam et versionem graecam LXX ope virorum, ss. Scripturarum et linguarum peritorum, collatis ms. codicibus, hebraicis et graecis fontibus et Patrum commentariis consultis, correxit. In Elisabetham reginam Angliae, quae catholicos saeve persequebatur et Mariam Stuartam reginam Scotiae capitis damnarat, anathema integravit. Henricum Borbonicum regem Navarrae et Henricum principem Condaeum, Hugonotorum in Gallia duces, anathemate perculit, omnique iure successionis ad regnum exutos declaravit. Henricum III regem Galliae propter necem duci et cardinali Guisiis illatam sacris interdixit [1]. — Memoriam D. Bonaventurae a Xysto IV sanctis Doctoribus adscripti iussit pridie idus iulii celebrari Officio duplici; sicut etiam D. Antonii Patavini Festum idibus iunii recolendum, ante decreverat.

60. *Status Ecclesiae Graecae et Russicae* — Interim ex quo tempore Turcae Constantinopoli potiti sunt, status ecclesiae Graecae intra eorum imperium continuo redditus est deterior. Graeci enim a Turcis variis modis vexabantur, religiosa eorum libertas admodum restricta erat, tributis gravibus, ludibriis et saepe iniuriis erant obnoxii, morum et litterarum cultura maximam partem eis erat praeclusa, nova templa extruere aut collapsa restaurare nonnisi plurimi aeris praetio licebat. Hierarchia pristina inter eos conservabatur, perdurabantque 4 patriarchatus, Cpnus, Alexandrinus, Antiochenus, et Hierosolymitanus, inter quos Cpnus summus erat. Antistes Cpnus veluti totius ecclesiae graecae caput et monarcha, cum synodo sua graviora universae Ecclesiae negotia administrabat. Caeterorum vero patriarcharum auctoritas continuo diminuebatur et a Cpno dependens facta est. Ii plerosque suos suffraganeos amiserunt, ita ut Alexandrinus non nisi chorepiscopos, Antiochenus paucos episcopos, in Syria terrisque vicinis, Hierosolymitanus duos tantum episcopos Nazarethi et Bethlehemi sub se haberet. Id effectum est partim multitudine christianorum heterodoxorum in eorum patriarchatibus existentium, partim decremento urbium ad eosdem pertinentium. Cum etiam in patriarchatu Cpno multae urbes olim florentes, ad conditionem vilium pagorum delaberentur, factum est, ut episcopatus, qui in eis erant, extinguerentur [1].

Quamvis autem unio ecclesiae Graecae cum Romana in concilio Florentino decreta, fructu suo maximam partem fuerit frustrata [2], complures tamen Graeci, etiam integri coetus, in ea perseverarunt. Eorum numerus progressu temporis, presertim saeculo sequenti, multum auctus est opera monachorum Latinorum, qui a temporibus cruciatarum expeditionum aliquot adhuc monasteria in imperio Turcico habebant, et missionariorum maxime Iesuitarum, qui a RR. Pontificibus in imperium Turcicum ablegabantur. Maiori numero ad communionem R. Ecclesiae redierunt illi schismatici, qui extra imperium Turcicum erant. Multi quippe Graeci post invasionem Turcarum, praesertim post captam Constantinopolim, relicta patria, in Italiam, Hungariam aliasque terras migrarant. Qui in regionibus Italicis sedes posuerunt, communionem cum R. Ecclesia inierunt. Qui in Hungariam, Croatiam, Slavoniam et Transylvaniam sedes transtulerant, magna parte religioso clericorum Latinorum labore ad eamdem unionem adducti sunt.

In Lithuania, Volhinia aliisque provinciis Polonicis, in quibus magna incolarum pars ecclesiae Graecae erat adscripta, laboribus praesertim Iesuitarum effectum est, ut plu-

[*]) Vid. *Bullar.* t. II, Constitut. 50, § 9.

[1]) Spondan. ad an. 1585-90; Ciacon. *Vitae RR. Pontif.* t. IV.

[1]) Le Quien, *Oriens christianus*; Ricaut, *État présent des églises de la Grèce et de l'Arménie*; R. Simon, *Histoire de la croyance et des coutumes des nations du Levant.*

[2]) Vid. p. 117-118.

rimi eorum a schismate ad unionem redierint. An. 1594 Michaël Ragoza, metropolita Kiovensis, episcopos sibi subditos convocavit Brestam in Lithuania, habitaque synodo unionem cum R. Ecclesia susceperunt, cuius rei instrumentum per episcopos duos Romam miserunt. Clemens Pp. VIII an. 1595 eos laetus excepit, fidemque R. Ecclesiae et obedientiam Apostolicae Sedi professos ad communionem admisit, simul indulsit, ut ritibus graecis, ab Ecclesia non reprobatis, uterentur. Episcoporum ad unitatem catholicam reditum maxima cleri ac populi pars secuta est [1].

Ecclesia Russica eodem schismate ac Graeca a Romano-catholica erat separata. Ioannes Basilides, Russorum caesar, hoc tempore infelici bello cum Polonis implicitus, Gregorii Pp. XIII interventum ad impetrandam pacem postulavit, spemque fecit ecclesiae Russicae cum Romana uniendae. Pontifex an. 1581 in Poloniam et Russiam legavit Antonium Possevinum Iesuitam. Hic pacem inter Stephanum Poloniae regem et Basilidem Russorum caesarem conciliavit, et cum Basilide saepius contulit, ut cum suis, relicto schismate, ad R. Ecclesiae obsequium rediret; sed Basilides, pace constituta, unionis consilia abiecit [2]. Porro ecclesia Russica hactenus ad Cp. patriarchatum pertinuerat, sed an. 1589 Ieremias patriarcha Cp., postulante Russorum caesare, ei proprium concessit patriarcham, Moscoviae residentem, qui quidem a Russis eligendus, sed a patriarcha Cp. confirmandus esset, huncque in gravioribus negotiis consuleret. Huic etiam confirmationis iuri an. 1660 patriarcha Cp., petente Russorum caesare et consentientibus caeteris patriarchis Graecis, renuntiavit. Sic ecclesia Russica a Graeca facta est independes, communio tamen inter utramque perduravit [3].

61. *Status ecclesiarum Orientalium* — Quantum spectabat ad statum ecclesiarum Orientalium, a Graeca, sic dicta orthodoxa, separatarum, quae Nestorianorum et Monophysitarum nomina retinuerunt, quamvis saepius istis haeresibus renuntiassent; plures earum unionem cum R. Ecclesia, saeculis praecedentibus, praesertim tempore Concilii Florentini initam [1], sed diversis e causis aut interruptam aut languentem, durante hac epocha renovarunt, vel nunc primum inierunt. Anno 1553 Salaka, electus patriarcha Nestorianorum unitorum veteris Assyriae, Romam venit confirmationem suae electionis postulaturus, coram Iulio Pp. III primatum R. Ecclesiae eiusque Fidem suo suorumque nomine professus est, et litteras episcoporum suorum, observantiae erga R. Pontificem plenissimas, exhibuit. Quapropter Iulius eum patriarcham sacravit, pallio honoravit et cum novis missionariis ad propagandam in Oriente Fidem in Assyriam remisit. An. 1562 eorumdem populorum patriarcha Abd-Isu Romam venit sub Pio Pp. IV, ut electionis suae confirmationem et pallium a Pontifice impetraret; qua occasione tum sui tum cleri sui nomine catholicae fidei et obedientiae professionem edidit [2].

Praeterea quum Lusitani littus Malabaricum Indiae sibi subiecissent, Nestorianos, qui ibi 127 coetus efficiebant et patriarcham dictum Babylonicum, Mosulae residentem, tanquam caput suum ecclesiasticum venerabantur, etiam ad unionem cum R. Ecclesia perducere studuerunt. Hac in re Alexis de Menezes, archiepiscopus Goanus et in India Lusitanica, regis munere fungens, effecit, ut in synodo Diamperi prope civitatem, quae dicitur s. Thomae, an. 1599 habita, Nestoriani doctrinam et instituta catholica acceptarint; quo facto eorum episcopus Romam missus est, ubi patriarchae Mosulensi renuntiavit, Pontifici obedientiam iuravit, et ab eo sacram ordinationem accepit [3].

Iisdem temporibus adlaboratum fuit reducendis ad unionem catholicam Æthiopibus seu Abyssiniis, qui errores Monophysitarum sub obedientia Alexandrini Coptorum patriarchae sectabantur. Postquam illi iam commercium et coniunctionem cum Lusitanis iniissent, David eorum rex, ut eo certius a Lusitanis militare auxilium contra vicinum regem, hostem suum, impetraret, Ioannem Bermudem, quem medicum suum legatus Lusitanus in Abyssinia reliquerat, Abyssiniorum episcopum creari curavit; quod hic ea tantum conditione admisit, si a R. Pontifice confir-

---

[1]) Baron. *Annal.* Append. t. VII, alias IX; Spondan. ad an. 1595.

[2]) Possevin. *Moscovia, seu de rebus Moscoviticis.*

[3]) Le Quien, *Op. cit.*; Wagner, *Geschichte des Russichen reichs.*

[1]) Vid. p. 111-112.

[2]) Raynald. ad an. 1553 et 1562; Ciacon. *Vitae Iulii III* et *Pii IV.*

[3]) Le Quien, *Op. cit.*; Asseman. *Biblioth. orient.* t. III, p. II; Raynald. et Spondan. *Annal.*; Labbe, *Concil.* t. XV, p. 1528.

maretur. Bermudes anno circiter 1538 Romam venit, et a Paulo Pp. III confirmatus, Ioannem III regem Lusitaniae adivit, a quo militaria auxilia pro rege Abyssiniorum impetravit. Quum Bermudes cum Lusitanis in Abyssiniam esset reversus, obierat David rex, eique successerat Claudius filius; qui, cum Lusitanorum auxilio contra hostes indigeret, R. Pontifici obedientiam promisit, sed in regno firmatus ad obedientiam patriarchae Alexandrini reversus est, Bermudem et Lusitanos pessime tractavit. Ili per provincias dispersi sunt, Bermudes vero in Europam rediit. Mox post Bermudis discessum in Abyssiniam venerunt plures Iesuitae, a Iulio Pp. III et rege Lusitaniae illuc ablegati; sed tam apud Claudium regem, non multo post in praelio occisum, quam apud eius successorem, an. 1562 mortuum, parum effecerunt. Maiori cum fructu laborarunt sub novo rege, qui reliquo saeculi huius tempore imperavit. Prioribus Iesuitis mortuis, vel occisis, venerunt alii, qui regem Seguedum Religioni catholicae adeo conciliarunt, ut haereseos eutychianae professionem sub poena capitis proscriberet; quo facto populus saepius quidem in seditionem prorupit, sed semper a rege repressus fuit. Postea Vrbanus Pp. VIII Alphonsum Mendez, Iesuitam Lusitanum, episcopum et patriarcham Abyssiniae denominavit, qui an. 1625 in hanc terram venit. Tunc rex cum omnibus aulicis obedientiam R. Pontifici iuravit, praescripsitque, ut omnes Abyssinii fidem et ritus Romanos sequerentur; sed cum multi, a monachis suis excitati, armata manu resisterent, religionis optionem seu libertatem subditis restituit. Basilides vero, Seguedi an. 1632 mortui filius et successor, patriarcham aliosque Iesuitas expoliatos et male tractatos misit in Indiam; caeteri qui remanserant, interfecti sunt, omnisque unio cum R. Ecclesia abrupta [1].

Tentata etiam fuit unio Monophysitarum in Ægypto, qui Copti dicuntur. Eorum patriarcha anno circiter 1560 Romam legatum misit, qui Pontifici desiderium eius de unione cum R. Ecclesia testatum faceret. Non multo post epistolam eiusdem argumenti ad Pontificem scripsit. Pius Pp. IV an. 1563 ad eum legavit aliquot Iesuitas dona ferentes, sed patriarcha iis acceptis respondit, se nonnisi consuetum urbanitatis obsequium Pontifici exhibere voluisse. Cum Gregorius Pp. XIII alios

[1]) Le Quien, *Oriens christ.*; Maffei, *Historia Ind.*; Ludolf, *Historia Æthiopica.*

Iesuitas ad Coptorum patriarcham misisset, anno 1582 in metropoli Ægypti Cairo e regione veteris Memphis synodus congregata est, cui interfuerunt patriarcha, episcopi, coenobiorum superiores, viri primarii, et nomine R. Pontificis patres Iesuitae. Post multas disputationes de duabus Christi naturis, synodus confessa est. Christum habere duas naturas, divinam et humanam, et anathematis poenam proposuit, si quis Christum altera natura spoliaret. Verum quod confessi fuerunt, chirographo confirmare noluerunt. Obstitit maxime vicarius patriarchae, sperans fore ut ea ratione patriarchatum consequeretur. Obstitit etiam ipsius patriarchae mors. Iesuitae brevi post ceu proditores a Turcis, qui Cairo imperabant, in carcerem coniecti sunt, et non nisi magno pretio libertate redempta, Romam redierunt. An. 1594 Gabriel patriarcha Coptorum, rursus legatos Romam misit cum litteris ad Clementem VIII, in quibus Pontifici, quem patriarcharum principem appellabat, perfectam subiectionem promittebat, fidemque R. Ecclesiae in omnibus acceptabat. Eamdem fidem et obedientiam coram Pontifice et cardinalibus professi sunt legati. Verumtamen unionis negotium parum durasse videtur [1].

62. *Ecclesia Iaponens.* — In vastissimis Asiae et Americae insulis Religio christiana magna habuit incrementa. In Iaponia post s. Francisci Xaverii discessum per relictos ibi ab eo Iesuitas, novosque his accedentes, Evangelium propagatum est eo successu, ut in ipsa imperii metropoli Meaco ecclesiae et scholae christianae erigerentur, et nondum elapsis 40 annis numerus Christianorum excederet 200,000, inter quos reges, aulici, belliduces aliique e nobilissimis familiis erant. Pontificatum gerente Gregorio XIII tres reges christiani Iaponiae, nimirum Franciscus Bongi, Protasius Arimae et Bartholomaeus rex Omurae, legatos Romam miserunt, qui Pontifici obsequium professi sunt, litteras suorum principum, summa observantia plenas, obtulerunt; novosque missionarios postularunt. Ipse imperator Nobunanga Christianis eorumque missionariis favebat, bonzos eorumque religionem irridebat et idolorum templa destrui permittebat.

Post Nobunangae mortem (1582) primo imperii procurationem, deinde ipsum impe-

[1]) Sacchini, *Historia Societatis Iesu*; Renaudot, *Historia patriarch. Alexand. Iacobit.*; Labbe, *Concil.* t. XV, p. 882.

rium occupavit Taikosama. Hic etiam aliquandiu christianis favit, sed postea eorum numerus continuo crescens metum, quem bonzi augebant, in eo excitavit, ne aliquando Europaei ope christianorum imperio potirentur. Igitur iam an. 1587 edixit, ut omnes missionarii Iaponia excederent, nullus Iaponensis Religionem christianam susciperet, et christianorum ecclesiae destruerentur. Missionarii procerum protectione potiti, magna ex parte in imperio clam manserunt, nonnulli eorum, pluresque christiani suppliciis affecti sunt, et ex 150 ecclesiis 70 concrematae. Anno 1569 renovandae persecutioni ansam dedit incautus sermo ducis cuiusdam navis Hispanicae, administro imperii Iaponici dicentis, regem suum immensas terras non minus praedicatorum quam militum ope sibi subiecisse. Tunc Taikosama omnes missionarios comprehendi, plures interfici, reliquos imperio eiici iussit. Ex indigenis christianis haud pauci martyrio affecti sunt, quod constantia vere heroica pertulerunt.

Anno 1598 extincto Taikosama, imperium accepit Fideiori, eius filius adhuc minorennis, sub tutela Ieias. Confestim missionarii praesertim Iesuitae novo ardore colligendis ecclesiis, confirmandis fidelibus et convertendis aliis adlaborarunt eo successu, ut ii, qui antea Evangelii gratiae restiterant, nunc constantia et patientia eorum, qui persecutionis tempore martyrium passi erant, permoti, Fidem susciperent, et duorum annorum 1599-1600 spatio plus quam 70,000 Iaponensium baptizata sint, pluresque ecclesiae extructae [1]. Post annos paucos persecutionem in Iaponia instauratam videbimus.

Eodem tempore Religio christiana in vastissimum imperium Sinarum et in regnum Maduranum introducta fuit, ut infra latius narrabimus.

63. *Synodi in America* — In America Religio christiana admodum invalescebat. In Peruvia ita formatus erat ecclesiarum status, ut an. 1582 synodus celebrata legatur Limae, quae erat Peruviae metropolis; in qua Fidei dogmata fuerunt explicata et disciplina composita secundum concilii Tridentini definitiones et decreta [2]. Post 3 annos (1585) synodum celebratam fuisse legimus in Mexico, cui praeter archiepiscopum Mexicanum interfuerunt episcopi Guatemalensis, Mechoacanensis, Tlascalensis, Iucatanensis, Novae Galiciae seu Guadalaiarensis et Antequerensis. In ea ad uniforme rectumque ecclesiarum regimen plura decreta condita sunt, in 5 libros diversosque titulos distincta [1].

64. *Vrbanus VII*, *Gregorius XIV*, *Pontifices* (*an.* 1590) — Anno autem 1590 VI calendas septembris obiit Xystus Pp. V, in cuius locum XVI calendas octobris electus fuit cardinalis Castaneus, patria Genuensis, qui nomen Vrbani VII assumpsit, sed die decima tertia ab electione obiit. In eius locum nonis decembris suffectus fuit Gregorius XIV, Mediolanensis, antea appellatus Nicolaus Sfondratus. Is sponsiones de vita, morte, electione Pontificis et de creatione cardinalium damnavit; biretum rubrum concessit etiam cardinalibus ex Ordinibus regularium, qui ad eam usque diem usi fuerant biretis eiusdem coloris cum veste sua; catholicae fidei in Gallia conservandae studio foederatos principes contra Henricum, Navarrae regem calvinistam, qui regnum Galliae adire tentabat, milite iuvit, illumque iure succedendi privatum declaravit. Brevis fuit eius pontificatus, quum vivere desierit idibus octobris 1591 [2].

65. *Innocentius IX*, *Clemens VIII*, *Pontifices* — Gregorio XIV, IV calendas novembris, subrogatus fuit Ioannes Antonius Fachinetti, cardinalis Bononiensis, sub nomine Innocentii IX, omnibus ob vitae integritatem atque eruditionem acceptissimus. Vrbem totam erexerat in spem haud vanam egregii Pontificatus; sed altero pontificatus mense nondum exacto, XIII calendas ianuarii 1592, citissima morte sublatus est. Tunc sedes Apostolica vacavit usque ad III[m] calendas februarii, qua in eam evectus fuit Clemens VIII, Florentinus e nobili Aldobrandina familia, presbyter cardinalis, antea appellatus Hippolytus. Hic Gallos monuit, ne Henricum, regem Navarrae, susciperent; sed sibi eligerent regem catholicum, qui ecclesiasticam et civilem rem contra Hugonotos tutaretur. Quum deinde Henricus IV, eiurata haeresi, fidem catholicam esset professus, Clemens eum a censuris absolvit et in integrum restituit. Anno 1595 Romae excepit legatos patriarchae Coptorum et Graecorum, ut supra diximus [3]. Anno 1600 Iubilaeum undecimum celebravit. Collegium Romae erexit Scotorum commodo

---

[1]) Crasset, *Histoire du Japon*; Charlevoix, *Histoire et description du Japon*; Possini, *Historia Societ. Iesu*.

[2]) Spondan. ad an. 1583.

[1]) Labbe, *Concil.* t. XV, p. 1192.

[2]) Spondan. ad an. 1590-91.

[3]) Vid. p. 170 et 171.

et institutioni; aliud praeterea fundavit Illyricae iuventuti, quod ab eo hodieque Clementinum appellatur. In gratiam episcoporum Latinorum, in quorum dioecesibus Graeci vel Albanenses, graeco ritu utentes degebant, Graecorum ritus licitos ab illicitis discrevit. Vulgatam ss. Bibliorum versionem diligentius emendandam curavit. Indicem librorum prohibitorum, a Pio IV editum, ut vidimus, approbavit. Ferrariensem ducatum, mortuo Alphonso II duce Estensi, recuperavit. * Viros doctos impense fovit. Statuit, nemini licere per litteras seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri et ab eodem absente absolutionem recipere. Plura constituit ad restituendam in coenobiis regularem disciplinam. Ad dirimendas lites de auxiliis divinae gratiae, quas inter Iesuitas et Dominicanos excitavit in Hispania Ludovici Molinae liber (*De Concordia liberi arbitrii cum donis divinae gratiae*), instituit Romae celebres congregationes, ut videbimus. Praefuit Ecclesiae usque ad annum 1605 [1].

66. *Scriptores ecclesiastici* — Post saeculi huius dimidium floruerunt scriptores quamplurimi: ex his alii in exponendis Scripturis, alii in exornanda theologia aut confutandis haeresibus, alii aliis lucubrationibus ecclesiasticis bene meruerunt.

Primi generis fuerunt supra indicati I. Hesselius, C. Espencaeus, A. Masius, C. Iansenius [2]. His accedunt Guilielmus Lindanus, Dordracensis, e doctore Lovaniensi primo Ruremundensis, deinde Gandavensis episcopus: scripsit librum de optimo genere interpretandi Scripturas [3] et Panopliam Evangelicam [4]; Gilbertus Genebrardus, Ord. s. Benedicti, archiepiscopus Aquensis, elucubravit chronologiam sacram et commentarios in Psalmos; Arias Montanus novam Bibliorum polyglottorum editionem curavit [5]; Flaminius Nobilius, Lucensis, graece et latine doctus, in edendis Bibliis Xysti V et corrigenda Vulgata versione ad testimonia ss. Patrum et LXX interpretum laboravit; Ioannes Maldonatus, Hispanus, Societatis Iesu, latine, graece et hebraice doctus, reliquit eruditos commentarios in Ieremiam, Baruch, Ezechielem, Danielem [1], et in IV Evangelia [2]; Alphonsus Salmeron, Toletanus, Societatis Iesu, scripsit quaestiones et dissertationes in N. Testamentum, et tractatus multos polemicos [3]; Iacobus Pamelius, Brugensis, electus episcopus Audomarensis, praeter liturgiam Latinorum [4] confecit catalogum veterum commentariorum in ss. Scripturas [5]; Franciscus Ribera, Hispanus, S. I., praeter alia composuit commentarios in Prophetas minores [6]; Franciscus Toletus, Cordubensis, S. I., reliquit commentarios eruditos in aliquot N. T. libros; Emmanuel Sa, Lusitanus, S. I., cuius scholia in IV Evangelia et annotationes in universam Scripturam commendantur.

Inter theologos eiusdem aetatis, praeter supra commemoratos I. Ravensteyn, C. Espencaeum, I. Hesselium, S. Hosium [7], numerantur: Bartholomaeus Medina, Hispanus, Ordinis Praed., confecit commentarios in s. Thomam et instructionem de Sacramento poenitentiae; supradictus F. Toletus composuit summam casuum conscientiae [8]; I. Maldonatus, supra laudatus, edidit tractatus de Sacramentis, gratia, peccato originali et de aliis; Nicolaus Sanderus, anglus, edidit libros plures de coena Domini et reali praesentia in ss. Eucharistia, de typica et honoraria ss. Imaginum adoratione, de Ecclesia Christi et visibili eius monarchia; Ioannes Garetius, Lovaniensis, canonicus regularis s. Augustini, elucubravit libros de veritate Corporis Christi in Eucharistia, de mortuis vivorum precibus iuvandis, de sacrificio Missae, de Ssrum invocatione; Michaël de Medina, Hispanus, Ord. s. Francisci, inter cuius opera laudantur tractatus de Fide et de Purgatorio; Andreas Vega, Segoviensis, reliquit tractatus de Iustificatione, gratia, Fide, operibus et meritis; Thomas Stapleton, anglus, Vniversitatis Lovaniensis professor, elucubravit varia opera

*) Baronius, in *Epistola ad Clementem VIII*, praemissa *Annalium* t. VIII, scribit: « *Accidit quasi miraculum a Deo* » (*his libenter utar divinae Scripturae verbis*, I Reg. XIV, 15), *ut Ferraria ferrea plane Civitas sine ferro fuerit expugnata, ipso totum id agente, qui dixit* (Isaiae XLV, 2): « *Ego ante te ibo, et gloriosos terrae humiliabo, portas aereas conteram, et vectes ferreos confringam* »; *ut plane idem, qui Petro* (Act. XII, 10) *aperuit portam ferream, Ferrariae portam Petri patefecerit successori.*

1) Spondan., ad an. 1592-1605.
2) Vid. p. 175.
3) Colon. 1558, in-8°.
4) Ibid. 1590, in-fol.
5) Antverp. 1569-72, 8 vol. in-fol.

1) 1609 in-4°. — 2) Mussipont. 1595, in-fol.
3) Matrit. 1601 et Colon. 1604, 16 vol. in-fol.
4) Colon. 1676, 2 vol. in-4°.
5) Antverp. 1566, in-8°.
6) Colon. 1599, in-fol. — 7) Vid. p. 175.
8) Paris. 1619, in-4°.

polemica et alia [1]; G. Lindanus supra commemoratus, elaboravit plures tractatus de controversiis; A. Salmeron, iam supra indicatus; Petrus Canisius, Neomagensis, S. I., praeter alia composuit Summam doctrinae christianae.

Historiam ecclesiasticam illustrarunt: iam laudatus N. Sanderus, qui scripsit de schismate anglicano [2]; Ioannes Molanus, doctor Lovaniensis, edidit multisque auxit martyrologium Vsuardi, natales Ssrum Belgii, historiam ss. Imaginum; Arias Montanus, iam commemoratus, Antiquitates iudaicas libris 9 explanavit [3]; Petrus Opmerus, Amstelodamus, praeter historiam martyrum Gorcomiensium, dedit Chronographiam a mundi exordio usque ad sua tempora; Florimundus Remondus, Gallus, scripsit de ortu, progressu et ruinis haeresum; L. Surius, supra indicatus [4]; G. Genebrardus, iam commemoratus; Alphonsus Ciaconius, Ordinis Praed., praeter alia collegit vitas et gesta RR. Pontificum et cardinalium [5]. Concilia collegerunt supra indicati B. Carranza [6] et L. Surius. De ritibus Ecclesiae docte disseruit Ioannes Stephanus Durant, Tolosanus [7]. Sacrorum Canonum peritia claruerunt Antonius Augustinus, archiepiscopus Tarraconensis, inter cuius opera commendantur collectiones antiquae Decretalium, canones poenitentiales et epitome iuris pontificii; Didacus Covarruvias supra laudatus [8]; Ioannes Paulus Lancelottus, Perusinus, praeter corpus iuris canonici edidit institutiones iuris canonici. De instituenda christiana piaque vita libros scripserunt s. Carolus Borromaeus [9], Ludovicus Granatensis, Ord. Praed., Bartholomaeus de Martyribus, archiepiscopus Bracarensis, aliique.

67. *Controversiae de auxiliis divinae gratiae* — Per haec ipsa tempora in scholis catholicorum ortae sunt controversiae de nonnullis quaestionibus, ab Ecclesia haud definitis. Controversiae istae praesertim pertinebant ad divinam Librorum Ssrum inspirationem, ad gratiam, hisque affinia. Consentiebant omnes, Libros tum V. tum N. Testamenti esse divinitus inspiratos, hominem sub motione praevenientis gratiae esse liberum, eique libere cooperari, ex parte Dei dari certam et immutabilem electorum praedestinationem. Disputabant vero de modo, quo ss. Scriptores fuissent inspirati, de ratione conciliandi infallibilem gratiae efficaciam cum libera humanae voluntatis cooperatione, deque ratione praedestinationis, si spectetur in intentione seu mente divina.

In primis de his quaestionibus acriter disceptatum est Lovanii inter doctores Facultatis theologicae et patres Iesuitas. Illi an. 1587 e scriptis, quae pp. Lessius et Hamelius in collegio Societatis dictaverant, 34 propositiones excerptas acri censura notarunt. Earum propositionum summa haec erat: 1ª, ut aliquid sit Scriptura S., non est necessarium, ut singula eius verba sint a Spiritu S. inspirata, aut singulae veritates et sententiae sint immediate a Spiritu S. inspiratae; quin imo liber sine assistentia Spiritus S. scriptus, si Spiritus S. postea testetur, in eo nihil esse falsum, efficitur s. Scriptura; 2ª, Deus post praevisum peccatum originale omnibus dare consuevit et reipsa dat sufficientia auxilia ad obtinendam vitam aeternam, omnesque etiam infideles ex parte Dei seu in actu primo habent auxilium sufficiens ad salutem; 3ª, praedestinatio est e praevisione operum seu meritorum. Lessius eiusque socii contra theologorum Lovaniensium censuram ediderunt doctrinae suae apologiam, cui an. 1588 Lovanienses opposuerunt censurae suae defensionem. Eodem anno sacra Facultas Duacensis easdem 34 propositiones acerrima censura perstrinxit.

Quum animorum contentiones utrimque crescerent, Xystus Pp. V interpellatus, rem ad se evocavit. Discussis per delegatos ad hoc opus theologos memoratis propositionibus, Lessii apologia atque censuris Lovaniensium et Duacensium theologorum, Pontifex quaestiones controversas non definivit, sed ad terminandas noxias contentiones sub poena excommunicationis partibus prohibuit, ne una alterius sententias censura notaret, donec auctoritate apostolica fuissent definitae. Quo apostolico mandato per Octavium Frangipani, Sedis Apostolicae apud Coloniam Nuntium, Lovanium perlato, animorum contentio deferbuit [1].

De iisdem pene quaestionibus eodem tempore acriter disceptatum est in Hispania. Ibi disputationibus ansam dedit liber, quem Ludovicus Molina, e societate Iesu et Eborae in

---

[1]) Paris. 1620, 4 vol. in-fol.
[2]) Colon. 1628, in-8°.
[3]) Lugd. Batav. 1596 in-4°. — [4]) Vid. p. 161.
[5]) Romae 1676, 4 vol. in-fol.
[6]) Vid. p. 161. — [7]) Romae 1591, in-fol.
[8]) Vid. p. 161. — [9]) Vid. p. 161.

[1]) Cf L. Meyer, *Historia Congregationum de auxiliis*, l. I; H. Serry, idem, l. I et V.

Lusitania s. Theologiae professor, an. 1588 cum approbatione Inquisitoris Lusitani edidit de concordia liberi arbitrii cum divina gratia, praescientia et praedestinatione. Molina ad conciliandum liberum hominis arbitrium cum divina gratia, docebat, hominem nativis suis viribus seu generali Dei concursu operari posse aliquid moraliter boni, quod quidem nullum supernaturale pretium et meritum pro salute habeat, quo tamen Deus moveatur ad gratiam suam homini, nativis suis viribus bene utenti, conferendam; per cooperationem hominis cum gratia fieri, ut gratia sufficiens fiat efficax et homo usque in finem in bono perseveret. Liberum vero hominis arbitrium cum divina praescientia et praedestinatione conciliabat ope scientiae mediae, qua Deus praevidit, quid homo in his vel illis rerum adiunctis pro sua libertate acturus vel non acturus sit; qua praescientia actionum humanarum libertas minime tangeretur; quod homo non ideo ageret, quia Deus praevidit, sed potius Deus pro plenissima sua cuiusvis rei cognitione id praevideret, quod homo reipsa sit acturus. Ita pariter secundum Molinam Deus ad vitam aeternam praedestinavit eos, quos gratiae suae cooperaturos per scientiam mediam praevidit; quae praedestinatio, utpote non absoluta, sed hypothetica seu fundata in praevisa hominum cooperatione, libero eorum arbitrio minime alliceret.

Verum multi, in primis D. Bannes aliique Ord. FF. Praed. theologi, in Hispania in librum Molinae invecti sunt, eumque ad Inquisitionem detulerunt. Illius vero defensionem susceperunt theologi societatis Iesu. Vtrimque ardentius disceptatum est. Brevi post eaedem controversiae non solum in Hispaniae, sed etiam aliarum regionum scholas penetrarunt. Alii, qui in scholis dicti sunt Thomistae, quod se s. Thomae vestigia sententiasque sequi contenderent, gratiae efficaciam repetebant ex intrinseca eius vi, qua Deus independenter a quocumque consensu creato seu physice praedeterminat voluntatem humanam ad actum eliciendum, ita ut homo, hac gratia determinatus, semper et infallibiliter agat; scientiam mediam reiiciebant, et praedestinationem non e praevisis meritis, sed gratuitam et absolutam esse contendebant. Alii, dicti Molinistae, gratiam denominabant efficacem ab effectu, adeo ut gratiam, cui humana voluntas non cooperatur seu resistit, sufficientem; qua vero voluntas utitur et agit, efficacem vocarent; id tamen non sic intelligebant ac si gratia suam efficaciam acciperet a solo hominis assensu, sed exclusa praedeterminatione physica, admittebant moralem gratiae influxum, quo voluntas praevenitur, excitatur, adiuvatur ad actum eliciendum. Praeterea scientiam mediam et praedestinationem e praevisis meritis defendebant.

Cum autem contentiones et turbae nimium ferverent, Clemens Pp. VIII an. 1596 causam ad se evocavit, utrique parti silentium de praesentibus controversiis praescripsit, omnes processus et scripta, simulque episcoporum, Vniversitatum et praecipuorum thelogorum sententias de materia controversa exquisivit. Quum vero Dominicani iudicium Sedis Apostolicae urgerent, Pontifex anno sequenti Romae instituit celebres cardinalium et peritorum theologorum congregationes, a suo obiecto de auxiliis divinae gratiae appellatas, quatenus disputatae quaestiones dilucidarentur. In his utriusque partis, Dominicanorum nempe et Iesuitarum theologi de controversis articulis acerrime disputarunt. Pontifex ipse his congregationibus interesse voluit, ut re magis explorata controversiae finem constitueret. Congregationes an. 1605 morte Clementis VIII interruptae, sub Paulo V eodem anno resumptae sunt. Tunc, cum Iesuitis etiam accusatorum partes fuissent concessae, ardentius disputatum est. Paulus V cernens, ambas partes in tuendis dogmatibus, ab Ecclesia definitis, et in detestandis haeresibus, ab ea damnatis, consentire, post 16 congregationes habitas nullum iudicium de articulis controversis ferendum censuit, et an. 1607 rem ita terminavit, ut utrique parti suam sententiam defendere liberum esset, sed neutra alteram aliqua censura notare praesumeret [1].

68. *Congregationes religiosae* — Interea praeter religiosas societates supra laudatas [2], aliae eodem hoc saeculo institutae sunt. Nimirum Camillus de Lellis, an. 1550 Bucclanici in Aprutio honestis parentibus natus. Primo militiam secutus, deinde ad meliorem frugem conversus, Romae propter foedum ulcus, quo in tibia laborabat, in valetudinarium receptus fuit, cuius paulo post procurationem gessit. Postea sacerdotio initiatus, ad subsidium animarum in extremis periclitantium instituit Congregationem Clericorum regularium, quos quarto voto mini-

[1]) T. Lemos, H. Serry, L. Meyer, *Acta Congregationum et disputationum in controversia de auxiliis divinae gratiae.*

[2]) Vid. p. 162-163.

strandi infirmis, etiam peste infectis, obstrictos voluit. Congregationem approbavit Xystus Pp. V. Camillus vitae sanctitate clarus obiit an. 1614, postea a Benedicto XIV fastis Ssrum adscriptus [1].

Ei aequalis fuit Franciscus Caracciolo, an. 1563 nobili loco in oppido s. Mariae de Villa in Aprutio oriundus, qui a primis annis eximiae pietatis cultu enituit. Sacerdos factus, se totum devovit lucrandis Christo animabus; deinde una cum Ioanne Augustino presbytero aliisque instituit Congregationem Clericorum regularium minorum, qui tribus consuetis votis adderent quartum de non ambiendis dignitatibus ecclesiasticis. Congregationem approbavit Xystus V. Franciscus vitam sanctissimam pie terminavit an. 1608, deinde a Clemente XIV inter Beatos et a Pio VII inter Sanctos relatus [2].

In Gallia magno pietatis bono Congregationem Doctrinae christianae instituit Caesar de Bus, qui an. 1544 Cabillone natus, a laxiori vita, quam aliquandiu sectatus fuerat, revocatus, sacrae militiae nomen dedit. Sacerdotio initiatus, oppida et pagos catechizando et praedicando pertransiit. Multi eius exemplum secuti sunt, quibuscum an. 1593 Avenione initia Congregationis posuit, cuius socii se principaliter devoverent docendae pauperes doctrinae christianae. Congregationem approbavit Clemens VIII. Obiit venerabilis Caesar de Bus an. 1607 [3].

Ad christianam puellarum institutionem etiam hoc saeculo congregationes erectae sunt. Ex his fuit congregatio Sororum Angelicarum, quae etiam Guastallinae dictae sunt, quod earum fundatrix fuerit comitissa Guastallae. Haec Institutum Barnabitarum imitata, socias suas primo moribus sexus sui emendandis, deinde puellis erudiendis et educandis destinavit, atque an. 1534 Congregationis suae approbationem ab Apostolica Sede accepit [4].

Talis etiam fuit Congregatio Vrsulinarum, quae ita dictae sunt, quod s. Angela easdem sub patrocinium s. Vrsulae constituisset. S. Angela an. 1506 in agro Brixiensi nata, primo an. 1537 plures pias virgines Brixiae permovit ad ineundam societatem, spiritualibus congregationibus similem, cuius finis esset, opera misericordiae corporalia et spiritualia exercere, speciatim puellas pie instituere. Illas ad vitam communem non congregavit, sed simplici voto castitatis adstrictas, in privatis aedibus habitare permisit. Post obitum s. Angelae (1540) eius confessarius et nobiles aliquot matronae memoratam societatem protegendam susceperunt, et an. 1544 impetrarunt, ut Paulus Pp. III singulari bulla eam confirmarit, facta simul superioribus potestate constitutiones pro rerum adiunctis mutandi [1].

Demum hoc saeculo ad exemplum Fratrum misericordiae etiam Sorores misericordes ad infirmas sui sexus personas curandas in congregationes coaluerunt [2].

69. *Annus Iubilaei* (*an.* 1600) — Quum iam proximus esset annus centesimus, Clemens Pp. VIII universo orbi christiano Iubilaeum indixit, plenissimam indulgentiam concedens iis, qui poenitentes et contriti Romae basilicas s. Petri in Vaticano, s. Pauli in via Ostiensi, s. Ioannis Lateranensis et B. M. Maioris devote visitarent. Omnes ad tantae gratiae consecutionem invitavit, principes hortatus est, ut erga peregrinos, Romam profecturos, beneficentiam exercerent, et quo magis fideles undique ad visitandas basilicas adliceret, cunctas ubique indulgentias per totum annum suspendit [3].

Tantus fuit numerus peregrinorum, qui an. 1600 ad lucrandam Iubilaei gratiam Romam venerunt, ut a ministris hospitalis ss. Trinitatis 500,000 fuerint excepti, non computata ingenti multitudine eorum, qui in propriis singularum nationum xenodochiis, in monasteriis et domibus privatis fuerunt suscepti; adeo ut in universum numerus eorum, qui toto hoc anno in Vrbem venerunt, 3,000,000 credatur. Multi etiam haeretici, sive curiositate sive aliis causis allecti, Romam venerunt, pluresque eorum, spectatis pietatis, misericordiae aliarumque virtutum exemplis, quae Pontifex, clerus et populus Romanus exhibebant, opiniones, ex iniquis ministrorum suorum criminationibus contra Pontificem et ecclesiam Romanam praeconceptas deposuerunt, haeresim eiurarunt et catholicam fidem amplexi sunt. Ex his fuit Stephanus Calvinus, haeresiarchae affinis, qui post conversionem suam Ordinem Carme-

[1]) P. Citadello, *Vita s. Camilli*, ex italico in latinum versa a P. Halloix, Antv. 1602; Helyot, *Hist. des Ordr. relig.* t. IV, p. 263.
[2]) A. Cencelli, *Vita s. Francisci Caracciolo* (italice), Romae 1805, in-4°.
[3]) P. du Mas, *Vie de César de Bus*, Paris 1703, in-4°; I. Beauvais, idem, in-4°.
[4]) Helyot, *Hist. des Ordres relig.*

[1]) Helyot, *Op. cit.* — [2]) Ibid.
[3]) *Constit.* 58 in *Bullar. roman.* t. III.

litarum discalceatorum ingressus, in eo insignis pietatis specimen praebuit usque ad obitum suum [1].

70. *Religionis status in Gallia sub Henrico IV* — In Gallia post Henrici III mortem (1589) bellum civile inter Henricum regem Navarrae et catholicos foederatos continuatum est usque ad annum 1593. Hoc anno Henricus de suscipiendis catholicorum sacris serio cogitavit, collatisque cum doctissimis viris consiliis, haeresim abiuravit et catholicam fidem professus est. Ab haeresi absolutus, anno sequenti Carnuti rex Galliae sub nomine Henrici IV sacratus est. Eodem anno Parisios ingressus, honorifice exceptus est, cunctisque praeteritorum omnium gratiam concessit. An. 1595 Clemens Pp. VIII absolutionem et reconciliationem Henrici IV confirmavit, eumque in integrum restituit.

Redeuntem in Gallia pacem graviter turbavit Ioannes Châtel, adolescens perditissimus, qui nefando consilio necandi regem inito, an. 1594 eum ictu cultri percussit, non tamen occidit. Châtel mox interceptus et supplicio affectus, sceleris sui poenas luit. Verum quum in quaestione respondisset, se olim annis 3 in scholis Iesuitarum studiis vacasse, horum adversarii, qui in senatu Parisiensi multi erant, Iesuitas criminis consiliarios fautoresque dixerunt; mox eorum domos explorata fuit, sed nihil repertum praeter libellum, contra Henricum IV ante eius cum Ecclesia reconciliationem editum, et a I. Guignard, Collegii Societatis bibliothecario, curiositatis causa, ut in similibus fit, conservatum. Nihilominus per senatus Parisiensis sententiam Guignard laqueo damnatus, omnesque Iesutae ex universo regno proscripti sunt. Quam iniuste hac in re senatus contra Iesuitas processerit, ostendunt scriptores minime suspecti, testanturque I. Châtel ad mortem usque constanter asseruisse, se proprio marte facinus commisisse, Iesuitas esse ab eo alienos, nullum eorum sibi illud suasisse; senatum vero spreto iuris ordine, partibus non auditis, nullaque praeteritorum et gratiae a rege concessae habita ratione Iesuitas proscripsisse [2]. Vnde Henricus IV intellecta opprobriorum Iesuitis factorum falsitate, anno 1604 iis redeundi in Galliam potestatem fecit, et brevi post faculta em theologicas et philosophicas litteras, artesque liberales publice docendi concessit; ex quo tempore latius quam antea per Galliam propagati sunt [1].

Interim Henricus IV regni tranquillitati et prosperitati adlaboravit. Cum vero Calvinistarum numerus in Gallia nimium auctus esset, iique in arma proni, publicae paci continuo minitarentur, an. 1598 in eorum favorem Nanneti celebre edictum, ab hac urbe Nannetense appellatum, edidit, quo iis liberum religionis exercitium, eademque cum catholicis iura publica concessit. Clerus catholicus, Vniversitas Parisiensis, praesertim Sorbona, supremae denique curiae edicto Nannetensi multum inviderunt; senatus Parisiensis illud in catalogum legum referre diu recusavit, donec tandem an. 1599 rex ipse in curia praesens gravi oratione eum ad hoc faciendum permoverit [2].

Henricus rerum gestarum praestantia et industria magni nomen consecutus, regnavit usque ad an. 1610, quo a Francisco Ravaillac, Engolimensi, interfectus est [3]. Hoc parricidio adversarii Iesuitarum rursus contra eos usi sunt, et libellos accusationum plenos adversus eosdem ceu auctores et defensores doctrinae de caede regum ac principum vulgarunt; senatus Parisiensis librum I. Marianae, iesuitae Hispani, *De rege et regis institutione*, igni damnavit, librumque R. Bellarmini, *De auctoritate R. Pontificis in temporalibus*, sub poena laesae maiestatis interdixit; sed Maria Medicea, regina vidua et regni procuratrix, interdicti istius promulgationem suspendit; librum vero Marianae iam ante Iesuitae ipsi improbarant, eiusque correctionem an. 1599 imperarat praepositus generalis Societatis. Quantum autem ad necem Henrici IV spectabat, Iesuitae se contra obtrectatores facile vindicarunt, et ipse Ravaillac quaestionibus pressus, constanter asseruit, se solum esse criminis auctorem [4].

71. *Religionis status in Belgio*—An. 1598 Philippum II regem Hispaniae defunctum, excepit Philippus III filius eius, qui usque ad 1621 regnavit. Fuit is princeps pius, humanis purisque moribus, sed gerendarum rerum

---

1) Spondan. ad an. 1600.

2) Continuator Fleury, *Hist. eccl.* t. XXXVI, p. 489 et 502; S. Dupleix, *Histoire de Henri le Grand*, p. 163; P. de l' Etoile, *Journal du regne de Henri IV*, an. 1595; J. A. de Thou, *Histoire univers.* l. 132; P. Matthieu, *Hist. de France*, t. II, l. 1; P. V. Cayet, *Chronol.* l. VI, p. 432; M. Sully, *Mémoires*, t. II, p. 457, edit. 1763.

1) *Hist. Societatis Iesu.*

2) Fontanon, *Collect. edictor. reg.* t. IV, tit. 7.

3) Perefixe, *Histoire du roi Henri IV.*

4) Spondan. ad an. 1610; Richeome, *Examen de l' Anti-Coton.*

expers. Philippus II, paulo ante mortem suam provincias Belgicas et comitatum Burgundicum cesserat filiae suae Isabellae, quae Alberto archiduci, Maximiliani II filio, nupsit. Archiduces Albertus et Isabella an. 1599 summo Belgarum plausu excepti sunt, bellum adversus foederatas sub Mauritio Nassovio principe Arausico provincias prosecuti sunt usque ad annum 1609, quo utrimque 12 annorum induciae sancitae fuerunt. Interim in provinciis meridionalibus mala, Religioni per bella civilia illata, reparata fuerunt. Piis principum studiis opem tulerunt Belgae. Plures ecclesiae et monasteria vel instaurata vel extructa sunt, bona ecclesiastica restituta, disciplina composita. In hunc finem Matthias Hovius, archiepiscopus Mechliniensis, anno 1607 provincialem synodum coëgit, in qua decreta plura, in 26 articulos distributa, condita sunt de Fidei professione, Sacramentis, divini verbi praedicatione, clericorum et monachorum vita, scholis, seminariis, aliisque. Quae decreta a Paulo Pp. V recognita et approbata fuerunt [1].

72. *Arminiani in Hollandia* — Contra in provinciis foederatis, ab Hispanorum iugo separatis, calviniana religio ubique praevaluit et catholica depressa fuit. Verum hic etiam nova religio controversiis, turbis et factionibus causam dedit. Iacobus Arminius, in Lugdunensi Batavorum Vniversitate theologiae professor, an. 1604 in publica disputatione inter alia, a Calvini doctrina aliena, asseruit Deum non absoluto decreto alios homines ad vitam, alios ad mortem aeternam praedestinasse, sed propter fidem Christo adhibitam aut denegatam; unde sequebatur, homines, quamvis fides sit donum Dei, tamen ad salutem accipiendam cooperari posse et debere. Eius assertiones mox palam impugnavit Franciscus Gomarus, Arminii collega. Cum vero Arminius inter litterarum studiosos, professores et praedicatores asseclis non careret, ortae sunt duae factiones, Arminianorum nempe et Gomaristarum, dictis et scriptis se mutuo impugnantes. Gomaristae, placitis Calvini strictius inhaerentes, ad publicam fidei confessionem et ad catechismum Heidelbergensem, iussu Friderici III electoris Palatini circa an. 1560 confectum, provocabant. Arminiani eiusmodi scripta symbolica de novo discutienda, corrigenda, imo potius abroganda esse contendebant.

[1]) De Gerlache, *Hist. du royaume des Pays-Bas*, Introduct.; De Ram, *Synodicon Belgicum*, t. I.

Potestas civilis litigantes, institutis inter eos colloquiis et imperata mutua tolerantia, ad pacem perducere frustra conabatur. Gomaristae contendebant, eiusmodi controversias non nisi a nationali synodo componi posse. Arminiani, numero et existimatione inferiores, synodum declinabant, et potestatis civilis praesidium quaerebant, ut saltem religiosa tolerantia ab ea decerneretur. Arminio an. 1609 mortuo, dissensio aucta et ad ipsam plebem propagata est, ita ut subinde turbae excitarentur. Anno sequenti Arminiani publicis Hollandiae Ordinibus obtulerunt libellum *Remonstrantiam* inscriptum, a quo ipsi *Remonstrantes* dicti sunt. In eo se a crimine depravatae religionis aliisque sibi ab adversariis impactis, vindicarunt, et doctrinam suam de praedestinatione, aliisque 5 articulis proposuerunt. Eorum summa haec erat: Deus ab aeterno decrevit, ut in Christum credituri et in fide ac obedientia erga eum usque in finem perseveraturi, vitam aeternam consequerentur, infideles vero et peccatores non resipiscentes in aeternum damnarentur; ad fidem illam salvificam hominem quidem gratia Dei per Christum indigere, quae causa inchoatae, continuatae et perfectae salutis eius est, eam tamen nec solam nec irresistibiliter operari. His postea addiderunt, hominem per culpam suam gratia et fide in perpetuum excidere posse. Eorum libello Gomaristae alium *Contraremonstrantiae* opposuerunt, in quo doctrinam Calvini de praedestinatione ab adversariorum obiectionibus vindicarunt. Demum dissidiis et turbis crescentibus, et concordia institutis inter partes colloquiis frustra tentata, an. 1617 in generali Ordinum totius Belgii foederati congregatione decretum est, ut ad dirimendas controversias generalis synodus anno sequenti celebraretur Dordraci.

73. *Synodus Dordracensis* — Igitur anno 1618 synodus Dordraci habita est, cui praeter theologos Batavos adfuerunt multi extranei. Arminiani theologi synodum iudicem recusarunt, contenderuntque, litem non e libris symbolicis, sed e sola Scriptura colloquiis componendam, vel suprema magistratus civilis potestate definiendam. Synodus vero eos propterea increpavit, obstinatos abegit, iisque censuras intentavit. Deinde dogmatica decreta de praedestinatione et adiunctis materiis, a mente Calvini non parum aliena, sancivit; nam deserto horrendo eius commento de praedestinatione ante lapsum, eam post lapsum factam esse statuit. Praeterea theologos arminianos

seu remonstrantes deposuit, alios aliis poenis subiecit, omnibusque, qui his decretis subscribere nollent, munere ecclesiastico interdixit.

Quum haec decreta ab Ordinibus generalibus essent confirmata, praedicatores Remonstrantium ubique depositi sunt, nonnulli relegati, multi in alias regiones transierunt; sacri eorum conventus interdicti, etiam armis dispersi sunt. In extraneis quoque, seu extra foederatas provincias, Calvinistarum ecclesiis, excepta Brandeburgica, decreta Dordracena acceptata fuere, nominatim in Gallicana, quae an. 1620 in synodo Alectensi statuit, ut omnes professores et praedicatores ea iuramento approbarent; munere ceciderunt, qui iuramentum detrectabant.

Anno 1625 mortuo Mauritio principe, sub Friderico Henrico, fratre eius et successore, plures praedicatores Remonstrantium in patriam reversi sunt, sacros conventus publice agere coeperunt, et an. 1630 potestatem vivendi secundum suam confessionem acceperunt. Brevi tempore numero aucti sunt, sed exinde a characteristicis religionis christianae doctrinis magis magisque recedentes et Socinianorum sententiis appropinquantes consubstantialitatem Filii et Spiritus S. cum Patre, item peccatum originale negarunt; praeter paucas veritates religionis fundamentales, caeteras, quamvis in s. Scriptura exaratas, non esse ad salutem necessarias docuerunt; et pedetentim in rationalismum seu indifferentismum prolapsi sunt [1].

74. *Leo XI, Paulus V, Pontifices (an. 1605)* — Interea Clementi Pp. VIII, v° nonas martii 1605 defuncto, calendis aprilis suffectus est Leo XI, antea vocatus Alexander Octavianus Mediceus, cardinalis episcopus Florentinus. Sedit tantum 26 diebus. Post eum, postridie idus maias, electus fuit Paulus V, antea Camillus Cardinalis Burghesius, origine Senensis.

Hic Pontifex gravissimam contentionem habuit cum republica Venetorum. Anno quippe 1603 reipublicae senatus duo consulta ediderat, quibus vetabatur, ne sine senatus licentia novae ecclesiae, monasteria aut alia aedificia ecclesiastica extruerentur, societates spirituales erigerentur, bona immobilia clero venderentur, donarentur aut testamento legarentur. Praeterea 2 clericos, criminum reos, nulla habita status eorum ratione, carceri manciparat. De his decretis et actis tanquam ecclesiasticae libertati et immunitati contrariis Paulus V apud senatum Venetianum conquestus est, utque illa revocarentur et clerici sacerdotum iudicio redderentur, postulavit. Quum vero senatus per legatum suum decreta ea defenderet, Pontifex monitorias litteras ad rempublicam dedit, quibus illa decreta irrita declaravit et sub excommunicationis poena revocari iussit. Senatus in sententia sua perstitit. Quare Paulus V post iteratam admonitionem an. 1606 sententiam contra rempublicam scriptam fulminavit, qua senatus cum praeside et asseclis suis excommunicabatur, omnibus privilegiis, ab ecclesia Romana acceptis, privabatur, et si porro resisteret, tota respublica sacro interdicto subiiciebatur. Senatus minime flexus, contestationem ad omnem clerum dedit, qua excommunicationem immeritam declaravit, et ne quis clericorum interdictum observaret, vetuit. Plerique senatui paruerunt; qui vero Pontifici obedire malebant, Iesuitae, Theatini, Capuccini, aliique e ditione Venetiana, discesserunt. Pacis sequester acceptus fuit Henricus IV rex Galliae, cuius legati, cardinalis De-Joyeuse apud senatum Venetianum et cardinalis Du-Perron apud Pontificem, an. 1607 pacem ita composuerunt, ut hic censuras, ille decreta et acta sua revocaverit [1].

Idem Pontifex congregationibus de auxiliis divinae gratiae finem constituit, ut supra diximus [2]. Constitutiones Xysti IV et Pii V de immaculata B. V. Mariae conceptione innovavit, stricte prohibens, ne quis in lectionibus, conclusionibus aut aliis actibus publicis asserere praesumeret, B. V. Mariam in originali peccato fuisse conceptam. Propagationi christianae Religionis et omnium gentium saluti procurandae consulturus, constituit, ut in religiosorum gymnasiis, praeter latinas, graecae, hebraicae et arabicae litterae traderentur. Novos missionarios ad Congitanos, Persas, Indos, Iaponenses, Sinenses aliosque populos destinavit; Legatos regum Congi, Persidis et Iaponensium honorificentissime excepit. Vaticanum D. Petri templum absolvit, porticu, aliisque operibus adiunctis. Vaticanam quoque Bibliothecam amplificavit, ornavitque. In Basilica Liberiana sacellum splendidissimum aedificavit Virgini Deiparae, *Burghesium* postea dictum ab eius cognomine. Vias stravit, flu-

[1]) Natal. Alex. *Hist. Eccl.* saec. XVI, c. 11, a. 12; Pluquet, *Diction. des Hérés.* art. *Arminius*, *Gomar*, *Hollande*.

[1]) Spondan. ad an. 1606-1607.
[2]) Vid. p. 175.

vios pontibus iunxit, et aquam in agro Braccianensi saluberrimis fontibus collectam, veteribus aquae Alsietinae ductibus restitutis, novisque adiectis, XXXV ab milliario duxit in Ianiculum; Vrbemque *Leoninam*, aliaque Vrbis aedificia ornavit et instauravit. Obiit an. 1621 [1].

75. *Religionis status in Anglia sub Iacobo I* — Idem Pontifex iuramenti formulam, a Iacobo I anglis catholicis propositam, damnavit. Etenim Elisabetha, persecutione in catholicos celebris, cum regnasset 45 annis, obiit an. 1603. Ei successit Iacobus I, rex Scotiae, Mariae Stuartae filius, qui Scotiam, Angliam et Hiberniam in unius regni formam redegit. Sub eo, matre invita, haeretice instituto Religionem catholicam e Scotia proscriptam vidimus [2]. Iacobus quamvis inter Puritanos in Scotia educatus, intelligens tamen principia eorum democratica de regimine ecclesiastico regiae quoque auctoritati esse inimica, illis relictis, Episcopalium seu Anglicanorum sectae favit, episcopis ampliorem in rebus ecclesiasticis potestatem concessit, eosque in Scotia restituit. Catholicorum vero conditio fere eadem fuit sub Iacobo I ac sub Elisabetha. Eorum quippe adversarii imbellem regem omni via contra illos excitabant. Sic an. 1605 coniurationem pulveream, ita dictam a pulvere tormentario sub aede, in qua regni comitia celebrarentur, ad regem proceresque perdendos occultato, universis catholicis praesertim sacerdotibus, Iesuitis et aliis, imputarunt. Vnde factum est, ut diligentius in eos, maxime in sacerdotes, fuerit inquisitum, et ex his plusquam 30 suppliciis affecti sint. Constitit tamen, inter paucos, qui dictae coniurationis complices reperti sunt, alios catholicos, alios haereticos fuisse [3].

Vtque catholicos regi magis invisos redderent, eum perduxerunt ad praescribendam omnibus iuramenti formulam, in qua sub specie fidelitatis, quae principibus debetur a populis, saltem implicite ipsius catholicae fidei abnegatio continebatur. Paulus Pp. V ab anglis catholicis, quorum alii illud iuramentum licitum, alii illicitum existimabant, interpellatus, respondit, illud tuta conscientia praestari non posse. Quum igitur plerique catholici praedictum iuramentum praestare recusarent, in eos tanquam in regem rebelles persecutiones motae sunt. Regnavit Iacobus I usque ad an. 1625 [1].

76. *Religionis status in Polonia* — Vidimus iam, quantas progressiones sectae haereticorum Lutheranorum, Calvinistarum et Antitrinitariorum, in Polonia vicinisque regionibus saeculo praecedenti fecerint [2]. In Polonia sub Sigismundo III, qui ab an. 1587 usque ad 1633 regnavit, religio catholica incrementa grandia cepit. Sigismundus III, filius Ioannis III regis Sueciae, a matre, quae erat e regia Polonorum familia, et Iesuitis in catholica Religione institutus, illius stabiliendae et dilatandae in Polonia studiosissimus fuit. Quare haereticos paulatim e supremo senatu exclusit, et alia quoque munera ac dignitates publicas solis fere catholicis contulit; Iesuitae tum sermone tum scripto catholicae Religionis veritatem demonstrabant, haeresesque confutabant. Vnde factum est, ut multi nobiles Poloni ad catholicam Religionem reverterentur, suosque etiam subditos multifariis modis ad exemplum suum sequendum promoverent.

Idem Sigismundus, an. 1592 patris sui in regno Sueciae successor, in ea quoque Religionis catholicae exercitia restituere conatus est. At obstiterunt Suecorum proceres et praesertim Carolus, Sigismundi patruus, fervidus lutheranus, qui, illo absente, Sueciam administrabat. Hic Suecis auctor extitit, ut Religionis catholicae exercitium prohiberent, et regi, id non ferenti, armata manu resisterent. Inde bellum, in quo quum victus esset Sigismundus, Sueci an. 1599 ab eo postularunt, ut lutheranam religionem amplecteretur, hocque recusantem, an. 1602 deposuerunt, et Carolum, patruum eius, regem crearunt.

Hungaria — In Hungaria sub Maximiliano et Rudolpho regibus, qui propter graves temporum circumstantias a vi contra haereticos adhibenda abstinendum censebant, protestantes religionem suam libere exercuerunt, plurimum auxerunt, variasque catholicorum ecclesias occuparunt. In Transylvania iam an. 1556 religionis libertatem publica lege sancitam nacti sunt, ut vidimus [3]. Anno vero 1597 Rudolphus decretum de refraenandis in

1) Spondan. ad an. 1608-21.
2) Cf p. 158.
3) M. Higgons, *Coup d'oeil sur l'histoire d'Angleterre*, p. 252, La Haye 1727; Le Fèvre de la Broderie, tunc temporis regis Galliae in Anglia orator, in suis Commentariis, *Negociations*, edit. 1749.

1) Spondan. an. 1604-24.
2) Cf p. 165-166.
3) P. 166.

Hungaria haereticorum progressionibus edidit, quod an. 1604, ademptis eis ecclesiis pulsisque praedicatoribus, executioni dari coepit. Excitatis inde motibus Stephanus Botskay, qui facta seditione Transylvania potitus fuerat, usus est ad invadendam Hungariam. Ei maior protestantium pars se mox adiunxit. Cumque Turcae eodem anno imperatori Rudolpho bellum intulissent, an. 1606 pax cum rebellibus Hungaris Viennae confecta est, qua praeter alia nobilibus liberum religionis tum calvinianae, tum lutheranae exercitium concedebatur. Vnde eorum res in Hungaria multum firmatae et auctae sunt. Verumtamen post paucos annos patres Iesuitae, praesertim Petrus Pazmay, an. 1615 a rege Mathia ad archiepiscopatum Strigoniensem electus, sermonibus et scriptis multos e magnatibus et nobilibus, ad religionem catholicam reduxerunt. Eorum labores Ferdinandus II adiuvit, munera et dignitates conferendo redeuntibus ab haeresi. Proceres suo exemplo etiam subditos suos ad Ecclesiam catholicam reduxerunt. Sub Ferdinando III protestantes a Georgio Rogoczy, calviniano principe Transylvaniae, adiuti novam rebellionem excitarunt, illumque an. 1645 ad concedendam sibi religionis libertatem compulerunt.

Germania — In Germania dissidia catholicos inter et protestantes erant continua. Hi res suas in illorum detrimentum ampliare, isti statum suum conservare suasque terras a doctrinis haereticis purgare conabantur. Id praecipue factum est in terris Austriacis. An. 1578 Ordines Stiriae, Carinthiae et Carniolae, iam maiori ex parte novae religioni addicti, denegatis tributis ducem suum Carolum adegerunt, ut non tantum nobilibus in castris eorum, sed etiam civibus in 4 urbibus, Graecio, Iudenburgo, Clagenfurto et Labaco, liberum religionis exercitium concederet. Protestantes mox plura sibi indulgentes, non tantum in multis aliis oppidis et pagis ecclesias sibi extruxerunt, sed etiam in iis locis, in quibus ius patronatus duci vel clero competebat, exclusis parochis catholicis, pastores lutheranos constituerunt, pluraque alia, non tantum Ecclesiae, sed etiam principis iuribus contraria, sibi arrogarunt, ab ecclesiastica ad politicam libertatem progressi. Quapropter dux Carolus an. 1580 religionis eorum libertatem ad arces nobilium restrinxit; quam restrictionem illi parum curarunt. Ferdinandus, Caroli filius et an. 1597 successor, pro suo Religionis catholicae studio subditos suos ad eam reducere constituit, ideoque anno sequenti decrevit, ut omnes praedicatores et laici, qui ad catholica sacra redire nolebant, emigrarent. Tunc alii ab haeresi discesserunt, alii emigrarunt; sicque nova religio e terris Ferdinandi exulavit.

Non multo post Rudolphus imperator II etiam in Bohemia acatholicos restringere coepit. Illic protestantes, sat numerosi, an. 1572 a Maximiliano II liberum religionis exercitium impetrarant; sed verbo tantum, quia Ordines catholici documentum scriptum acceptare recusabant. Anno 1602 Rudolphus II declaravit, religionis libertatem competere solis Vtraquistis seu Calixtinis, qui *Compactata* Pragensia seu Basileensia observarent. Verum post paucos annos protestantes Rudolphum iam subtimidum et auxilio destitutum, improviso impetu ad religionis libertatem scripto iis concedendam adegerunt. In documento, an. 1609 desuper confecto, proprium Pragae consistorium, a quo eorum pastores ordinarentur, novarum ecclesiarum in fundis eorum extructio et defensorum libertatis concessae constitutio iis concedebantur. Eodem anno protestantes in Austria, dissidiis inter Rudolphum imperatorem et Mathiam fratrem eius usi, posteriorem, qui eorum ope adiutus an. 1608 Rudolphum ad cedendam sibi Hungariam, Austriam et Moraviam adegerat, ad ampliandam priorem religionis libertatem, a Maximiliano concessam, sed a Rudolpho intra praefixos limites reductam, an. 1609 compulerunt.

77. *Vnio evangelica. Liga catholica* (*an.* 1609) — In reliqua etiam Germania dissidia inter catholicos et protestantes subinde augebantur. Anno 1609 auctore Friderico, electore Palatinatus, principes protestantici novum foedus, quod Vnio evangelica dictum est, inter se inierunt. Eius finem quidem solam libertatis suae politicae et religiosae defensionem esse dicebant, at brevi post sat ostenderunt, sibi de eo agi, ut praelati caeterique principes catholici terris suis privarentur. Huic unioni subscripserunt inter alios elector Palatinus, lantgravius Hassiae-Cassellae, dux Wirtembergensis, marchio Durlacensis, princeps Anhaltinus, pluresque civitates liberae.

Catholici hac confoederatione perterriti, societatem inter se ineundam putarunt: haec societas dicta fuit *Liga catholica*. Huic nomina dederunt Maximilianus dux Bavariae, tres imperii electores ecclesiastici, archiepisco-

pus Salisburgensis, episcopi Bambergensis, Wiceburgensis et Aichstadensis, archiduces Austriae, pluresque alii principes tum extra, tum intra imperium [1]. Post annos paucos bellum inter confoederatos exortum est, quo Germania horrendum in modum fuit exagitata et universa Europa perturbata per annos 30 usque ad pacem Westphalicam, ut infra videbimus.

78. *S. Franciscus Salesius* — De conversione vero haereticorum ad catholicam fidem preclarissime meruit s. Franciscus Salesius. Is anno 1567 illustri loco prope Anecium in Sabaudia natus, a teneris annis insignia pietatis et ingenii specimina dedit, philosophiae et theologiae studiis Parisiis confectis, iuris lauream adeptus est Patavii. Sacerdotio et ecclesiae Genevensis praepositura auctus, a Granerio, episcopo Genevensi, qui ex quo a Calvinistis Religio catholica fuerat Genevae proscripta, degebat Anecii, ad convertendos Chaballicenses aliosque populos, Genevae finitimos, destinatus fuit. Laboriosam hanc missionem an. 1594 suscepit grandi animo. Adversa multa et aspera expertus, saepiusque ab haereticis ad necem quaesitus est, sed Dei ope protectus, tanta cum constantia et successu haeresim oppugnavit, fidem catholicam praedicavit, ut paucorum annorum spatio plus quam 70,000 haereticorum converterit. An. 1602 post Granerii obitum Genevensis episcopus consecratus, maiori cum ardore haereticorum conversioni divini verbi praedicationi, morum emendationi, disciplinae in clero et coenobiis instaurationi, adlaboravit: adeo ut Genevae et in locis finitimis Religionis catholicae professio, pietas in clero, regularis disciplina in coenobiis, morum integritas in populo reflorescerent. An. 1610 novum sanctimonialium Ordinem instituit. Plura scripta praesertim ascetica reliquit. Obiit an. 1622, postea ab Alexandro Pp. VII in Ssrum numerum relatus [2].

79. *Cardinalis Du-Perron* — S. Francisci ardorem in oppugnanda haeresi et convertendis errantibus in Gallia aemulatus est cardinalis Perronius seu Du-Perron. Is an. 1556 Bernae parentibus nobilibus sed calvinianis natus, litterarum et philosophiae studiis magna cum fama absolutis, haeresim abiuravit, statum clericalem amplexus est, et egregius fidei catholicae defensor ac haereseos debellator evasit. Ingenio sublimi et acuto, memoria tenacissima, christianae antiquitatis et s. Theologiae eruditione admirandus, doctrinam catholicam egregiis scriptis defendit, haereticos multos ad Ecclesiam reduxit. An. 1600 coram Henrico rege IV publicam disputationem habuit cum Mornaeo Plessaeo (Duplessis Mornay), celebri calvinista, quem tam luculenter confutavit, ut is pudore suffusus discesserit. Propter haec aliaque bene merita Du-Perron, iam ab an. 1593 episcopus Ebroicensis, ad archiepiscopatum Senonensem et cardinalatus dignitatem evectus est. Obiit an. 1618, pluraque scripta praesertim polemica reliquit [1].

80. *Scriptores ecclesiastici* — Praeter s. Franciscum Salesium et cardinalem Du-Perron ineunte hoc saeculo floruerunt scriptores, qui sequuntur:

In exponendis ss. Litteris claruerunt, Franciscus Feuardentius, Ordinis Minorum et doctor Sorbonicus; reliquit commentarios in plures s. Scripturae libros, Tractatus de controversiis, et aliquot Patrum opera edidit. Martinus Ant. Delrio, Antwerpiensis, Societatis Iesu; scripsit commentarios in Genesim, in Canticum et Lamentationes, Adagia V. et N. Testamenti, Dilucidationes difficiliorum s. Scripturae locorum, atque disquisitiones magicas. Nicolaus Serarius, Lotharingus, S. I.; praeter opuscula varia theologico-historica edidit prolegomena et commentarios in s. Scripturam [2]. Benedictus Pereira, Valentinus Hispanus, S. I.; reliquit commentarios in Genesim et Danielem [3]. Guilielmus Estius, Gorcomiensis, doctor Lovaniensis; praeter alia dedit annotationes in difficiliora s. Scripturae loca, commentarios in Epistolas s. Pauli, et commentarios in Magistrum Sententiarum. Franciscus Lucas, Brugensis, theologus Lovaniensis, graece, hebraice, syriace et chaldaice doctus; praeter alia exegetica composuit commentarios in IV Evangelia [4]. Iacobus Tirinus, Antwerpiensis, S. I.; composuit commentarium brevem solidumque in universam s. Scripturam. Benedictus Iustinianus, Genuensis, S. I.; elaboravit tria

---

1) Spondan, ad an. 1608-9.

2) Marsollier, *Vie de s. François de Sales*, 2 vol. in-12.° Opera s. Francisci edita sunt 2 vol. in-fol. Epistolae eius seorsim editae sunt Paris. 1758, 6 vol. in-12°, et 1821, 4 vol. in-8°. Introductio ad vitam devotam saepius et cunctis fere idiomatibus excusa fuit.

1) Edita Paris. 1620, 3 tom. in fol. Accedit volumen Legationum, ibid. 1623.

2) 16 vol. in-fol. — 3) Atwerp. in-fol.

4) Lugduni Batav. 1712, 5 vol. in-fol.

volumina commentariorum in s. Scripturam. Ioannes de Pineda, Hispalensis, S. I.; edidit commentarios in aliquot s. Scripturae libros, atque historiam ecclesiasticam. Cornelius a Lapide, Campinensis, S. I.; composuit commentarios vastissimos et eruditissimos in s. Scripturam [1]. Iacobus Bonfrerius, Dionantinus, S. I.; praeter commentarios in Pentateuchum, Iosue, Iudicum et Ruth, scripsit praeloquia in totam s. Scripturam, et onomasticon urbium et locorum eiusdem. Iacobus Iansonius, Amstelodamus, doctor Lovaniensis; edidit commentarios in Psalmos, Cantica, Iob et in Ioannem.

Inter theologos praeter laudatos M. Delrio et G. Estium claruerunt, Gregorius de Valentia, Hispanus, S. I., praeter Tractatus theologico-polemicos composuit commentarios in Summam s. Thomae [2]; Gabriel Vasquez, Bellomontanus Hispanus, S. I. dedit commentarios diffusos in Summam s. Thomae Aquinatis, et alia [3]; Dominicus Bannez, Mondragonensis Hispanus, Ordinis Praedicatorum, edidit commentarios in Summam s. Thomae [4]; Henricus Henriquez, Lusitanus, S. I., elaboravit summam theologiae moralis et tractatum de clavibus Ecclesiae; Paul. Comitolius S. I., probabilismi impugnator, dedit Consilia moralia, aliaque; Franciscus Suarez, Granatensis, Hispanus, S. I., elucubravit commentationes et disputationes in Summam s. Thomae [5]; Leonardus Lessius, Brabantus, S. I., composuit libros 4 de iustitia et iure, tractatum de potestate summi Pontificis, alia; Paulus Layman, Ænipontanus, S. I., elucubravit theologiam moralem, etiam canonistis utilem [6]; Martinus Becanus, Brabantus, S. I., scripsit theologiam scholasticam, analogiam V. et N. Testamenti, manuale Controversiarum; Thomas Sanchez, Cordubensis, S. I., edidit opus morale in praecepta Decalogi, et tractatum copiosum de Sacramento matrimonii; Adamus Tanner, Ænipontanus, S. I., concinnavit theologiam scholasticam et disputationes theologicas in omnes partes Summae D. Thomae; Ioannes Wiggers, Diestensis, doctor Lovaniensis, elaboravit commentarios doctos in Summam s. Thomae; Ioannes Malderus, doctor Lovaniensis, episcopus Antwerpiensis, scripsit in primam et secundam s. Thomae; Didacus Alvarez, Hispanus, Ordinis Praed., composuit commentarium in Summam s. Thomae.

Stabiliendis Fidei dogmatibus et confutandis erroribus insudarunt laudati F. Feuardentius, Greg. de Valentia et M. Becanus; item Robertus Bellarminus, Politianus Hetruscus, S. I., S. R. E. cardinalis, plurima scripta edidit, inter quae primum locum habet eruditissimum opus Controversiarum christianae fidei adversus huius temporis haereticos [1]; Iacobus Gretserus, Suevus, S. I., multa opera reliquit praesertim historico-apologetico-polemica, inter quae commemorantur defensio operis Bellarmini contra obiectiones Protestantium, et tractatus de Cruce [2]; Franciscus Coster, Mechliniensis, S. I., elaboravit Enchiridion controversiarum, eruditorum iudicio laudatum [3]; Petrus Coton, Gallus, S. I., composuit tractatum de Sacrificio missae et institutionem catholicam contra haereses et superstitiones huius aevi; Nicolaus Coeffeteau, Cenomanus, Ordinis Praed., nominatus episcopus Massiliensis, praeter historiam Romanam ab Augusto usque ad Constantinum, composuit tractatus polemicos contra Iacobum regem Angliae, Duplessium Mornaeum et M. Antonium de Dominis; Marinus Mersenicus, Cenomanus, Ordinis Minimorum, vir multiplicis eruditionis, elaboravit quaestiones celebres in Genesim potissimum contra atheos et deistas [4]; Petrus Arrubal, Hispanus, S. I., reliquit duos libros de Deo uno et trino et de Angelis; D. Alvarez, iam commemoratus, scripsit de auxiliis divinae gratiae et de concordia liberi arbitrii cum praedestinatione; Ægidius de Conink, Belliolanus Flander, S. I., erudite scripsit de Sacramentis [5], de Deo trino et incarnato [6]; Ludovicus Richeome, Gallus, S. I., reliquit tractatus de controversiis, asceticos et theologicos [7]; Iacobus Keller, Germanus, S. I., haereticos et pseudo-politicos variis libris exagitavit; Arnoldus Havensius, Sylvaeducensis, S. I., scripsit de auctoritate ss. Patrum in decernendis Fidei dogmatibus [8]; Andreas Duval, doctor Sorbonicus, reliquit commentarium in s. Thomam, tractatum de suprema R. Pontificis potestate, et alia contra Richerium et Petrum Molinaeum.

1) Antwerp. 1681, 11 vol. in-fol. — 2) 5 vol. in-fol.
3) Lugdun. 1620, 10 tom. in-fol. — 4) 6 tom in-fol.
5) Lugd. Mogunt. Venet. 1718, 23 vol. in-fol.
6) Paris. 1622 in-fol.

1) Paris et Pragae 1721, 4 tom. in-fol.
2) Ratisbon. 1734, 17 vol. in-fol.
3) Colon. 1590, in-8°. — 4) In-fol.
5) Rothomag. 1630, in-fol.
6) Antwerp. 1615, in-fol.
7) Paris. 1628, 2 vol. in-fol.
8) Colon. 1620, in-8°.

In illustranda historia ecclesiastica sedulam operam impenderunt hi qui sequuntur: Caesar Baronius, Soranus e Campania, presbyter Oratorii s. Philippi Nerii et R. E. cardinalis, praeter annotationes ad Martyrologium, collegit Annales ecclesiasticos a Christo nato usque ad annum 1198 tanta cum nominis celebritate, ut parentis historicorum ecclesiasticorum recentioris aetatis nomen sit adeptus, et ex ipsis acatholicis non pauci fidem eius, eruditionem ac laborem laudarint[1]. Abraham Bzovius, Polonus, Ordinis Praed., Annales ecclesiasticos Baronii prosecutus est usque ad an. 1572[2]. Henricus Spondanus, e calviniano catholicus et episcopus Apamiensis, Annales Baronii in Epitomen redegit[3], eosdem continuavit usque ad annum 1640[4], addiditque annales V. Testamenti[5]. Augustinus Tornielli, Novariensis, Barnabita, collegit annales sacros et profanos a mundi initio usque ad Christum natum[6]. Iacobus Salianus, Avenionensis, S. I., edidit annales V. Testamenti[7]. Heribertus Rosweydus, Vltraiectinus, S. I., collegit fastos Ssrum, vitas Patrum eremicolarum, primusque animo concepit consilium ingentis operis de Actis Ssrum, quod eiusdem societatis viri, Bollandus aliique paulo post feliciter aggressi sunt[8]. Thomas Lemos, Hispanus, Ordinis Praed., collegit historiam congregationum de auxiliis[9]. Eamdem historiam postea scripserunt Iacobus Hyacinthus Serry, Ordinis Praed.[10], et Livinus de Meyer S. I.[11]. Antonius Gallonius, presbyter Oratorii Romani, praeter alia scripsit de ss. Martyrum cruciatibus[1]. Paulus Aringhus, presbyter eiusdem Oratorii, latinitate donavit auxitque Romam subterraneam, opus posthumum A. Bosii[2]. H. Canisius, Noviomagus, S. I., praeter summam iuris canonici, collegit antiquas lectiones seu thesaurum monumentorum ecclesiasticorum et historicorum[3]. A. Possevinus, Mantuanus, S. I., edidit res Moscovitas, apparatum ad scriptores V. et N. Testamenti, et bibliothecam selectam de ratione studiorum. N. Orlandinus, Florentinus, S. I., scripsit historiam suae Societatis, deinde longius productam a Sachino, Iuventio et Cordara. I. P. Maffeius, S. I., scripsit vitam s. Ignatii et historiarum Indicarum libros 16. Thom. Malvenda, Ordinis Praed. collegit Annales sui Ordinis[4]. Zacharias Boverius, Ordinis Capuccinorum, edidit historiam sui Ordinis[5]. I. Mariana, Hispanus, S. I., narravit historiam patriae suae. Angelus Rocca, Italus, Augustinianus, dedit Bibliothecam Vaticanam illustratam, et Thesaurum pontificiarum antiquitatum, rituum ac caeremoniarum. Ioannes Chapeauville, Leodius, collegit gesta Pontificum Leodiensium[6]. Ioannes Buzelinus, Cameracensis, S. I., cuius extant Annales Gallo-Flandriae[7] et Gallo-Flandria sacra et profana[8]. A. Havensius iam laudatus scripsit de erectione novorum episcopatuum in Belgio, et de crudelitate moribusque priscorum et recentiorum haereticorum.

Scriptoribus asceticis huius aetatis cum s. Francisco Salesio, de quo supra diximus, adnumerandi sunt cardinalis Berullus, fundator et superior Oratorii Gallicani; Carolus Condren eius successor; Alphonsus Rodriguez, Vallisolitanus, S. I.; Ludovicus de Ponte, Hispanus, Hieremias Drexelius, Augustanus, Ioannes Busaeus, Noviogamus, eiusdem Societatis; aliique.

81. *Congregationes religiosae* — Vidimus saeculo praecedente, quanto cum fructu s. Philippus Nerius in Italia instituerit congregationem Patrum Oratorii[9]. Illam in Gallia imitatus est Petrus Berullus. Hic an. 1575 in Campania gallicana patre senatore Parisiensi natus, presbyter et postea R. E. car-

---

1) 12 vol. in-fol. Baronius *Annales* suos opposuit *Centuriis* Magdeburgensibus, quas M. Flacius, I. Wigandus, aliique Lutherani saeculo praecedenti in lucem dederunt. Continent illae historiam ecclesiasticam 13 saeculorum, prodieruntque Basileae 1559-74, 13 vol. in-fol.
2) 9 vol. in-fol. — 3) 2 vol. in-fol.
4) 3 vol. in-fol. — 5) In-fol.
6) Antwerp. 1620, 2 vol. in-fol.
7) Paris. 1625, 6 vol. in-fol.
8) Bollandus, unde Bollandistarum nomen, Acta Ssrum deduxit ad 5 volumina in-folio. Henschenius aliique Iesuitae opus prosecuti, ante suppressionem Societatis illud auxerunt ad 49 volumina. Extincta Societate C. Byeus et I. Bueus Iesuitae una cum I. B. Fonsono Can. Regul., A. Bertholdo Benedictino, S. Dyckio, C. Goorio et M. Stalzio Praemonstratensibus 3 volumina addiderunt, quorum ultimum nempe LII excurrit usque ad 15 octobris. Operis continuationem nunc resumpserunt Patres Societatis in Belgio.
9) Lovan. sed Rhemis 1702, in-fol.
10) Antwerp. 1709, in-fol.
11) Ibid. 1705, in-fol.

---

1) 1591 in-4°.
2) Romae 1651, 2 vol. in-fol.
3) Ingolstad. 1601, 6 vol. in-4°.
4) Neapol. 1627, in-fol.
5) 1632, 2 vol. in-fol.
6) 1612, 3 vol. in-4.° — 7) Duaci 1624, in-fol.
8) Ibid. 1625, in-fol. — 9) Vid. p. 163.

dinalis factus, ad mores clericorum et laicorum emendandos an. 1611 plures sacerdotes in quodam suburbio Parisiensi congregavit, qui e patrimonio vel peculio vitam pauperem viverent et sub episcoporum obedientia ministeria sacra sedulo peragerent. An. 1631 Paulus Pp. V hanc Congregationem approbavit sub nomine Oratorii Iesu, quae brevi per provincias Galliae propagata est. Quum deinde post fundatoris obitum (1629) socii etiam scholas et litterarum studia apud se introduxerint, multos in sua Congregatione habuerunt viros magni nominis [1].

Ad parvulos in pietate et litterarum rudimentis instituendos s. Iosephus Calasanctius fundavit Ordinem Patrum Piarum Scholarum. Is nobili familia Aragoniae an. 1556 natus, postquam in patria decanus et episcopi Vrgellitani vicarius generalis, emendandis moribus et restituendae disciplinae ecclesiasticae adlaborasset, an. 1591 Romam profectus est, ibique se totum pietatis et caritatis operibus dedicavit. Illic an. 1600, approbante Clemente Pp. VIII, adscitis sibi aliquot presbyteris, parvulos in litterarum elementis instruere simulque ad pietatem informare coepit. An. 1617 a Paulo V impetravit, ut societas sua in Congregationem regularem cum 3 votis monasticis sed simplicibus mutaretur. Post annos 4 Gregorius XV eam ad dignitatem Ordinis religiosi cum votis sollemnibus evexit, regulasque a Iosepho compositas approbavit. Obiit Iosephus Calasanctius an. 1648, postea a Benedicto XIV inter Beatos et a Clemente XIII inter Sanctos relatus. Eius Institutum, cuius socii progressu temporis etiam latinas et hinc inde ipsas philosophicas litteras tradendas susceperunt, per Italiam, Siciliam, Sardiniam, Hispaniam et Germaniam propagatum fuit [2].

Alterius Congregationis initia an. 1624 Parisiis posuit s. Vincentius a Paulo. Is Podii non procul ab Aquis Tarbellis in Aquitania natus an. 1576, litteras humanas Aquis, theologicas Tolosae didicit. Sacerdotio initiatus cum an. 1605 Massilia rediret Tolosam, a Mahometanis interceptus et in Africam abductus est. Inde cum domino suo, quem ad catholicam fidem converterat, aufugiens in Galliam rediit. An. 1619 a Ludovico rege XIII primarius sacrorum minister in Galliae triremibus constitutus, summo ardore et mira caritate ducum et remigum saluti adlaboravit. An. 1624 comite Joigny eiusque uxore et fratre et episcopo Parisiensi opem ferentibus Parisiis instituit Congregationem sacerdotum, qui sacras missiones per Galliae pagos exercerent. Hanc societatem an. 1632 Vrbanus VIII approbavit sub nomine Congregationis Missionis. Eius socii etiam dicti sunt Lazaristae, quum primaria eorum sedes esset apud ecclesiam s. Lazari. Erant ii sacerdotes, qui post duos probationis annos 3 vota monastica simpliciter emittebant, praeposito suo subditi functiones sacras, non nisi concedentibus episcopis, exercebant, in pagis missiones sacras instituentes, populum sacris sermonibus instruentes, ad poenitentiam et confessionem adiicientes, discordias componentes, egenis atque infirmis subsidium adferentes. Susceperunt etiam missiones ad propagandum Evangelium inter infideles nominatim in Sinis, ad redimendos christianos e servitute piratarum Africanorum, ad dirigenda paedagogia et seminaria. Propter labores tam salutares non tantum per Galliam, sed etiam per Sabaudiam, Pedemontium, Genuam, Hispaniam, aliasque terras propagati sunt [1].

Iisdem temporibus Ordo s. Benedicti nonnullas reformationes subiit, e quibus praestantissima est ea, quam an. 1618 aliquot cordati huius Ordinis monachi in Gallia effecerunt sub nomine Congregationis s. Mauro quamque RR. Pontifices Gregorius XV et Vrbanus VIII approbarunt. Eius socii non solum accuratiori regulae s. Benedicti exercitio et propriae perfectioni, sed etiam aliorum saluti promovendae adlaborabant. Alii in suis ecclesiis divinum verbum praedicabant, confessiones excipiebant, aliasque functiones sacras obibant; alii in paedagogiis, quae in suis monasteriis erigebant, iuvenes praecipue nobiles erudiebant; alii in scholis inferioribus parvulos in litterarum rudimentis, aut in superioribus monachos tyrones in litteris philosophicis, et theologicis instruebant. Vnde multos viros eruditione celeberrimos, de historia litteraria, ecclesiastica, patristica, diplomatica optime meritos inter se habuerunt. Quae Maurinorum studia Benedictinis in Gallia adeo probabantur, ut pleraque horum monasteria illi reformatae Congregationi accederent [2].

[1]) Habert de Cerisi, *Vie du Cardinal de Berulle*, Paris 1646; Helyot, *Hist. des Ordr. relig.*

[2]) Alexander a Conceptione, *Vita s. Iosephi Calasanctii*; Helyot, *Op. cit.* t. IV, p. 281.

[1]) Helyot, *Hist. des Ordr. relig.*

[2]) Ibid.; *Gallia christiana*, t. VIII; Le Cerf, *Bibliothèque hist. et crit. des auteurs de la Congre-*

Parisios etiam sub saeculi huius initia Magdalena L'Huillier induxit Vrsulinarum Institutum, cuius originem supra vidimus [1]. Anno 1612 Vrsulinae Parisienses ex concessa olim a Paulo III potestate in societatem monasticam cum 3 votis sollemnibus coiverunt. Hae Vrsulinae coenobiticae, quae propter adoptatam a se vitae rationem ad instituendas puellas potissimum adstrictae erant, per omnes fere terras catholicas propagatae sunt. Caeterae etiam, quae in aedibus privatis, partim singulae, partim congregatae, et solo castitatis voto adstrictae, vivebant, in diversis urbibus perdurarunt [2].

Aliam monialium Congregationem instituit s. Franciscus Salesius, episcopus Genevensis, sed Anecii residens [3]. Is primum an. 1610 Anecii fundavit societatem pro feminis, quas alii Ordines religiosi suscipere abnuerent, utpote viribus infirmas, vel pauperes, vel viduas. Eas neque rigori corporali, neque votis sollemnibus, sed simplicibus votis castitatis et obedientiae adstrinxit, praecepitque, ut neglecta rerum externarum cura, praescriptam uniformis vitae rationem atque ordinem servarent; et caritati, humilitati ac propriae voluntatis abnegationi studerent, infirmosque visitarent et curarent. Primam huius societatis curam suscepit s. Ioanna Francisca Fremiot, vidua baronis de Chântal, quae s. Francisco conscientiae suae moderatore utebatur. Similes societates, quarum utilitas elucescebat, paulo post formatae sunt in aliis urbibus. Tunc s. Franciscus consilio cardinalis archiepiscopi Lugdunensis ipsiusque R. Pontificis congregationem suam transmutavit in Ordinem monasticum cum 3 votis sollemnibus sub regula s. Augustini et peculiaribus praescriptis atque monitis, quem iam an. 1618 Paulus Pp. V approbavit sub nomine Ordinis de Visitatione B. M. V. Cum propter hanc mutationem moniales, quae vulgo Salesianae vocabantur, infirmos visitare non possent, puellas hinc inde educandas susceperunt. Earum Ordo progressu temporis per Italiam, Germaniam, aliasque regiones propagatus est [4].

82. *Gregorius XV, Pontifex* (*an.* 1621)— Interim Paulus Pp. V obiit v° calendas februarii 1621. In eius locum v° idus eiusdem mensis electus fuit cardinalis Alexander Ludovicus, Bononiensis, vir animi candore et rebus praeclare gestis omnibus acceptus, qui sub nomine Gregorii XV Ecclesiam rexit usque ad an. 1623. Is initio pontificatus sui Iubilaeum indixit, quo divinum auxilium sibi pro felici Ecclesiae regimine compararet. Rationem comitiorum de electione pontificis per suffragia secreta praescripsit; Decessoris sui decretum de Immaculata B. M. V. Conceptione ampliavit prohibens, ne quis etiam in privatis sermonibus aut scriptis assereret, eam cum originali peccato fuisse conceptam, donec aliter a s. Sede foret definitum. Ad promovendos Religionis christianae progressus instituit Congregationem de propaganda Fide, e 13 cardinalibus, 3 praelatis et 1 secretario compositam, cuius esset curare omnia ad propagandam et conservandam ubique catholicam fidem pertinentia. A Maximiliano duce Bavariae accepit bibliothecam Palatinam, e multis Hebraeorum, Chaldaeorum, Arabum, Graecorum, Latinorum, Italorum et Germanorum scriptorum codicibus manuscriptis, librisque typis editis compositam, eamque Vaticanae adiecit, quae vere dici potest christianae eruditionis armamentarium. Sigismundo regi Poloniae adversus Turcas et Ferdinando imperatori contra haereticos bellum gerentibus, pecunia et milite praesto fuit. Parisiensem ecclesiam, a Senonensi distractam, in metropolim erexit, eique suffraganeas assignavit ecclesias Carnotensem, Aurelianensem et Meldensem [1].—Idem Gregorius iussit, Festum s. Annae ab omnibus Christifidelibus, sicut alia Festa de praecepto, celebrari, et Festum s. Ioachimi s. Annae coniugis coli Officio ac ritu duplici. Theresiam, Philippum Nerium [*], Ignatium Loyolam, Franciscum Xaverium, et Isidorum Agricolam una eademque celebritate Ssrum catalogo accensuit.

---

gation de s. Maur; Tassin, *Hist. litt. de la Congregation de s. Maur.*

1) P. 176.

2) Helyot, *Op. cit.*—3) Vid. p. 182.

4) Cf *Vies de s. François de Sales, et de s. Jeanne Françoise Frèmiot de Chântal*, par Marsollier.

1) Spond. ad an. 1621-23.

*) Inter egregias s. Philippi Nerii laudes non est illa praetereunda, quam refert Vrbanus VIII, Constitut. 2, a se promulgata de Canonizatione ipsius s. Philippi: *Ecce de Novatoribus revincendis, vel ad Romanam Ecclesiam reducendis maxime visus est fuisse solicitus, cum bonae memoriae Caesarem Presbyterum Cardinalem Baronium nuncupatum, adhuc in minoribus constitutum, ad opus Annalium per tot annos urgere non destitit, et ipsemet postea Cardinalis scripserit, non se Annalium Ecclesiasticorum, sed Philippum auctorem extitisse.* V. *Bullar.* t. IV. Haec testatus iam fuerat Baronius in actione gratiarum B. P. Philippo Nerio pro *Annalibus Ecclesiasticis* praemissa t. VIII.

83. *Vrbanus VIII, Pontifex* (*an.* 1623) — Post Gregorii XV obitum, qui contigit postridie nonas iulias 1623, VIII calendas augusti in eius locum electus est Vrbanus VIII, Florentinus, antea appellatus Maffaeus Barberinus, pietate, eruditione, rebusque gestis commendandus. Hic an. 1625 Iubilaeum duodecimum celebravit. Congregationem de Propaganda Fide reditibus auxit et magnis privilegiis instruxit, eique adiunxit collegium de Propaganda Fide seu seminarium, in quo diversarum nationum Asiaticarum et Africanarum, velut Georgianorum, Nestorianorum, Armenianorum, Coptorum, Æthiopum iuvenes in linguis orientalibus et s. Theologia instituerentur, qui studiorum confecto curriculo, in patriam suam aut in aliam terram, a Congreg. de Propaganda Fide assignandam, reverterentur ad propagandam catholicam Religionem. Archigymnasium Romanum, quod Sapientiam appellant, ampliavit ornavitque. Vaticanam bibliothecam mss. codicibus graecis locupletavit.—Vaticanam Aedem in amplissimi templi formam a Pontificibus prioribus redactam consecravit. Sepulcrum Apostolicum aerea mole decoravit.—Pontificale, Breviarium, Rituale et Martyrologium sua auctoritate recognita et emendata publici iuris fecit. Cardinales eminentiae titulo auxit. Varios dies festos abrogavit, tum ut pauperum inopiae, tum ut populorum, per eos dies vitiis potius quam piis exercitiis vacantium, licentiae occurreret. Ecclesiam rexit usque ad an. 1644 [1].

84. *Edmundus Richerius* — Interea Parisiis graves disceptationes excitavit Edmundus Richerius, Lingonensis, Facultatis theologicae Parisiensis syndicus. Is thesim, quam an. 1611 quidam Dominicanus de R. Pontificis infallibilitate et supra concilium generale auctoritate defenderat, eodem anno confutandam suscepit in libello, quem inscripsit: *De ecclesiastica et politica potestate*. In eo non tantum R. Pontificis infallibilitatem et auctoritatem, sed ipsum primatum et divinam Ecclesiae constitutionem impugnavit. Hoc posuit principium: Deum et naturam prius utque cominus ad totum suppositum quam ad aliquam partem suppositi, quamvis nobilissimam, intendere; proinde omnem communitatem seu societatem perfectam, etiam civilem, ius habere, ut sibi leges imponat, seipsam gubernet; hoc ius in prima sua origine ad ipsammet societatem pertinere, et quidem modo magis proprio, singulari et *immediato*, quam ad alium quemlibet privatum, cum in ipso iure divino ac naturali fundamentum haberet, adversus quod nec annorum tractu, nec locorum privilegiis, nec personarum dignitate praescribi unquam possit. Ex quo concludebat, Christum fundando Ecclesiam claves seu iurisdictionem prius, *immediatius* et *essentialius* dedisse toti Ecclesiae, quam Petro et aliis Apostolis; iurisdictionem ecclesiasticam proprie, primario et *essentialiter* convenire toti Ecclesiae, Papae vero et episcopis prout instrumentis, seu ministris eam exercentibus; Papam esse visibile Ecclesiae caput, symbolicum, ministeriale, accidentale, non essentiale, quocum Ecclesia facere possit divortium. Anno 1612 Richerii liber a 2 synodis provincialibus, Senonensi et Aquensi, damnatus est tanquam multas assertiones falsas, scandalosas, schismaticas et haereticas continens. Ipse autem regia auctoritate et Facultatis theologicae decreto syndici officio privatus fuit. An. 1629 declarationem, suo nomine signatam, tradidit cardinali Richelieu, qua librum suum R. Ecclesiae iudicio subiecit, omnesque in illo exaratas propositiones, eiusdem Ecclesiae doctrinae contrarias, improbravit damnavitque. Hanc declarationem non fuisse vi extortam et postea a Richerio revocatam, ut aliqui contendunt, sed libere ab eo editam, constat e publicis tabulis et instrumentis [1].

Obiit Richerius an. 1631. Eius systema, quod Richerismus appellari consuevit, postea instaurarunt Iansenistae, inter quos Quesnellus, et neocanonistae Germani, inter quos Febronius primas partes tenet.

Richerianis assertionibus fere similes eodem tempore protulit Marcus Antonius de Dominis, qui relicta societate Iesu, in qua plures annos exegerat, adeptus est episcopatum Segniensem, deinde archiepiscopatum Spalatensem in Dalmatia. Anno 1616 pro innata sibi inquietudine, relicto archiepiscopatu, transfugit in Angliam, ubi in lucem dedit opus inscriptum: *De republica ecclesiastica* [2]. Is contendit, regimen Ecclesiae e sua institutione esse aristocraticum; Petrum non fuisse principem Apostolorum, sed cum his aequalem; Papam non habere potestatem in episcopos; quemlibet episcopum in sua dioecesi

[1] Spondan. ad an. 1623-44

[1]) Moreri, *Diction.* art. *Richerius*; Tournely, *De Ecclesia*, t. I, q. 4, a. 2; *Mém. de Trevoux*, janv. 1703.

[2]) 3 vol. in-fol.

esse monarcham; plebem christianam ex institutione divina habere ius eligendi sacros ministros, eiusque consensum in eligendo episcopo esse requirendum. Hoc opus Facultas theologica Parisiensis an. 1617 censura perstrinxit. Eius auctor post paucos annos Londini palam detestatus est quidquid contra Ecclesiam dixisset atque scripsisset. Deinde Romam profectus, an. 1623 coram Gregorio Pp. XV errores suos abiuravit, libros damnavit, veniamque accepit. Cum vero brevi post interceptae litterae suspectam redderent eius palinodiam, Vrbani VIII mandato arci Hadrianae inclusus fuit, in qua ad meliorem frugem se recepit, et an. 1625 decessit [1].

85. *Galilaeus* — Iisdem temporibus cum s. Inquisitionis Officio negotium habuit Galilaeus, Pisanus, qui in urbe patria et Venetiis scientias mathematicas et physicas docuit. Systematis Copernici de quotidiano et annuo terrae motu ardentior propugnator, illud novis rationibus stabilivit. Cum vero multi, inter alios C. Scheiner Iesuita, magni nominis mathematicus, ei contradicerent, veriti, ne theoria coperniciana ss. Scripturarum effatis adversaretur; Galilaeus longius progressus, systema suum veluti dogma, in ipsa Scriptura fundatum, propugnavit, sensumque s. Scripturae, cuius parum erat peritus, in illius favorem distorquebat. Quapropter s. Inquisitionis Officium Galilaeum Romam vocavit, eique prohibuit, ne deinceps theoriam suam in quaestionem theologicam seu Biblicam converteret, aut eam ut indubitatam Scripturae S. veritatem defenderet, sed ut meram hypothesim astronomicam doceret. Paruit aliquandiu Galilaeus, sed an. 1632, violata fide, publici iuris fecit dialogos, in quibus rursus systema suum, non ut meram hypothesim, sed ut veritatem e Scriptura erutam defendit. Ideo ab Inquisitionis Officio iterum Romam vocatus et custodiae traditus fuit, e qua anno 1633, improbatis suis dialogis, liber dimissus est.

Catholicorum adversarii de causa Galilaei multa commentati sunt in s. Inquisitionis probrum; at praeterquamquod theoria de terrae motu hoc tempore nondum esset firmata, s. Inquisitio eam ut hypothesim atque simpliciter non condemnavit: sed rationem, qua Galilaeus, eamdem defendebat et s. Scriptura firmabat, improbavit. Praeterea ex ipsius Galilaei et aequalium litteris constat, quanta moderatione s. Inquisitio erga eum usa sit [1].

86. *Ecclesiae orientalis status* — Vidimus supra quantum sub Ottomannico imperio status Ecclesiae Graecae a prisco splendore dilapsus sit [2]. Hoc saeculo Constantinopoli aliisque in civitatibus numerus Graecorum, cum Apostolica Sede unitorum, plurimum auctus est opera missionariorum, praesertim Iesuitarum, qui sub praesidio oratorum principum Occidentalium maxime Francorum suffulti, schismaticorum et haereticorum conversioni per imperium magno cum successu adlaborarunt.

Anno 1614 duo patres Iesuitae Constantinopoli transierunt in Mingreliam, antiquam Colchidem, cuius incolae christiana sacra, sed erroribus deformata, conservarant. Illi, non obstante populi ruditate, non sine fructu missionem auspicati sunt.

Nestoriani uniti veteris Assyriae, de quorum statu praecedenti saeculo diximus [3], prioribus huius saeculi annis nova unionis suae cum Romana ecclesia argumenta dederunt. Eorum quippe patriarcha Elias, qui sedem suam habebat Vrmiae in Persia, dum schismaticorum patriarcha residebat Mosulae, per oratores Romam missos subiectionem suam Paulo V, qui ei munera et Fidei professionem destinarat, patefecit, et omnes, qui R. Ecclesiam ceu communem omnium matrem non agnoscerent, excommunicatos pronuntiavit.

Etiam Iacobitae non pauci in unione cum R. Ecclesia perseverarunt. Eo nomine appellari consueverunt Monophysitae in antiqua Babylonia, Mesopotamia et Syria, qui illic erant magno numero, et praeter episcopos atque archiepiscopos habebant patriarcham dictum Antiochenum, sed Amidae seu Diarbekirii residentem. Ex his quosdam hoc saeculo ad unionem catholicam reduxit Andreas Achigian, Romae institutus et a Pontifice patriarcha Antiochenus ordinatus. Quum eius successor a Turcis, agente patriarcha monophysita, in exilium esset relegatus, Iacobitarum unitorum status quidem decrevit, sed non extinctus est.

Idem fere valet de Armeniis, praesertim

¹) D. Bernin. *Historia haeresum saec. XVII*, c. 1.

¹) Cf de Feller, *Journal hist. et litt.* 1785, p. 112; Bergier, *Diction. théol.* art. *Sciences*. Ex ipsis protestantibus Mallet du Pan s. Inquisitionis Officium in hac causa a vulgatis calumniis vindicavit dissertatione edita an. 1784. E recentioribus scriptis legesis ephem. *La Scienza e la Fede*, vol. LVIII, Neapoli 1865.—²) Vid. p. 169.—³) Vid. p. 170.

in remotioribus Turciae asiaticae provinciis, in quibus plures Armeniorum unitorum coetus formati sunt. Ex ipsis Armeniorum patriarchis Cp. nonnulli missionariis Romanis aurem praebuerunt, plerique tamen iis adversati sunt. Qui vero in Polonia morabantur Armenii, an. 1667 ad obedientiam R. Pontificis transierunt; quod etiam fecerunt habitantes Venetiis [1].

87. *Religionis status in America* — In subactis Hispanorum et Lusitanorum imperio vastissimis Americae regionibus, nimirum in Mexico seu Nova Hispania, Peruvia, Nova Granata, Brasilia, Religio catholica dominanabatur; ecclesiae illic formatae sunt sicut in Europa, pluresque archiepiscopatus et episcopatus instituti, collegia, seminaria et monasteria erecta. Praeterea plures missiones institutae sunt inter indigenas, qui ad vitandum Europaeorum iugum in interiores terrarum partes confugerant.

Inter has missiones, quarum curam prae aliis missionariis susceperunt Iesuitae, celeberrima fuit Paraquariensis. Has Americae meridionalis terras Hispani inde ab an. 1536 occupare coeperunt. Initio missionarii in convertendis indigenis parum profecerunt, partim propter eorum feritatem qui sine stabili sede per silvas vagabantur, partim propter alienum eorumdem ab Hispanis animum. Anno circiter 1581 duo Franciscani ecclesiasticum indigenarum coetum efformarunt. Istis post 5 annos successerunt Iesuitae, qui e vicina Brasilia et Peruvia in Paraquariam progressi, in convertendis incolis feliciori opera usi sunt. Conversos ad stabiles eligendas sedes hortati sunt, et brevi tempore effecerunt, ut ii in 4 pagos, quos *Reductiones* vocabant, coirent. Quum autem amplioribus Religionis progressionibus potissimum obstarent iniuriae, quibus indigenae afficiebantur ab Hispanis, horumque prava exempla, Iesuitae an. 1610 a Philippo III, rege Hispaniae, impetrarunt, ut omnes Europaei e Paraquaria excluderentur. Tunc Iesuitae tanto successu incolas ad deserendas sylvas, ad figenda domicilia et ad suscipiendam Religionem christianam permoverunt, ut numerus *Reductionum* ad 30 incresceret. Hos novos Christianos patres Iesuitae non tantum in sacris, sed etiam in civilibus rebus dirigebant: eos ad colendas terras, ad exercenda opificia et artes, quibus idonei erant, instituebant, ac fructuum, quos Paraquarienses e suis laboribus et mercatura percipiebant, supremam rationem gerebant. A supremo regimine ecclesiastico episcopi non erant exclusi, hi enim *Reductiones* saepe visitabant; quod idem pro rege Hispaniae faciebat gubernator civilis. Inde effectum est, ut missio Paraquariensis non tantum laetissime effloruerit, sed etiam vitiis et malis, quae inde oriri solent, caruerit; summa inter christianos vigebat concordia, pluresque eorum ad sanctitatis fastigium pervenerunt.

Inde a praecedenti saeculo Hispani et Franci in vastissimas Americae septentrionalis regiones, Floridam et Canadam, penetrarunt, sedesque in iis figere et colonias instituere coeperunt, quae hoc saeculo magis magisque auctae sunt. Floridam incoluerunt Hispani, Franci vero Canadam, quae inde nomen Novae Franciae accepit. Per hos colonos Religio christiana, quam ii profitebantur, in easdem regiones illata est. Confestim in easdem terras Iesuitae aliorumque religiosorum Ordinum missionarii profecti sunt, qui non tantum colonos Europaeos in conservanda Fide firmabant, sed nil periculi veriti, ad diversas indigenarum tribus se transferebant, iis Evangelium annuntiabant, sacrasque missiones inter easdem instituebant. Verumtamen his missionariis pericula gravia et obstacula multa erant superanda; nonnulli ex iis supplicia et mortem subierunt.

Interim formando in iis terris ecclesiarum statui et promovendis missionibus reges Hispaniae et Galliae opem atque subsidia contulerunt; aliique etiam fideles magna liberalitate ad Fidei propagationem illic contribuerunt. Innocentius Pp. X rei ecclesiasticae in Canada prospecturus, an. 1657 Franciscum de Laval Montmorency de Montigny, qui se speciatim propagando Evangelio devoverat, creavit pro Canada seu Nova Francia vicarium apostolicum cum titulo episcopi Petreae. Hic maximo ardore munere suo functus, an. 1663 Quebeci, civitatis metropolis, seminarium excitavit ad formandum clerum, qui pietatem in colonia Francica foveret et conversioni barbarorum, per silvas errantium, intenderet. Anno 1674, postulante et dotante Ludovico rege XIV, erecta est Quebeci sedes episcopalis, cuius primus titularis fuit idem de Laval Montmorency, qui ecclesiam Quebecensem rexit usque ad an. 1685, atque fervore

---

[1]) Le Quien, *Oriens christianus*; Assemani, *Biblioth. oriental.* t. III; R. Simon, *Histoire de la croyance et des coutumes des nations du Levant*; P. Ricaut, *L' état présent des eglises grecque et arménienne.*

vere apostolico propagandae Fidei, formando et augendo ecclesiarum statui, instituendo clero, fovendae inter populum pietati et creandis in variis locis Novae Franciae, in Acadia et Mississipi missionibus adlaboravit[1].

88. *Religionis status in Africa*—In Africa missionarii apostolicos labores, iam pridem coeptos, praesertim in Congo et adiacente Angola [2], hoc saeculo continuarunt. Praeterea Evangelium praedicarunt ad promontorium Viride, ad fluvium Senegal, ad montes Leoninos, in promontorio Bonae Spei, in Monomotapa, in littore Zanguebarico, in insula Madagascar. Multi quidem in his terris ad christianam fidem conversi sunt: verumtamen incolarum idololatria et feritas aliaque impediverunt, quominus integrae ecclesiae, longiori saltem tempore durantes, fundari potuerint [3].

89. *Religionis propagatio in India* — In India insulisque Asiaticis christiana Religio hoc saeculo ingentia cepit incrementa. In Iaponia quidem post cruentam persecutionem proscripta est, ut mox videbimus: sed in regnis Madurano, Mayssurensi, Carnatensi, in vastissimo Sinarum imperio, aliisque terris magno successu propagata fuit. In regno Madurano, quod in angulo meridionali anterioris peninsulae Indicae situm est, iam s. Franciscus Xaverius aliique, tum e Societate Iesu tum ex Ordinibus Mendicantibus, missionarii Evangelium annuntiarant; sed cum discrimen inter diversas hominum classes, Indis inviolabile, non observarent; Parreas, qui infimam caeterisque despectam classem apud eos constituunt, etiam ad christiana sacra admitterent, et cum eisdem conversarentur; factum est, ut classes superiores Religionem christianam refugerent, missionarii ab Indis contemnerentur, Evangelium parum progrederetur, et Franciscani non nisi ex inferioribus incolis in urbe Madura collectam ecclesiam haberent.

Ad istud impedimentum removendum an. 1606 Robertus Nobili, Romano genere natus et S. I. missionarius, se praeconceptis Indorum opinionibus ita accommodavit, ut Braminorum vestes gestiens, omnem cum Parreis et Europaeis conversationem fugiens, Indorum ritus, nempe discrimen inter diversas classes, gestationem fasciae rubrae, unctionem frontis, crebras corporis lotiones, aliaque observans, et quasi braminus extraneus prodiens, Braminorum gratiam sibi conciliarit; suaque eloquentia et eruditione effecit, ut brevi tempore 70 Bramini et ipse eorum praepositus christiana sacra susciperent. Illorum exemplum progressu temporis quam plurimi e reliquis etiam classibus secuti sunt. Robertus conversis usum rituum Indicorum, quos et ipse observabat, concessit. Verum cum hi ritus quodammodo cum Indorum religione connecterentur, alii missionarii, et inter hos etiam nonnulli Iesuitae, illorum usum aeque ac rationem, qua Robertus utebatur, improbarunt. Lis desuper orta Romam delata est. Quapropter Praepositus generalis S. I. Robertum ad caute agendum summopere excitavit, et an. 1623 Gregorius Pp. XV Constitutione, *Romanae sedis antistes*, ritus istos, qui Malabarici appellari consueverunt, non nisi magnis cum restrictionibus et provisorio modo Indis conversis indulsit.

Robertus, qui an. 1656 Meliapuri obiit, aliique Iesuitae opus conversionis per saeculi huius decursum continuarunt eo successu, ut ad eius finem ecclesia Madurana ultra 150,000 christianos adnumeraret. Pari successu Religio propagata est in finitimis regnis Mayssurensi et Carnatensi[1].

90. *In Sinis* — In Sinarum imperio Religio christiana latissime propagabatur. Hanc missionem incepit Matthaeus Ricci Iesuita una cum Rogerio et Pasione ex eadem Societate. Ricci Maceratae in Marca Anconitana natus, morum modestia, patientia singulari et magna eruditione praeditus, atque in scientiis mathematicis versatissimus, an. 1582 occasione legationis Lusitanicae in Sinas venit. Primo annos plures in addiscendis lingua, litteris et caeremoniis Sinensium transegit, deinde summam doctrinae christianae seu catechismum lingua eorum conscripsit. Quum iam morum suorum modestia et eruditione, praesertim scientiis mathematicis, quas Sinenses prae caeteris pluris faciunt, eos sibi conciliasset; multi, etiam ex illustribus et litteratis, adiuvantibus sociis eius, christiana sacra susceperunt. Post 20 circiter a suo in Sinas adventu annos, Ricci, cuius in rebus

1) *Lettres èdifiantes*; Charlevoix, *Histoire de l'île de Saint-Domingue*, et *Histoire générale de la Nouvelle France;* Muratori, *Il Christianesimo felice nelle missioni dei Padri della Compagnia di Gesù nel Paraguay*; De la Tour, *Vie de F. de Laval Montmorency*, in-12°.

2) Vid. p. 148.

3) Labat (Cavazzi), *Rèlation hist. de l'Afrique occidentale.*

1) Jouvency, *Historia Societatis Iesu,* p. V

mathematicis eruditionis fama ad aulam delata erat, aditum ad imperatorem impetravit, eiusque benevolentiam, oblatis ei Christi et Mariae imagine et horologio, sibi conciliavit. Ex hoc tempore multo plures ex omnibus imperii ordinibus ad christianam Religionem convertebantur. Confestim novi missionarii, Iesuitae, Dominicani aliique, in Sinas profecti sunt, quorum opera numerus credentium et ecclesiarum in omnibus provinciis continuo augebatur. Ipsi Sinenses conversi inter populares suos Religionem christianam propagare studebant, in quo studio omnibus palmam praeripuit nobilis quaedam femina, in baptismo Candida nominata. Haec enim maritum suum ad christianam fidem adduxit; in provincia, in qua degebat, 30 ecclesias extruxit, in alia per missionarios 90 ecclesias et 45 oratoria extrui curavit; plurimos parvulos, a pauperibus parentibus pro more in Sinis vigente expositos, collegit et in christiana Religione educavit, plures etiam libros religiosos, in linguam Sinensem versos, edendos curavit.

Progressu temporis, non obstante bonzorum et mandarinorum invidia, Religio christiana ita aucta est in Sinis, ut circa dimidium huius saeculi ipsa mater imperatoris Yung-lie, primaria eius uxor, unus e filiis eius et 50 feminae aulicae baptismum susceperint. Imperator Cun-tschi, qui non multo post in solium evectus est, Religionem christianam plurimum venerabatur, Adamo Schall, patria Coloniensi, Iesuitae doctissimo, ita favebat, ut ei praesidium tribunalis mathematici demandarit, et in urbe metropoli Pekino aliisque ecclesias aedificari permiserit [1].

91. *Religionis interitus in Iaponia* — In Iaponia, non obstante persecutione, quam ibi christiani sub finem praecedentis saeculi experti sunt [2], eorum numerus magnopere auctus est. Initio huius saeculi praeter missionarios Dominicanos, Franciscanos et alios, in Iaponia numerabantur 120 Iesuitae. Anno vero 1612 novae persecutioni causam praebuerunt calumniae cuiusdam ducis navis Batavicae, pristinam suspicionem ethnicorum Iaponensium de imperio ope missionariorum et christianorum ad Hispanos transferendo excitantis. Ex his calumniis in multis locis grandes calamitates christianis enatae sunt. Quamvis imperator Fide-Iori christianis faveret, et ipse clandestinus christianus existimaretur, Ijejas, alias Dayfusama, eius tutor et imperii regens, se iam iis infensum exhibuit, et an. 1614 interfecto iuvene imperatore, Imperium usurpans, legem promulgavit, qua omnes missionarios sub poena mortis imperio exire et Iaponenses ad cultum patrum redire iussit. Quum ethnici mandarini legem imperatoris contra christianos urgerent, cruenta persecutio secuta est, multique eorum martyrium pertulerunt. Anno 1616 Fide-Tadda alias Xogunsama, Dayfusamae filius et successor, patrem crudelitate vicit et severiora contra christianos edicta promulgavit. Tunc per totum imperium persecutio in eos aucta est, supplicia atrocissima et horrenda in eosdem, sine sexus, aetatis, aut conditionis discrimine, exercita et plura christianorum millia interfecta sunt. Anno 1622 Xogunsama imperium cessit Toxogunsamae filio suo, qui paternae crudelitatis haeres, persecutionem in christianos continuavit, qua durante innumera eorum multitudo cruentissimis suppliciis interfecta, res et nomen christianum in Iaponia deleta sunt.

Imperatoris saevitiam stimularunt Batavi qui Hispanis et Lusitanis commercii Iaponici quaestum invidentes, et Religionis, quam ipsi in Europa cum Hispanorum dominio excusserant, progressus aegre ferentes, an. 1637 aulae Iaponicae exhibuerunt litteras, a se confictas, quasi a centurione quodam Lusitano, nato Iaponensi, scriptas, in quibus sermo erat de coniuratione contra imperatorem, a christianis ope Lusitanorum excitanda. Tunc Toxogunsama maiori crudelitate in christianos saeviendum mandavit, novaque lege an. 1639 cunctis alienigenis, etiam commercii causa, aditu in imperium sub poena mortis in perpetuum interdixit; solis Batavis in quodam insulae Desimensis loco mercaturam cum Iaponensibus facere concessit. Persecutionem ita prosecutus est, ut post eius mortem (1650) paucissimi superessent christiani: quibus sub eius successore vel interfectis vel mortuis, christianae Religionis cultores in Iaponia defecerunt [1].

---

[1]) P. Orleans, *Vie de Ricci;* A. Schall, *Narratio de initio et progressu missionis S. I. in regno Chinensi;* P. Trigault, *De christiana expeditione apud Sinenses;* Du Halde, *Description de la Chine et de la Tartarie chinoise.*

[2]) Vid. p. 171.

[1]) Charlevoix, *Hist. et descript. du Japon;* Crasset, *Histoire du Japon;* Trigault, *De christianis apud Iaponicos triumphis;* Sardino, *Catalogus regularium et saecularium, qui in Iaponia sub qua-*

92. *Ecclesiae status in Gallia* — In Gallia post Henricum IV, an. 1610 extinctum, regnavit Ludovicus XIII, filius eius, usque ad annum 1643. Sub eius principatu et civilis et ecclesiastica prosperitas perturbata fuit, tum contrariis studiis Henrici Condei et aliorum, qui Mariae Mediceae reginae matris regimen, adhuc impubere rege, et Concini d'Ancre in concilio regio violentiam aegre ferebant, tum rebellionibus Hugonotorum. Benearnenses catholici, ab Hugonotis graviter oppressi, ecclesiis suis et Religionis exercitio orbati, Ludovici XIII iustitiam interpellarunt. Is an. 1617 magistratui Benearnensi mandavit, ut Religionis catholicae exercitia restituerentur et ablata clero bona redderentur. Quod cum ille executioni mandare negligeret, rex ipse an. 1620 in Benearneam profectus, ecclesias catholicis, bona ecclesiastica et honores pristinos ecclesiasticis restituit, et Benearneam coronae Francicae adiunxit. Hugonoti hac re offensi, bellum civile instaurarunt; sed ab exercitu regio superati, plerasque urbes et castra, in quibus rebellionis signa explicarant, reddere, et an. 1623 pacem postulare coacti sunt. Verum semper inquieti, rursum in urbe Rupella rebellionem et bellum civile instauraverunt. Ex hac urbe, tum loci natura, tum manu et arte munita, se tutabantur, militem conscribebant, pecunias imperabant, regisque auctoritatem spernebant. Rex e consilio cardinalis Richelieu, ministri sui, Rupellam, calvinianae sectae propugnaculum, oppugnare constituit. Primo classem 120 navium, quam Angli in Hugonotorum auxilium destinarant, ad insulam Rheam destruxit, deinde Rupellam munitionibus et stupendis molibus circumsepsit, et an. 1628 famis horroribus pressam in deditionem accepit. Ex hoc tempore attrita fuit Hugonotorum audacia, rebelles civitates ad regis obsequium redierunt, ubique et in ipsa urbe Rupella catholicae Religionis exercitia fuerunt restituta. Haeretici tamen secundum Nannetense edictum religionis liberum exercitium conservarunt.

93. *In Belgio* — In Belgio an. 1621 decessit princeps Albertus, post cuius obitum Isabella provinciarum subditarum procurationem continuavit usque ad an. 1633. Eodem anno, quo obiit Albertus, provinciae foederatae, seu rebelles bellum instaurarunt. Rem pro Hispanis fortiter gessit Spinola bellidux, sed eo in Hispaniam revocato, Fridericus Henricus Arausicanus, qui an. 1625 Mauritio in provinciarum foederatarum regimine successit, victorias plures retulit; an. 1629 Silvam, seu Buscoducum, et anno sequenti Traiectum ad Mosam cepit. Post Isabellae obitum provinciarum Belgicarum procuratio demandata fuit Ferdinando, cardinali archiepiscopo Toletano, Philippi IV regis Hispaniae fratri, qui illam gessit usque ad an. 1641. Interim publica rerum tranquillitas atque prosperitas perturbabantur non tantum Batavorum, sed etiam Gallorum, propter bellum inter Ludovicum XIII Galliae et Philippum IV Hispaniae reges, aggressionibus. His malis accesserunt brevi post lites et turbae Iansenianae, ut videbimus.

94. *Bellum 30 annorum in Germania* — In Germania dissidia Catholicos inter et Protestantes propter religionem et mutua gravamina, hos ad unionem evangelicam, illos ad *ligam catholicam* conficiendam adduxerunt, ut supra diximus [1]. Brevi post inter utramque partem bellum secutum est, quod annis 30 usque ad pacem Westphalicam, anno 1648 compositam, perduravit, et quo Germania horrendum in modum exagitata, omnisque Europa turbata fuit, dissidentibus inter se principibus, et quibusdam uni, ceteris alteri parti adhaerentibus. Bello ansam dederunt haeretici Bohemi, qui indultam sibi religiosam libertatem arbitrarie extendere coeperunt in detrimentum catholicorum. Quum imperator Mathias an. 1618 eorum audaciam litteris minatoriis coarguisset, illi, incentore potissimum comite Mathia de Thurn, arma sumpserunt, et in palatium regium Pragae irruentes, duos urbis gubernatores e fenestra deiecerunt; deinde constitutis 30 ducibus, totum regimen ad se traxerunt, aes publicum sibi vindicarunt, milites conduxerunt, atque omnem fere Bohemiam occuparunt. Mathias imperator eorum rebellioni arma opposuit. Protestantici vero principes, unionis evangelicae participes, auxiliares copias rebellibus destinarunt. Bohemi ita adiuti, non tantum contra caesareum exercitum dimicarunt, sed mox Moraviam, Silesiam et Lusatiam ope protestantium, ubique numerosorum et in seditionem pronorum, ad communem secum rebellionem permoverunt; et qui tantum ad defendendum religionis suae exer-

---

tuor tyrannis in odium Fidei violenta morte sublati sunt.

[1]) Vid. p. 181.

citium se arma sumpsisse dictitabant, Iesuitas Bohemia eiecerunt, et catholicos dure opprimebant.

Anno 1619 Mathia imperatore Viennae defuncto, regimen adiit Ferdinandus II, dux Stiriae, cui iam antea Mathias regna Hungariae et Bohemiae cesserat: sed eum propter Religionis catholicae studium protestantici Bohemiae Ordines acceptare recusabant. Rebelles Bohemi, de ope protestantium in Austria certi, exercitum in eam duxerunt et Viennam usque penetrarunt. Eodem tempore protestantici Ordines seu Status, tum infra tum supra Anasum, arma contra Ferdinandum sumebant. Ferdinandus, medius inter hostes et humano auxilio destitutus, sed pia in Deum fiducia impavidus stabat; cum subito 500 equites, a summo copiarum duce missi, Viennam ingressi insolentes Ordinum deputatos terrore perculerunt, atque fugarunt. Eodem tempore idem copiarum dux rebelles in Bohemia ingenti clade affecit, qua audita Bohemi, qui in Austriam irruerant, maturato itinere ad Pragam defendendam reversi sunt. Tunc Ferdinandus ad comitia, Francofordiae pro novi imperatoris electione congregata, profectus est, et coronam caesaream retulit. Maximilianus, dux Bavariae et foederis catholici auctor, exercitum in Austriam duxit, ut protestanticos Ordines ad obedientiam Ferdinando II praestandam compelleret. Ordines infra Anasum, accepta privilegiorum suorum religiosorum et politicorum confirmatione, illud iam praestiterant. Ordines supra Anasum ad id faciendum a Maximiliano compulsi sunt.

Tranquillitate in Austria restituta, Maximilianus iunctis sibi copiis caesareis penetravit in Bohemiam. Bohemi, reiecto Ferdinando, Fridericum V, electorem Palatinum, sibi regem crearant. Verum Maximilianus an. 1620 prope Pragam rebellium exercitum ita fudit, ut Fridericus e Bohemia fugerit, et brevi tempore Bohemia et ad eam relatae provinciae Ferdinando II penitus subiectae sint. Ferdinandus, proscripto Friderico, electoratum eius terrasque cisrhenanas contulit Maximiliano, duci Bavariae. Aliquot belli duces et principes Germanici bellum continuarunt, sed confoederatorum catholicorum armis succubuerunt. Anno 1625 complures Ordines circuli Saxonici inferioris duce Christiano IV, rege Daniae, qui in eodem circulo ducatum Holsatiae possidebat, sive quod rebus suis timerent, sive quod imperatoris et catholicorum potentiam infringere cuperent, arma ceperunt. Verum continuo devicti, post 2 annos pacem petierunt et impetrarunt.

Interea Ferdinandus II, permotus partim Religionis catholicae studio, partim molestiis, sibi et decessoribus suis a subditis protestanticis, ubi praevaluerant, suscitatis, eorum sacra in terris suis haereditariis suppressit. Iam an. 1621 praedicatores haereticos, et an. 1627 omnes, qui catholica sacra amplecti recusarent, Bohemia et Moravia emigrare iussit. Anno sequenti idem decrevit pro Austria. Protestantes supra Anasum religionis suae libertatem quidem armata manu tueri conati sunt, sed a copiis caesareis in pluribus praeliis victi, ad subiectionem adacti sunt. Pro Silesia et Lusatia elector Saxoniae, qui has terras pro auxilio Ferdinando praestito acceperat, religionis libertatem impetravit. Aliam praeterea legem dedit Ferdinandus, ut omnia bona ecclesiastica, a protestantibus post pacificationem Augustanam (1555) occupata, restituerentur. Quae restitutio in Germania exteriori protestantium animos vehementer quidem perculit: attamen debilitati, ei armatam manum opponere ausi non sunt, priusquam belli classicum cecinisset rex Sueciae.

Gustavus Adolphus rex Sueciae, motus partim studio succurrendi periclitanti rei protestanticae, partim cupidine acquirendi gloriam terrasque, an. 1630 fortissimum exercitum, belli molestiis et victoriis assuetum, in Germaniam duxit. Ei Ordines protestantici, alii post alios, se adiunxerunt. Ipsi Galli sub Ludovico XIII, domum Austriacam diminutam cupientes, illis auxilia suppeditabant. Quibus adiutus Gustavus victorias plures de caesareis retulit, brevique tempore magnam Germaniae partem occupavit. Vix dici potest, quanta mala rei catholicae, ecclesiis et monasteriis ab hostibus illata sint in omnibus locis, quae occuparunt. An. 1632 Gustavus in praelio apud Lutzen in Saxonia occisus est; verumtamen bellum continuatum fuit varia utrimque fortuna. Ferdinandus II rem magno animo agens, an. 1634 magnam victoriam de hostibus retulit apud Nortlingam. Anno sequenti Pragae pacem composuit cum I. Georgio, electore Saxoniae, qui exinde imperatori auxilium tulit contra hostes.

Ferdinando II an. 1637 defuncto, successit Ferdinandus III, filius eius, iam an. 1625 Hungariae, an. 1627 Bohemiae et an. 1636 Romanorum rex creatus. Sub eo bellum acri-

ter continuatum est. Ferdinandus victorias nonnullas de Suecis retulit. Sed brevi post hi, Bernardi ducis Weimarae et Ludovici regis Galliae armis adiuti, fere ubique superiores extiterunt. Imperator medius inter hostes, Gallis ex una, Suecis aliisque ex altera parte eum impetentibus, pacem cum adversariis tractare coepit. De hac pace, quae an. 1648 in Westphalia conclusa est, suo loco dicemus [1].

95. *Lites inter Hugonotos*—Conspeximus supra lites in Hollandia inter Arminianos et Comaristas calvinianos exortas, earumque effectus [2]. In Gallia etiam per haec tempora controversiae graves inter Hugonotos excitatae sunt. Ab illis synodus Dordracensis suscepta et omnibus praescripta fuerat. Anno vero 1634 Moses Amyraldus, theologiae in schola Salmuriensi professor, ad conciliandos Arminianos cum aliis Calvinianis, dictis orthodoxis, librum edidit de praedestinatione, circa quam praesertim Arminiani ab aliis dissentiebant. Is docuit, Deum decreto absoluto neminem ad aeternam poenam praedestinasse, sed potius omnes salvare decrevisse, ea tamen conditione, si in Christum essent credituri. Vnde eius doctrina Vniversalismus hypotheticus dicta est. Illam vero conditionem, non sicut Arminiani, aliqua ex parte in hominis potestate posuit, sed totam a Dei arbitrio derivavit, ita ut illi soli ad fidem et proinde ad salutem pervenire possent, quos Deus peculiari decreto ad eam elegerit, facultatem, sic dictam moralem, capiendi fidem iis tribuens, simulque eam in iisdem producens. Amyraldi doctrinam in peculiari libro, qui *Irenicus* inscribebatur, exposuit defenditque Paulus Testardus, praedicator Blesensis. Quamvis vero universalismus hypotheticus a particularismo Dordracensi reipsa non differret, tamen ob novam formam, cum qua propositus erat, pluribus displicuit, qui eum parum ab Arminiana sententia distare putabant. Cum utrimque contentio cresceret, an. 1637 synodus, Alenconii in Normannia indicta, Amyraldum et Testardum ad reddendam rationem vocavit. Ii mentem suam ita explicarunt, ut honorifice fuerint dimissi, solumque rogati, ut a quibusdam locutionibus abstinerent. Nihilominus plures theologi calviniani sententias Amiraldi veluti arminianas et semipelagianas impugnabant, quibus is, insignes iam doctrinae suae patronos et defensores nactus, respondere non omisit. Quapropter an. 1644 synodus, Carentonii habita, utrique parti silentium de materia controversa praescripsit. Eo tamen lites non suppressae sunt [1].

Alias lites excitavit Iosue Placaeus, etiam Salmuriensis theologus, qui in dissertatione an. 1640 edita, contendit, peccatum originale non in ipso actu inobedientiae protoparentum, quem posteri in eis participaverint, sed in vitiositate naturae humanae moralis, ex illo orta et ad posteros derivata, consistere; seu, ut ipse postea exposuit, peccatum Adami non immediate, sed mediate posteris eius imputari. Hanc assertionem synodus nationalis, an. 1654 Carentonii habita, veluti erroneam damnavit, omnibusque praedicatoribus et professoribus eam tradere vetuit. Imo Genevenses, agente Francisco Turretino, theologiae apud eos professore, an. 1675 omnibus, sententiam Placaei tradituris, depositionem intentarunt. Veruntamen is non tantum plures asseclas inter eruditos Calvinistas nactus est, sed etiam nonnullae synodi decretum Carentonianum executioni mandare detrectarunt [2].

96. *Calvinismus ab ecclesia Graeca proscriptus* — Maiorem confusionem subierunt Calvinistae ex parte ecclesiae Graecae. Quemadmodum Lutherani [3], ita et Calvinistae impetrare conati sunt, ut sua doctrina ab ecclesia Graeca approbaretur, huiusque secum consensum contra catholicos iactare possent. Ad hanc rem iis opportunus erat Cyrillus Lucaris, Cretensis, qui cum Patavii litteris vacasset, varias Europae terras peragrarat, et speciatim Genevae calvinianae doctrinae capita didicerat. In Graeciam redux et an. 1602 factus patriarcha Alexandrinus, initam antea cum doctoribus calvinianis amicitiam litteris continuavit. Anno 1621 ad patriarchatum Cp. evectus, calvinianas suas sententias audacius manifestavit, unde tantum Graecorum odium in se concitavit, ut in exilium fuerit eiectus. Postea restitutus, an. 1629 fidei confessionem, doctrinae calvinianae prorsus conformem, dedit oratori Batavorum apud aulam

---

1) G. H. Bougeant, *Histoire des guerres et des négociations, qui précédèrent le traité de Westphalie*, 2 vol. in-12°.
2) Vid. p. 178.

1) Blondel, *Actes authentiques des Églises réformées*; Walch, *Einleitung in die religionsstreitigkeiten ausser der evangelischlutherischen kirche.*
2) Iablonsky, *Institut. hist. eccl. christ. recent*
3) Vid. p. 164.

Turcicam; quam confessionem latine redditam typisque mandatam, veluti Ecclesiae Graecae fidem et doctrinam, Calvinistae per Belgium aliasque terras venditarunt. Verum Cyrillus Lucaris propter hoc facinus et propter haeresim confestim a suis depositus fuit. Quamquam pecuniae vi et oratoris Batavi ope sedem patriarchicam adhuc recuperaverit, tamen an. 1638 ea iterum privatus, et iussu sultani propter seditiosas machinationes laqueo necatus fuit. Eodem anno Cyrillus Beroeensis, illius in sede Cp. successor, cum patriarchis Alexandrino et Hierosolymitano et 23 episcopis Constantinopoli synodum habuit, in qua calvinianae confessioni eiusque auctori, Cyrillo Lucari, anathema dictum est. Eadem confessio damnata fuit in altera synodo Cp. an. 1642 sub Parthenio patriarcha habita.

Hac occasione etiam Petrus Mogilas, metropolita Chiovensis, una cum suffraganeis suis et theologis fidem ecclesiae Russicae testatus est in symbolico libro, cui titulus: *Declaratio fidei Russorum*. Qui liber an. 1643 a Cpno aliisque patriarchis Graecis subscriptus, orthodoxa fides omnium Graecorum dictus, et postea in pluribus synodis approbatus, in universa ecclesia Graeca auctoritatem consecutus est.

Nihilominus Calvinistae, praesertim in Gallia, duce Claudio, consensum doctrinae suae cum ecclesiae Graecae doctrina contra catholicos etiam scriptis iactare non erubescebant. Hinc Nectarius, patriarcha Cp., ad convicia et calumnias Claudii Galli responsum dedit, in quo doctrinas Lutheri et Calvini dixit absurdas, quae totum Occidentem perturbarint et ab ecclesia Graeca nunquam probatae fuerint. Quoniam vero Hugonoti ad consensum Orientalium, speciatim circa Eucharistiam, provocare non cessarent, an. 1672 Dositheus, patriarcha Hierosolymitanus, synodum convocavit, in qua nova fidei confessio edita est, quae in confutandis Calvini erroribus fuse versatur, et sub titulo innotuit: *Clypeus orthodoxae fidei* seu apologia adversus haereticos calvinistas. Tandem cum Ioannes Caryophylles, logotheta ecclesiae Cp., calvinianos errores Cyrilli Lucaris resuscitasset et transubstantiationem impugnasset, Callinicus patriarcha Cp. an. 1691 synodum coëgit, in qua doctrina de conversione vera et substantiali panis et vini in Corpus et Sanguinem Christi declarata est ab Apostolis accepta et semper in Ecclesia tradita, et ad eam exacte exprimendam vocabulum μετουσίωσις, quod Latinorum *transubstantiationi* respondet, iam a longiori tempore Graecis usitatum, publica auctoritate sancitum fuit.

Quae omnia monumenta non modice conferunt ad vindicandam catholicam doctrinam contra criminationes novatorum, qui eam mediis saeculis a scholasticis, monachis et pontificibus adulteratam fuisse effutiunt [1].

—

[1]) Cf L. Allat. *De Ecclesiae occident. et orient. perpetua consensione*; Le Quien, *Oriens christianus*; Schelstrat. *Acta ecclesiae orientalis contra Calvini et Lutheri haereses*; Opus inscriptum, *La perpetuité de la foi de l'Église cathol. touchant l'Eucharistie.*

HISTORIAE ECCLESIASTICAE

EPOCHA DVODECIMA

A LITIBVS IANSENIANIS VSQVE AD PVBLICAM RERVM IN GALLIIS SVBVERSIONEM AN. 1640-1789

PROOEMIVM

Novam Epocham inchoamus a litibus, quas in Ecclesia agitarunt Iansenistae. Hi sic appellati sunt a Cornelio Iansenio, cuius damnatae doctrinae inhaeserunt. Ii graves et diuturnas turbas in Ecclesia excitarunt, eo periculosiores, quo earum auctores singularem morum severitatem ostentarent, Ecclesiae fidem et communionem se revereri profiterentur et, ementito erga Apostolicam Sedem obsequio, eius auctoritatem convellerent.

Exsurrexit praeterea, durante hac epocha, perditissimum hominum genus, qui omnem prorsus religionem, ipsiusque Dei existentiam impugnarunt, et propterea *athei* dicti sunt. Acerrima quoque certamina Ecclesiae intulit incredulorum schola, qui specioso philosophorum nomine Religionem christianam oppugnarunt, omnem revelationem abiecerunt, et quamdam religionem naturalem, ut vocabant, seu deismum adstruxerunt. Haec autem seculi XVIII incredulitas seu pseudo-philosophia erat effectus et prava progenies pseudo-reformationis saeculi XVI. Etenim novatores saeculi XVI solam Scripturam, quam, reiecta Ecclesiae auctoritate, secundum privati sui spiritus dictamen interpretabantur, esse Fidei regulam contendentes, ipsam hominis rationem credendorum iudicem constituebant. Huiusmodi doctrinam ad dubietates et incuriam in religionis negotio ducere compertum est. Eadem enim libertate seu licentia, qua Lutherus et Calvinus nonnullas Scripturae partes et varia dogmata, quae Ecclesia ab apostolicis temporibus constanti traditione conservaverat et docuerat, abnegarunt; ita alii alia dogmata, et tandem pseudo-philosophi omnem Scripturam et revelationem reiecerunt.

Accesserunt societates occultae, dictae *Liberorum coementariorum* (*Francs-Maçons*), quae mala multigena et Ecclesiae et societati intulerunt, et in generalibus rerum civicarum ac ecclesiasticarum conflagrationibus partem haud modicam habuerunt. Praeterea novitates litesque richeristicas instauravit larvatus Febronius, seu Ioannes Nicolaus et Hontheim.

Ex his sat liquet, Ecclesiae statum, durante hac epocha, graviter fuisse concussum. Continuo ei certandum fuit cum infensis adversariis. At divina Providentia periclitanti Ecclesiae non defuit; dedit ei Pontifices pios, doctos, prudentes et vigiles, qui Petri naviculam in mediis iactati maris undis gubernarunt: excitavit scriptores egregios, qui doctissimis libris Religionem defenderunt: novos populos eidem Ecclesiae aggregavit, multosque ab ea extorres in sinum eius reduxit.

1. *C. Iansenius eiusque* AVGVSTINVS (*an.* 1640) — Lites, ineunte hac epocha in Ecclesia excitatae, nomen acceperunt a Cornelio Iansenio. Is anno 1585 in Accoy prope Leerdamum in Hollandia catholicis parentibus natus, humanioribus litteris Vltraiecti, philosophiae et theologiae Lovanii studuit. Emenso theologiae curriculo, valetudinis causa petiit Gallias, ubi singulari amicitia usus est cum Ioanne Du-Verger-de-Haurane, abbate monasterii Benedictini ad Sancyranum, antea suo in studiis Lovanii socio. Anno 1617 Lovanium redux, post biennium s. Theologiae doctor in Vniversitate huius oppidi renunciatus et an. 1630 s. Scripturae interpres creatus fuit. An. 1633 librum scripsit, cui titulus: *Mars Gallicus*, in quo ardenti stilo Gallorum foedera cum principibus protestanticis redarguit, et Austriacae familiae iura in Belgium contra illorum machinationes defendit. Hoc

libro meruit favorem Philippi IV, regis Hispaniae, a quo an. 1635 episcopus Iprensis renunciatus fuit. Anno sequenti consecratus, mortuus est anno 1638.

Praeter commemoratum librum reliquit Iansenius commentarios in Pentateuchum, Proverbia, Ecclesiasten, Sapientiam, Sophoniam et in Evangelia, item plures epistolas ad abbatem Sancyranum, et infaustum opus, cui titulus: *Augustinus*, seu Doctrina s. Augustini de naturae humanae sanitate, aegritudine, medicina, adversus Pelagianos et Massilienses. In prima parte huius libri exponitur haeresis Pelagiana, in secunda status humanae naturae ante et post lapsum, adeoque peccatum originale eiusque mali effectus, speciatim defectus liberi arbitrii; in tertia parte systema s. Augustini de auxilio gratiae medicinalis et de praedestinatione; ubique sententiae molinisticae, veluti semipelagianis affines, refutantur.

Iansenius in exarando hoc opere 22 annis laborasse dicitur; sed quam infelici exitu, patebit ex dicendis. Ipsius auctoris mens de doctrina in libro suo tradita, non parum suspecta redditur ex epistolis eiusdem ad abbatem Sancyranum. Inter alia in iis scribit: « Non audeo dicere quid sentio de praedestinatione et gratia, ne forte antequam omnia parata et maturata sint, mihi quod aliis accidat, Romae damner, sicut damnatus fuerat Baius ». Addit, doctrinam, quam in *Augustino* exponebat, plerisque stuporem incussuram; futurum facile, ut tanquam delirus et somniator insignis audiat; magna prudentia, circumspectione, praesertim procerum et religiosorum coetuum praesidio opus esse. Sibi obiiciens bullas Pii V et Gregorii XIII contra assertiones Baii, exclamat: « Hereo, fateor, sed quid ad doctrinam s. Augustini? [1] » Nihilominus paulo ante mortem suam in scripto testamento suam erga Sedem Romanam et Ecclesiam obedientiam professus est, opusque, vixdum absolutum, legavit Reginaldo Lameo, cappellano suo, ut illud e consilio Liberti Fromondi, ss. Litterarum in Vniversitate Lovaniensi interpretis, et Henrici Caleni, canonici, deinde archidiaconi Mechliniensis, typis mandandum curaret. En eius verba: « Ego Cornelius, Dei et Apostolicae Sedis gratia episcopus Iprensis, de mea libera voluntate dono omnia mea scripta, ad explicationem s. Augustini spectantia, cappellano meo Reginaldo Lameo, partim quia magno labore ea scripsit vel dictavit, partim quia sine originali copia corrigi non potest. Hac tamen mente hanc donationem facio, ut cum doctissimis viris, magnifico domino Liberto Fromondo et reverendo domino Henrico Caleno canonico Mechliniensi, conferat et disponat de editione quam fidelissime. Sentio enim aliquid difficulter mutari posse; si tamen Romana Sedes aliquid mutari velit, sum obediens filius, et illius Ecclesiae, in qua semper vixi, usque ad hunc lectum mortis obediens sum. Ita postrema mea voluntas est. Actum sexta mai 1638 ». Fertur praeterea, eum, morti proximum, mandasse sanctimoniali, quae aegrotanti ministrabat, adferre librum nondum typis editum, in ignem, ut creditur, coniiciendum, sed hunc non fuisse repertum.

[1]) *Naissance du Jansenisme découverte*, ou *Lettres de Jansenius à l'abbé de Saint-Cyran*, Louvain 1654.

2. *Lites Iansenianae* — Anno 1640 infelix liber *Augustinus* Lovanii in lucem prodiit. Mox plures adversarios, sed etiam defensores habuit. Nonnulli eum veluti ipsum Augustinum, ad debellandam Molinistarum doctrinam, e coelo delapsum laudabant. Alii, sanae doctrinae addicti, praesertim Iesuitae, illum praedestinatiana lue, in Baii propositionibus damnata, infectum impugnabant. Contentio continuo crevit. Interim liber *Augustinus* Romam delatus, an. 1642 ab Vrbano Pp. VIII Bulla, *In eminenti*, sub gravibus poenis et censuris, extra mortis articulum Apostolicae Sedi reservatis, prohibitus fuit: tum quod contra Pauli V constitutionem, ne qui libri, de auxiliis divinae gratiae tractantes, sine Sedis Apostolicae facultate ederentur, fuisset typis mandatus; tum quod contineret varias propositiones, iam decessorum suorum Pii V et Gregorii XIII Bullis condemnatas. Verum contentiones non sunt sopitae, Ianseniani libri defensores Vrbani constitutionem aut obreptitiam aut subreptitiam vel supposititiam esse dicebant, et conversi ad Pontificem et ad regem Hispaniae, impetrare satagebant, ne ad acceptandam bullam adigerentur, contendentes, in libro Iansenii non nisi s. Augustini doctrinam esse expositam.

Eadem animorum contentio visa est in Gallia, ubi I. Vergerius, abbas Sancyranus, eiusque discipulus Antonius Arnaud theologiae doctor, multorum animos ad suscipiendum Iansenii librum praeparaverant. Posterior in duabus Apologiis, an. 1644 pro Iansenio editis, ostendere conatus est, non nisi D. Augustini doctrinam ab eo propositam es-

se. Ideo Vrbanus Pp. bullam suam quoque in Galliam transmisit, ubi etiam ac in Belgio eius publicatio atque acceptatio obstacula varia experta est.

Interim Pontifex litteris ad nuntios suos in Gallia et apud Coloniam atque ad internuntium apud Bruxellas, ad episcopos Belgii, ad Vniversitates Lovaniensem et Duacensem datis, constitutionis suae publicationem et acceptationem urgebat. In Gallia an. 1644 Pontificis bulla in concilio regio acceptata, transmissa est ad Sorbonam: quae quidem notavit propositiones, quae tanquam a prioribus Pontificibus iam damnatae in ea allegabantur, omnibusque ad se pertinentibus de iis disputare prohibuit; quoad alias bullae clausulas spectabat, sententiam suam suspendit. Innocentius X, qui an. 1644 Vrbano VIII successit, tum apud regem Hispaniae tum apud Leopoldum archiducem Austriacum, Belgii procuratorem, egit, ut refractarios in Belgio ad acceptandam Vrbani bullam compellerent. Tandem utriusque potestatis, pontificiae et regiae, mandatis effectum est, ut anno 1651 Bullam receperint ii, qui in Belgio hactenus abnuerant.

Ex hoc tempore Iansenianae lites in Belgio sopitae sunt. In Gallia vero magis efferbuerunt. Iansenianae doctrinae defensores illam omnino propagare studuerunt. Cum autem prae aliis Iesuitas sibi oppositos experirentur, omnia tentarunt, ut eos invisos redderent. Hinc famosi libelli, in quibus Iesuitae satyrica et maledica ratione proscindebantur. Tanta erat animorum contentio, ut in sermonibus, scriptis, scholis et suggestibus in utramque partem disceptaretur.

Anno 1649 N. Cornet, doctor Parisiensis et facultatis theologicae syndicus, 7 propositiones ex *Augustino* Iansenii excerptas ad Sorbonam detulit. Sorbonistarum alii iudicium recusarunt, alii eas haereticas et ss. Scripturae contrarias iudicarunt. Tunc de excerptis propositionibus ardentius disceptatum fuit.

3. *Quinque propositiones Iansenii*—Anno 1650 res delata est ad comitia cleri Gallicani, Parisiis congregata. Episcopi numero 85 e propositionibus, a Sorbona censuratis, selegerunt 5, de quibus maxime disputabatur, et quae, consentientibus ipsis hoc tempore Iansenianis, summam doctrinae, in libro Iansenii explicatae, constituebant. Praesules Galli eas Romam transmiserunt, et Pontificem Innocentium X obtestati sunt, ut easdem diligenter expenderet, et de singulis perspicuam certamque sententiam ferret. Contra alii 11 episcopi Galli, Iansenii doctrinae faventes, Pontificem a ferenda sententia dehortati sunt.

Quinque istae propositiones sic sonabant: 1ª, aliqua Dei praecepta hominibus iustis, volentibus et conantibus, secundum praesentes, quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque iis gratia, qua possibilia fiant; 2ª, interiori gratiae in statu naturae lapsae nunquam resistitur; 3ª, ad merendum et demerendum in statu naturae lapsae non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione; 4ª, semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus etiam ad initium fidei; et in hoc erant haeretici, quod vellent eam talem esse cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare; 5ª, semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse.

Has propositiones Pontifex in congregationibus, ad hoc institutis, coram 4 cardinalibus et 13 peritissimis sacr. Theologiae consultoribus, ex omni ordine electis, mature expendi iussit. Postquam res ea, qua maiori desiderari non posset, diligentia esset discussa, ii etiam, quos adversarii in causae suae patrocinium Romam legarant, fuissent auditi, Innocentius X pridie calendas iunii an. 1653 Constitutionem edidit, *Cum occasione*, qua commemoratas 5 propositiones, e Iansenii libro excerptas, damnavit et unicuique earum particularem damnationis notam seu censuram inussit: 1ᵃᵐ declaravit temerariam, impiam, blasphemam, anathemate notatam et haereticam, et ut talem damnavit; 2ᵃᵐ declaravit haereticam, et ut talem damnavit; 3ᵃᵐ pariter declaravit haereticam, et ut talem damnavit; 4ᵃᵐ declaravit falsam, et haereticam, atque ut talem damnavit; 5ᵃᵐ declaravit falsam, temerariam, scandalosam, et intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat praedestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, divinae pietati derogantem, haereticam, et ut talem damnavit. Mandavit omnibus Christifidelibus sub poenis et censuris, contra haereticos eorumque fautores in iure expressis, ne de dictis propositionibus aliter sentire, docere aut praedicare praesumerent, quam in praesenti declaratione continebatur. Praecepit omnibus Episcopis, locorum Ordinariis et haereticae pravita-

tis Inquisitoribus, ut quosvis contradictores et rebelles censuris poenisque ecclesiasticis, implorato etiam brachii saecularis auxilio si opus fuerit, compescerent. Addidit praeterea, se per hanc de 5 propositionibus declarationem nullatenus approbare alias propositiones, in libro Iansenii habitas.

Innocentii Bulla non tantum in Belgio ab Episcopis, Vniversitatibus et Ordinibus religiosis sine contradictione acceptata est, sed etiam in Gallia ab omnibus fere episcopis et a Sorbona lubenti animo admissa fuit. Ipsi iansenianae causae patroni fatebantur, 5 propositiones esse merito damnatas; verumtamen doctrinae suae praefracte adhaerescentes, aciem mutarunt, et ad versutias ac cavillationes conversi, dixerunt, illas propositiones nec quoad verbum nec quoad sensum a Pontifice intentum, in libro Iansenii contineri, proinde huius doctrinam minime esse condemnatam. Episcopi Galli, an. 1654 consueta comitia Parisiis celebrantes, praedictas propositiones cum libro Iansenii diligentissime contulerunt, discusserunt etiam quaecumque ab adversariis ad eludendam bullae pontificiae sententiam obiiciebantur, declararuntque, istas 5 propositiones in libro Iansenii haberi, et in proprio verborum sensu atque eo ipso, quo a Iansenio asseruntur, esse damnatas. Hanc declarationem praesules Galli transmiserunt ad Innocentium X, qui per rescriptum III calendas octobris 1654 datum eam confirmavit, expressisque verbis asseruit, per suam constitutionem, pridie calendas iunias 1653 datam, in 5 propositionibus damnatam esse doctrinam Cornelii Iansenii, in eius libro, cui titulus *Augustinus*, expositam.

Attamen haeresis non est extincta. Cumque primarii inter refractarios, Antonius Arnaud, Blasius Pascal, Petrus Nicole, eruditione, ingenii acumine, facundia, libris ingeniose et eleganter scriptis, morum severitate excellerent, ii multos in partes suas pertraxerunt [1].

4. *Innocentius X, Pontifex* (*an.* 1644) — Post Vrbanum vero Pp. VIII, qui IV calendas sextilis 1644 naturae concessit, postridie idus septembris Pontifex inauguratus est Ioannes Baptista Pamphilius, Romanus, cardinalis tituli s. Eusebii, qui sub Innocentii X nomine Ecclesiam gubernavit usque ad an. 1655. Is pietate, defendendae et propagandae Religionis ardore, iustitia, prudentia, liberalitate, aliisque virtutibus claruit. Venetis et equitibus Melitensibus contra Turcarum impetus in bello Cretico, quod per annos 25 perduravit, triremes et pecunias subministravit, ac Iubilaeum pro re hac indixit. Vladislao etiam, Hungariae regi, bellum contra christiani nominis hostes paranti, auxilia dedit. Ad catholicos Hibernos, ab haereticis oppressos legavit I. B. Rinuccinum, archiepiscopum Firmanum, ut illorum inopiam auro et argento sublevaret, eosque ad agendam fortiter causam contra persecutores hortaretur. Pacem, anno 1648 Monasterii in Westphalia inter principes catholicos et protestanticos compositam, tanquam Ecclesiae et imperio noxiam atque probrosam improbavit. An. 1650 Romae Iubilaei Indulgentiam concessit. Coenobia, in quibus propter parvum religiosorum numerum disciplina regularis servari non posset, in Italia sustulit, facta episcopis locorum potestate eorum bona in alios usus sacros convertendi. Damnavit libellum anonymum, *De magnitudine Romanae Ecclesiae et ss. Petri et Pauli pontificatu*, cuius auctor, aequalem utriusque Apostoli potestatem propugnando, unitatem capitis et primatus evertebat. Nec satis habuit damnasse insanam doctrinam; sed etiam praecepit viris doctis, ut eam scriptis labefactarent. Damnavit etiam, ut vidimus 5 propositiones, e libro Iansenii excerptas [1]. Anno 1650 magnum Iubilaeum tertium decimum celebravit.

5. *Mennonitarum fata* — Interea secta Anabaptistarum, qui et Mennonitae a Mennone Frisio dicti sunt[2], variis fatis et dissidiis exagitata est. Post mortem Mennonis in pluribus terris incrementa non exigua ceperant. In Batavia, quae fuit principalis eorum sedes, iam posteriori saeculi praecedentis tempore Guilielmi principis Arausicani, quem collata ad bellum pecunia sibi conciliaverant, et quorumdam magistratuum favore tolerari coeperunt. Anno 1626 ibidem publica Ordinum lege plenam religionis libertatem consecuti, numerum suum auxerunt. In Germania diversa sorte usi sunt. Ferdinandus I eos an. 1548 ex Austria, in qua erant frequentes, expulit. Nihilominus post multos annos magnus eorum

---

[1]) P. d'Avrigny, *Mémoires chronologiques et dogmatiques pour servir à l'histoire eccl. depuis 1600 jusqu'en 1716*; H. Dumas, *Histoire de cinq propositions de Jansenius*; P. Deschamps, *De haeresi Ianseniana ab Apostolica Sede merito damnata*; Tournely, *Tractatus de Gratia*.

[1]) Spondan. ad an. 1644-55; Ciacon. *Vitae RR. Pontif.*

[2]) Vid. p. 139.

numerus deprehensus est praesertim in regionibus, Moraviae conterminis, quos Rudolphus II an. 1601 sub poena capitis inde excedere iussit. Plerique eorum concesserunt in Moraviam meridionalem, ubi coetus suos plurimum auxerunt, donec eamdem sortem, quam Ferdinandus II omnibus acatholicis in terris suis Germanicis constituit, experti sunt. Tunc multi eorum, qui catholica sacra amplecti nolebant, migrarunt in Transylvaniam. In reliqua Germania Mennonitae coetus habebant in Holsatia, Frisia orientali, in principatu Mindensi, in Palatinatu superiori et inferiori, in ducatibus Iuliacensi et Cliviensi, in quibus sicut in Polonia et Borussia Polonis subiecta, iis tolerantia indulta est. In Helvetia minime tolerabantur. Ibi a Calvinistis, potissimum ab an. 1536, exilium, bonorum ademptio et verbera contra eos decreta et frequenter effectui data sunt. Omnium severissime in illos animadvertebant Bernenses, qui an. 1659 in eos inquiri iusserunt, et, non obstante Batavorum intercessione, anno 1693 illos, qui ex exilio reversi deprehendebantur, ergastulis nauticis, stigmatibus, ipsique morti addixerunt.

Mennonitae caeteros imitati haereticos in dogmatibus suis parum constantes fuerunt. Plures quidem fidei confessiones ediderunt, sed nullam eis auctoritatem symbolicam tribuebant. Secundum istas confessiones doctrina eorum a doctrinis caeterorum acatholicorum praesertim differebat in his: Hominis iustitiam, fide obtinendam, ex eius regeneratione oriri; baptismum non nisi credentibus et poenitentibus esse conferendum; homini in id nitendum esse, ut Christus in eo habitet; se ei revelet, eum perficiat et divinae suae naturae participem faciat; coenam esse memoriale Christi, et panem ac vinum esse summi boni symbola, quorum perceptione homines monentur, ut illud a Deo efflagitent; abstinendum esse a vocibus consubstantialis, persona divina, Trinitas, quum in s. Scriptura non occurrant; Ecclesiam e solis sanctificatis consistere; excommunicationem peccatoribus contumacibus diligenter infligendam, qua etiam a Deo separantur; magistratum a vero christiano non gerendum; arma aut bellum gerere et iusiurandum emittere a Christo prohibitum; matrimonium cum alienae religionis asseclis inire, esse illicitum. Quum vero in his ipsis aliisque ne omnes quidem Mennonitae idem sentirent, in plures factiones scissi sunt. Praecipuae eorum factiones erant mitiorum seu Grossorum et Severiorum seu Subtilium, quod illi de excommunicatione aliisque nonnullis mitius, hi severius sentirent. Posteriores iterum propter habitum, liturgiam et alia in plures factiones separati sunt. Mitiores etiam an. 1664 in duas partes, nimirum Galenistarum et Apostolorum separari coeperunt. Galenistae, auctore Abrahamo Galeno, medico et praedicatore Amstelodamensi, docebant, summam religionis consistere in observatione praeceptorum moralium, parumque interesse, quid quis de dogmatibus credat; unde reiectis fidei confessionibus, ad sententias socinianas inclinarunt. Apostoli, auctore Samuele Apostool, etiam medico et Amstelodamensi praedicatore, illorum principia reprobantes, ab iisdem secesserunt [1].

6. *Pax Westphalica* (*an.* 1648) — Post bellum diuturnum, in Germania catholicos inter et protestanticos principes gestum, ab utriusque partis oratoribus de componenda pace actum fuit. Inter alia, de quibus agebatur, maxime arduum erat negotium religionis. Principes protestantici non tantum religionis suae libertatem, sed et plura alia in catholicae rei detrimentum petebant, et fere ubique victores, pacis conditiones dictabant. Ferdinandus imperator III iis diu restitit, tandem Suecorum et Gallorum armis lacessitus, pacis conditionibus, an. 1648 inter principum oratores pactis, assensit. Haec est celebris pax, dicta Westphalica, quod Monasterii et Osnabrugae in Westphalia fuerit confecta. Per eam quidem restituta est Germaniae tranquillitas, et a bellis civilibus cessatum, sed non exigua detrimenta catholicae rei illata sunt. In primis pax Augustana, quam anno 1555 Carolus V cum protestantibus confecit [2], confirmata est et etiam ad Calvinistas extensa, atque in universum absoluta Catholicorum, Lutheranorum et Calvinistarum aequalitas tum in religionis negotio, tum in rebus politicis et civilibus decreta. Extra terras Austriacas omnes ecclesiae, episcopatus, abbatiae, capitula, collegia, xenodochia, monasteria, ante calendas ianuarii 1624 a protestantibus occupata, cum suis iuribus et bonis, eis confirmata sunt. In ecclesiis et capitulis mixtis, in quibus alii veterem, alii novam religionem profitebantur, decretus est

[1]) F. Catrou, *Histoire du fanatisme dans la religion protestante;* I. B. Starck, *Geschichte der Taufe und der Taufgesinnten.*

[2]) Vid. p. 151.

aequalis titularium et canonicorum utriusque religionis numerus. Praeterea compensandorum sumptuum bellicorum causa varii episcopatus cum abbatiis in ducatus et principatus saeculares conversi et principibus protestanticis concessi sunt. Sic rex Suecorum, praeter Pomeraniam, episcopatus Bremensem et Verdensem; marchio seu elector Brandeburgicus episcopatus Magdeburgensem, Halbestadiensem, Mindensem et Caminensem; duces Brunsvico-Lunaebergenses alternis vicibus episcopatum Osnabrugensem; dux Megalopolitanus Suerinensem et Raceburgensem; lantgravius Hasso Cassellanus abbatiam Hersfeldensem; duces Brunopolitani monasteria de-Walkenried et Groëningen retulerunt. Qui principes Religionis catholicae reliquias, in illis terris superstites, brevi tempore deleverunt. Innocentius Pp. X huiusmodi pacis conditionibus merito reclamavit, eamque ad posterorum memoriam edito diplomate improbavit. Verumtamen pax Westphalica recepta est, et deinceps in societate europaea ius publicum seu systema politicum constituit[1].

7. *Religionis status in Anglia*—In Anglia post Iacobum I, qui obiit an. 1625, regnavit Carolus I, filius eius, qui eodem anno Henricam Franciae, Henrici IV filiam, uxorem duxit. Haec cum esset catholica, apud regem effecit, ut catholicorum conditio in Anglia aliquantulum proficeret. At post aliquod tempus ex dissidiis religiosis politica secuta sunt, regnum bellis civilibus exagitatum est, ipseque rex an. 1649 a senatu capitis damnatus.

Etenim, praeter Episcopalium seu Anglicanorum et Presbyterianorum seu Puritanorum sectas, in Anglia enata est secta Independentium. Haec inter Puritanos circa an. 1581, auctore Roberto Brownio, praedicatore in comitatu Norvicensi, initium cepit. Brownistae principiis democraticis anarchica substituerunt; non tantum episcoporum, sed etiam presbyterorum et synodorum auctoritatem reiiciebant, docebantque, quemvis coetum ecclesiasticum a reliquis omnibus prorsus independentem esse, praedicatores a singulis cuiusvis coetus membris votorum pluralitate constituendos et pro arbitrio destituendos, et praeter eos cuivis sine sexus et conditionis discrimine ius esse annuntiandi divinum verbum, modo se ad illud a Spiritu S. afflari sentiret. Vnde paulo post *Independentes* appellati sunt. Praeterea caeteras ecclesiastici regiminis formas ardore fanatico detestabantur, ad quas abrogandas etiam vim in Episcopales adhibebant et in ipsam reginam Elisabetham invehebantur. Quapropter nonnulli eorum morte mulctati sunt, alii in Belgium foederatum confugerunt. An. 1610 Ioannes Robinson, Lugduni Batavorum apud coetum illorum praedicator, offensus, quod sui omnem principiorum brownisticorum mitigationem reiicerent, in Angliam rediit, et Londini primum coetum Independentium condidit. Hi Brownistis in eo erant mitiores, quod ecclesias, a sua regiminis forma alienas, non adeo ac illi impeterent, neque cuivis pro concione dicendi potestatem facerent.

Porro Independentes aeque ac Puritani propter doctrinas suas a supremo regimine coërcebantur. Carolus I patris sui exemplo Episcopalibus favit, eorumque potestatem auxit. Vt ecclesiastica eorum forma etiam in Scotia praevaleret, non tantum episcopis, ibi constitutis, publica munera eaque amplissima contulit, sed etiam an. 1637 liturgiam anglicanam introducere conatus est. Verum populus in seditionem prorumpens, id impedivit, et anno sequenti Ordines Scoti in unum congregati, episcopos et omnia, a Iacobo et Carolo ad firmandum eorum regimen introducta, abrogarunt. Carolus rex Scotos iam armis ad obedientiam adigere conabatur, sed bellum, inde enatum, an. 1640 adversum regi exitum habuit. Interea democratica Puritanorum principia etiam inter Episcopales probari coeperant, et quo magis eorum factio a regibus reprimebatur, eo amplius aucta fuerat. Independentes vero ita multiplicati erant, ut caeteros Puritanos et numero et viribus superarent.

Interim Carolus I Ordines publicos convocavit. At a populo ad comitia deputati erant maxima parte regi infesti; adeo ut qui *cameram*, ut dicitur, *inferam* constituebant, plerique sive puritani sive independentes essent. Hi iam pro summo odio, quo in episcopos flagrabant, primo archiepiscopum Cantuariensem Laud, deinde caeteros episcopos plerosque in vincula coniici mandarunt. Hoc facto, legem proposuerunt, qua episcopi comitiis publicis excluderentur, et tum regem tum *cameram superiorem*, iam omni auctoritate carentes, an. 1642 ad illam legem approbandam compulerunt. *Camera* inferior continuo ulterius progrediens, an. 1645 archiepisco-

[1]) Adam, *Arcana pacis Westphalicae*, Francof. 1693, alias, *Historica relatio de pacificatione Osnabrugo-Monasteriensi*, 1737; G. H. Bougeant, *Histoire du Traité de Westphalie.*

pum Laud capite plecti iussit, et anno sequenti episcopis penitus abrogatis, calvinianam regiminis ecclesiastici formam, presbyteriis, classibus, synodis provincialibus et nationalibus distinctam, in Angliam introduxit.

Brevi e democraticis et independentibus ecclesiasticis facti sunt politici, suaque principia ab episcopis ad regem transtulerunt; unde bella cruenta et caedes secuta sunt. Carolus contra iniquos *camerae* inferioris et democraticorum conatus exercitum collegit, seque armis defendere tentavit; initio haud infeliciter pugnavit; at iunctae Scotorum et Anglorum vires sub duce Oliviero Cromwell, qui milites suos fanatismo religioso implere noverat, Carolum regem ad tantas redegerunt angustias, ut se Scotorum fidei committeret. Ab his rex traditus Anglis, in vinculo coniectus est, et agente eodem Cromwell, laesae religionis et libertatis publicae accusatus, anno 1649 capite plexus fuit.

Novae reipublicae, nunc in locum monarchiae introductae specioso protectoris titulo praesedit Cromwell, qui maiori, ac unquam reges, potestate, potius tyrannide usus est usque ad mortem suam, quae accidit anno 1658. Sub eo Puritanorum, e quibus is erat, religio et potestas praevaluerunt. Cuivis tamen liberum erat eam profiteri religionem, quae sibi verior videretur. Soli catholici hac libertatis lege erant exclusi. Catholici vero Hiberni iniquissimae et durissimae sorti addicti sunt. Iam Henricus VIII, Eduardus VI et Elisabetha iis Hibernis, quos sub potestate sua habebant, novitates religiosas vi et crudelitate obtrudere conati fuerant. Deinde sub Iacobo I universa Hibernia subacta fuit. Anglis vero, qui in ea ad morem colonorum consederant, maxima privilegia in detrimentum indigenarum concessa sunt. His omnibus irritati Hiberni, quorum plerique Religioni catholicae fideliter inhaerebant, regnante Carolo I, arma arripuerunt pro patriae et Religionis libertate atque defensione. In bello inde exorto Cromwell ita prevaluit, ut cunctos catholicos ex universa terra in unam provinciam coëgerit, cuivis eius limites transgressuro mortem minitatus. Quo facto, omnibus, qui bellum participarant, fundi, qui ferme ad tertiam terrae partem protendebantur, adempti et colonis acatholicis ex Anglia venditi sunt. Ita catholici in Hibernia ad paupertatem redacti fuerunt, simulque inextirpabile turbarum semen sparsum [1].

8. *Quakeri* —Hoc ipso tempore, quo Presbyterianis et Episcopalibus inter se pugnantibus, res ecclesiastica in Anglia admodum perturbata esset, ibidem orta est secta Quakerorum. Horum auctor fuit Georgius Fox, professione sutor, natura severus et morosus, animo intenso et phantasia vivida; qui se ad emendandum moralem et religiosum statum divinitus excitatum contendit. An. 1647 revelationes, quas sibi divinitus obtingere dicebat, primo quidem amicis, dein omnibus sibi obviis proponere coepit. Earum summa in eo consistebat, ut homines ad lumen divinum, eorum animis a Deo inditum, attenderent, eiusque inspirationes sequerentur. Quum hoc tempore in Anglia maxima esset in religionis negotio licentia, Fox multos e rudioribus asseclas sibi conciliavit, quibus progressu temporis etiam plures e viris litteratis et nobilibus accesserunt. Inter hos notatu digniores erant Samuel Fischer, Georgius Keith, Robertus Barclay et Guilielmus Penn, qui confusas magistri ideas scriptis illustrarunt et in quoddam systema redegerunt. Illius summa fere haec erat: Omnes posteri Adami peccato corrupti et ad rectam Dei agnitionem inepti sunt; sed Deus pro immenso suo in homines amore, cuiusvis, sive christiani, sive iudaei, sive gentilis, animum aliquo saltem vitae tempore illustrat et movet ad bonum cognoscendum et faciendum, quatenus ei indidit particulam divini luminis, quod quum Dei voluntatem aperiat, vocatur verbum internum, et quum a Christo descendat et ab eo non possit separari, ita ut is in homine quasi habitet, appellatur Christus internus. Istud lumen recessione a rebus externis et attentione interna studiose excitandum est, quia quamvis illud nemini denegetur, a multis tamen propter eorum negligentiam non percipitur. Hoc lumine duce omnes homines, ethnici ac christiani, ad salutem pervenire possunt et omni tempore potuerunt. Ex hoc verbo interno sacri christianorum libri manarunt, qui secundum illud, utpote revelationis factae, perdurantis et semper duraturae, fontem, sunt explanandi. Ea sola luminis divini eloquia habenda sunt, quae neque sanae rationis, neque s. Scripturae (de cuius auctoritate minime conveniebant) dictaminibus sint contraria. Praeterea quakeri

[1]) P. d'Orléans, *Histoire des révolutions d'Angleterre;* D'Avrigny, *Mémoires pour servir à l'histoire de l'Église;* item, *Mémoires pour servir à l'histoire de l'Europe;* T. Burnet, *Histoire de la réformation de l'Église d'Angleterre.*

mysteriosas christianae religionis doctrinas et sacramenta reiiciebant, et in quamdam Deismum tendebant. In doctrina morali ab aliis haereticis differebant praecipue, quod iuramentum et bellum, alios salutare et aliter quam vocibus secundae personae singularis alloqui, caput denudare, aliosve honores cuiquam, ipso rege non excepto, exhibere, illicitum haberent; quod oblectationes, pompas et luxum in vestitu et supellectili tanquam res, sensualitatem nutrientes animumque distrahentes, evitare praeciperent. Eorum constitutio ecclesiastica his principiis erat conformis. Quum enim lumen internum cuivis hominum esset inditum, non habebant inter se qui doctrinam theologicam colerent, neque peculiarem praedicatorum ordinem. Duplicis tamen generis ministros habebant, apostolos nempe, qui ad propagandam sectam alio abibant, et seniores, qui pauperes et infirmos curabant et ordini in sacris conventibus invigilabant. Eorum sacra in eo solo consistebant, quod prout quis a spiritu interno excitabatur, nudato capite vel ad dicendum surgeret vel ad orandum in genua procumberet, caeteris surgentibus et viris caput denudantibus. Dum nemini quid in mentem veniebat, totus coetus, ne verbo quidem addito, discedebat. Quantum spectat ad nomen Quakerorum, quod in lingua anglicana *trementes* denotat, alii dicunt, eos id primum accepisse a quodam iudice, qui, cum Fox eum ad verbum Dei tremere iuberet, hunc eiusque asseclas ludibrii causa vocarit trementes; alii putant, eos ita appellatos fuisse, quod in verbum Dei intendentes, tremere solerent. Ipsi se confessores lucis et amicos vocare consueverunt.

Porro Fox ad propagandam sectam suam non tantum Angliae provincias peragravit, sed etiam in Scotiam, Americam septentrionalem, Anglis subiectam, Bataviam et Germaniam profectus est. Secundum eius exemplum asseclae eiusdem fanatico ardore sectam propagare studuerunt, quorum multi, etiam feminae, Angliam peragrabant, lumen internum annuntiantes, hominesque ad deserendam religionem corruptam et suscipienda sua placita excitantes. Nonnulli in Americam, Bataviam, Germaniam, Galliam, Italiam, aliasque regiones studio faciendi proselytos profecti sunt. Copiosos coetus formarunt in septentrionalibus Angliae provinciis et in Valesia, pauciores in reliquis, in Scotia et Hibernia. In America principalis eorum sedes fuit Pensylvania. Extra Angliam et subiectas ei terras paucos asseclas habuerunt. In ipsa Anglia propter importunam conversionis methodum, propter convicia in ecclesiam et clerum, propter iusiurandum et decimas denegatas saepe cum privatis, clericis et magistratibus collidebantur, saepiusque dura et incerta fuit eorum conditio [1].

9. *Peyrerius Praeadamita* — Alium errorem in lucem protulit Isaac Peyrerius, qui Burdigalae in Gallia an. 1594 parentibus calvinistis natus, an. 1655 duos libros edidit, quorum prior erat inscriptus: « Praeadamitae sive exercitationes super vers. 12, 13 et 14 cap. V Epist. ad Romanos »; alter: « Systema theologicum ex Praeadamitarum hypothesi exornatum ». In his libris contendebat Peyrerius, Adamum non esse universorum hominum, sed tantum Iudaeorum parentem, et ante eum alios extitisse homines, a Deo conditos, quos neque Adami praevaricatio perdidisset, neque universale diluvium delevisset. Absurdum commentum a Calvinistis aeque ac catholicis reprobatum est. Illud hoc ipso tempore scripto confutavit e catholicis Philip. Le-Prieur seu Priorius [2], e lutheranis I. C. Danhawer [3]. Peyrerius in Belgio interceptus et custodiae mancipatus, ad saniorem mentem rediit. Romam profectus, coram Alexandro Pp. VII et Calvinistarum et Praeadamitarum haeresim abiuravit.

10. *Alexander VII, Pontifex* (*an.* 1655) — Post obitum enim Innocentii X, qui decessit VII idus ianuarii 1655, VII idus aprilis eiusdem anni in Petri cathedram evectus est Alexander VII, Senensis, antea appellatus Fabius Chisius, qui Pontificatum gessit usque ad an. 1667. Is ab initio omnibus catholicis spem magnam fecit: nam adhuc cardinali, propter res praeclare gestas principibus et populis gratissimus erat. Pontifex factus nihil omisit quod ad officii sui munus pertinere arbitrabatur. Principes christianos litteris hortatus est ad communem concordiam, ut Turcas, eorum dissidiis elatos et intento in Europae iugulum gladio furentes, coniunctis viribus coërcerent. Venetis et Hungaris ad repellendos Turcarum impetus pecuniam et milites misit. Auxilia quoque destinavit regi Poloniae, armis Suecorum pene oppresso, et

---

[1]) F. Catrou, *Hist. du fanatisme dans l' Église protestante*; G. Croëse, *Historia Quakeriana*.

[2]) *Animadversiones in librum Praeadamitarum*, Paris. 1756, in-8°.

[3]) *Praeadamita utis seu fabula*.

Carolo Emmanueli, duci Sabaudiae, ad reprimendos in Alpinis vallibus Waldensium ausus. Christinam, reginam Suecorum, quae abdicato regno et abiurata Bruxellis haeresi, Romam venit, debito honore excepit. Ad compescendam audaciam quorundam, de Immaculata B.V.M. conceptione disputantium, superiorum Pontificum constitutiones in hac re instauravit confirmavitque. Vrbem aedificiis et molibus ornavit. — Viros litteratos impense fovit. Thomam de Villanova Archiepiscopum Valentinum, et Franciscum de Sales Episcopum Genevensem Ssrum catalogo adscripsit, Venetam Rempublicam bello Cretico laborantem adiuvit pecunia et milite. — Multas propositiones mollioris ethices et apologiam casuistarum, quae sub nomine Pirotii prodierat, condemnavit. Proscripsit quoque Iansenistarum effugia contra decessoris sui constitutiones.

11. *Lites Iansenianae* — Iansenistae porro, seu haereseos iansenianae defensores, non obstantibus episcoporum Gallorum et Innocentii Pp. X declarationibus et sententiis[1], continuo contendebant, 5 propositiones, ab Apostolica Sede damnatas, in libro Iansenii non reperiri vel saltem non habere eum sensum, in quo fuerant damnatae, proinde iansenianam haeresim qua insimulabantur, esse adversariorum commentum. Alexander Pp. VII, ab episcopis Galliae interpellatus, an. 1656 novam Constitutionem, *Ad sacram*, edidit, in qua decessoris sui constitutionem et declarationem confirmavit, et inter alia haec decrevit: «Cum autem, sicut accepimus, nonnulli iniquitatis filii praedictas 5 propositiones in libro Iansenii praedicto non reperiri, sed ficte et pro arbitrio compositas esse, vel etiam sensu, ab eodem intento, damnatas non esse, asserere magno cum Christifidelium scandalo non formidant. Nos... praeallatam Innocentii Praedecessoris Nostri declarationem, Constitutionem ac definitionem harum serie confirmamus, approbamus, innovamus, et 5 illas propositiones ex libro praememorati Cornelii Iansenii... excerptas ac in sensu, ab eodem Cornelio Iansenio intento, damnatas fuisse, declaramus ac definimus, ac ut tales iterum damnamus ». Hanc Constitutionem episcopi Galliae in comitiis generalibus an. 1657 summa cum veneratione acceptarunt, statueruntque, ut ea in omnibus Galliae dioecesibus promulgaretur. Praeterea condiderunt fidei formulam, ab omnibus clericis subscribendam, qua declarabant, quod se sincero animo subiicerent Constitutioni Innocentii X, datae pridie calendas iunias 1653, secundum verum eius sensum per Constitutionem Alexandri VII, datam postridie idus octobris 1656, declaratum, seque ore et animo condemnare 5 propositiones Cornelii Iansenii, in libro eius scriptas et ab utroque Pontifice damnatas.

Tunc Iansenistarum factio instar colubri tortuosi, cuius caput attritum est, per gyros et cavillationum deflexus auctoritatem, qua damnabatur, effugere conata, excogitavit celebrem distinctionem iuris et facti. Asseruerunt, Ecclesiam quidem esse infallibilem in quaestionibus iuris, sitne haec aut illa doctrina orthodoxa an haeretica, non vero in quaestionibus facti, an ea doctrina in hoc vel illo libro contineatur nec ne, aut quis sit libri eiusque auctoris sensus. Vnde contenderunt, assensum fidei quidem esse praestandum Ecclesiae iudicio de 5 propositionibus in se spectatis, non vero relate ad librum Iansenii. Sic rem novis quaestionibus involvere et implicare studuerunt. Tanta fuit factiosorum contra pontificias constitutiones audacia, ut rex Galliae, Ludovicus XIV, an. 1660 episcopos, comitiorum cleri praesides, admonuerit, ut istud scandalum efficaci via tollerent et rebelles reprimerent. Quapropter in comitiis decretum est, ut qui contra constitutiones pontificias in causa ianseniana scripserant, doctrinam suam retractarent, et qui e clericis saecularibus et regularibus supra memoratae fidei formulae subscribere renuerent, ceu haeretici haberentur. Nihilominus, praeter caeteros Iansenistas, ex ipsis episcopis quatuor subscriptionem recusarunt, nimirum Pavillon Alectensis, Choart de Buzenval Bellovacensis, Caulet Apamiensis et Arnauld Andegavensis. Vnde contentiones motusque inter clerum Gallicanum augebantur.

Praecipuum Iansenistarum receptaculum erat coenobium monialium Ordinis Cisterciensis, quod Portus-regius dicebatur, haud procul a Parisiis situm. Huc Antonius Arnauld, Nicole, Pascal aliique Iansenistarum duces, et plures aliae utriusque sexus personae, pleraeque nobiles, diverterant, iuxta coenobium domicilia elegerant et vitae asceticae rationem sectabantur. Omnes una cum monialibus iansenianae causae erant addicti. Quum autem moniales Portus-regii commemoratae formulae subscribere recusarent, an. 1664 ab archiepiscopo Parisiensi Sacramentorum

---

[1]) Vid. p. 198.

usu prohibitae sunt; pleraeque tamen contumaciter in sua rebellione perseverarunt.

Ludovicus XIV rex Galliae existimans, Iansenistas Pontifici citius obedituros, ab Alexandro Pp. VII petiit, ut ipse certam fidei formulam subscribendam praescriberet, qua iis medium eludendi apostolicas constitutiones eriperetur. Igitur Pontifex XV calendas martii 1664 novam constitutionem, *Regiminis apostolici*, edidit, qua omnibus ecclesiasticis, archiepiscopis, episcopis, aliis quibuscumque ecclesiastici Ordinis, tam regularibus quam saecularibus, etiam monialibus, doctoribus, licentiatis, aliisque collegiorum rectoribus et magistris sub poenarum canonicarum comminatione praecepit subscribendam hanc fidei formulam: « Ego N. Constitutioni Apostolicae Innocentii X datae die 31 maii an. 1653, et Constitutioni Alexandri VII datae die 16 octobris an. 1656 summorum Pontificum me subiicio, et 5 propositiones ex Cornelii Iansenii libro cui nomen *Augustinus*, excerptas et in sensu ab eodem auctore intento, prout illas per dictas constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo reiicio ac damno, et ita iuro: Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia ». Ludovicus XIV secundum Pontificis mandatum praescripsit, ut omnes ad quos spectabat, in toto regno suo Alexandri formulae subscriberent. Eamdem subscriptionem episcopi, exceptis 4 supra commemoratis, in suis dioecesibus imperarunt.

Verumtamen neque hac via refractarii ad catholicam obedientiam reducti sunt. Alii aperta fronte repugnarunt, asserentes, Alexandrinae formulae simpliciter subscribi non posse absque periurio ab iis, quibus non erat persuasum, 5 propositiones in libro Iansenii contineri, et ad vitandum periurium in subscriptione exprimendam esse distinctionem iuris et facti. Inter hos praecipuus erat A. Arnauld, propter suam in errore pertinaciam a Facultate Parisiensi e numero Doctorum expunctus. Alii, qui molliores vocabantur, dicebant, praedictae formulae simpliciter subscribi posse, etiam ab iis, qui animo persuasum haberent, nullam doctrinam haereticam in libro Iansenii reperiri, vel sensum, a Iansenio intentum, non esse haereticum. Horum ratio erat, quod subscriptio ex se ipsa solum referretur ad ius et non ad factum, vel quod subscribens neque assereret neque negaret, quinque propositiones in sensu Iansenii esse haereticas, sed solum affirmaret, eas in hoc sensu esse a RR. Pontificibus damnatas. En quos flexus et obliquos meatus probarint ii ipsi, qui adversarios suos laxioris moralis et pravarum restrictionum accusare solebant. Episcopi Alectensis, Bellovacensis, Apamiensis et Andegavensis simplicem seu absolutam formulae Alexandrinae subscriptionem denegarunt, et in litteris suis pastoralibus contenderunt, Constitutionibus apostolicis, quantum ad ius seu dogma spectabat, praestandum esse assensum fidei: quantum vero ad factum pertinebat, sufficere obsequiosum silentium. Haecque sententia inter refractarios communiter recepta est. Ex hoc tempore non tam de 5 propositionibus et libro Iansenii, quam de infallibilitate et auctoritate Ecclesiae et Pontificis disceptatum fuit, ad quam deprimendam adversarii maligne confundebant facta mere humana seu historica cum dogmaticis.

Interim Pontificis et regis mandato adversus 4 rebelles episcopos iudicium canonicum institutum est. Hi vero tum fictis et fraudulentis submissionis testificationibus, tum amicorum, quos in episcopatu, aula, magistratu et in monasteriis habebant, patrocinio impendens sibi periculum declinarunt. Interea obiit Alexander Pp. VII. Eius successor, Clem. IX, causam contra 4 episcopos prosequendam mandavit. Episcopi 19 quorum caput erat de Goudrin, archiepiscopus Senonensis, datis ad Clementem Pp. et Ludovicum regem litteris, pro illis intercesserunt; deinde apud Nuntium apostolicum causam inter Pontificem et 4 episcopos ita composuerunt, ut hi ad retractandas priores suas litteras pastorales non compellerentur, sed sincere formulae Alexandrinae subscriberent, idemque faciendum imperarent dioecesanis suis. Tunc 4 episcopi novam formulae subscriptionem confecerunt, sed quae in actis secretis conservata est; et ad Clementem Pp. litteras dederunt, quibus significabant, se ad exemplum caeterorum Galliae episcoporum formulae Alexandrinae subscripsisse et ecclesiasticis suis in synodis idem praescripsisse, seque eamdem constitutionibus apostolicis obedientiam imperasse, quam caeteri episcopi imperarant. Haec omnia ab iis sincere peracta esse, ad Pontificem scripserunt episcopi pacis mediatores. Clemens IX his testimoniis persuasus, 4 istos episcopos sincere et proinde sine restrictione aut distinctione subscripsisse, et 5 propositiones damnasse in omni sensu, quo ab Ecclesia damnatae erant, XIV calendas februarii 1669 gratulatorias ad eos litteras scripsit,

iisdem pacem reddidit, coeptumque contra eos iudicium absolvit. Tunc etiam moniales Portus-regii in integrum restitutae motusque sopiti sunt.

De hac pace, quam Clementinam vocarunt, postea gloriati sunt Iansenistae dicentes quatuor istos episcopos in sua subscriptione, quae in actis verbalibus continebatur, distinxisse inter ius et factum, et tamen a Clemente IX receptos fuisse. Verum quamvis ista distinctio reperta fuerit in actis secretis, certum est, eam Pontificem latuisse, eumque existimasse, illos episcopos sincere, sine ulla distinctione vel restrictione et secundum Litterarum Apostolicarum praescriptum egisse. Id tum ex ipsorum episcoporum et moderatorum pacis, tum ex Pontificis ad illos et ad regem litteris confirmatur [1].

12. *Scriptores ecclesiastici* — Inter scriptores ecclesiasticos, qui circa huius saeculi dimidium floruerunt, exponendis et illustrandis ss. Litteris adlaborarunt hi qui sequuntur: Simon Muisius seu de Muis, Aurelianensis, archidiaconus Suessionensis, linguarum orientalium peritissimus, scripsit inter alia laudatissimum commentarium litteralem et historicum in Psalmos [2]. Ioannes Stephanus Menochius, Papiensis, S. I., edidit Institutiones politicas et oeconomicas, e s. Scriptura deprompta, tractatum de republica Hebraeorum, et commentarium seu Scholia in universam Scripturam [3]. Ioannes Morinus, Blesensis, e calvinista catholicus et presbyter Oratorii, in linguis orientalibus versatus, edidit versionem LXX Interpretum una cum versione latina Nobilii, praefatione et prolegomenis [4], exercitationes biblicas in textum hebraeum [5], exercitationes ecclesiasticas in utrumque Samaritanorum Pentateuchum [6]. Libertus Fromondus, Eburo, in Vniversitate Lovaniensi ss. Litterarum professor, reliquit commentarios in Epistolas, in Canticum Canticorum, in Actus Apostolorum et in Apocalypsim, in quibus nonnulla habentur, quae Iansenianam doctrinam sapiunt. Petrus Possinus, Narbonensis, S. I., elucubravit Catenam Patrum Graecorum in s. Marcum, Spicilegium Evangelicum et explanationem in

¹) Cf D'Avrigny et alios p. 199 in nota citatos.
²) Edidit cum triplici Psalmorum versione latina et scholiis Bossuetii J. N. Paquot, Lovan. 1770, 2 vol. in 4°.
³) Paris. 1719, 2 vol. in-fol., Alost. 1825, 15 vol. in-8°.
⁴) Paris. 1628, 3 vol. in-fol.
⁵) Ibid. 1660, in fol. — ⁶) Ibid. 1631, in-4°.

Apocalypsim. Ludovicus Ferrandus, Teloniensis, edidit Psalmos cum argumentis, paraphrasi et annotationibus eruditis magis quam solidis. Ioannes de-la-Haye, Parisiensis, Ord. Min., edidit Biblia magna in 5, et Biblia maxima in 19 volumina in folio distributa, quae tamen haud magni fiunt. Guido Michaël Le-Jay, Parisiensis, curavit editionem Bibliorum polyglottorum [1].

Inter theologos claruerunt, Franciscus Sylvius, Hanno, in Vniversitate Duacensi s. Theologiae professor; reliquit laudatissimos commentarios in Summam D. Thomae, praeterea scripsit in 4 priores libros Pentateuchi, item de controversiis fidei et contra nascentem Iansenismum [2]. Guilielmus Herincx, Helmondanus, Ord. Min. episcopus Iprensis, auctor est Cursus theologici, scholastici et moralis. Vincentius Contenson, Condomensis, Ord. Praed., dedit theologiam dogmatico-moralem mentis et cordis. Ioannes de Lugo, Iesuita Hispanus, et R. E. cardinalis, reliquit tractatum de virtute et sacramento poenitentiae aliosque scholastico-morales [3]. Franciscus de Lugo, eius frater, pariter Iesuita, edidit commentarium in D. Thomam Aquinatem, tractatum de Sacramentis et alios. Antonius Diana, Panormitanus, Ord. Clericorum Theatinorum, collegit summam seu partes 12 resolutionum moralium [4]. Hermanus Busembaum, S. I., cuius extat Medulla theologiae moralis. Nicolaus Isambertus, Aurelianensis, doctor Sorbonicus, composuit doctum commentarium in Summam D. Thomae. Dionysius Petavius, Aurelianensis, S. I., docte scripsit de dogmatibus theologicis [5] et de hierarchia ecclesiastica [6]. Ioannes Morinus, iam laudatus, edidit Tractatus de sacris Ordinationibus et de poenitentia. Franc. Hallerius, Carnotensis, doctor Sorbonicus et episcopus Cabellionensis, reliquit libros de sacris electionibus et ordinationibus, de hierarchia, et opuscula contra Iansenistas. Amandus Richelius, seu Richelieu, Parisiensis, episcopus Lucionensis, cardinalis et regni administer, scripsit methodum controversiarum Fidei, defensionem fidei catholicae, aliaque. Adrianus et Petrus de Wallembur-

¹) Paris. 1628-45, 10 vol. in-fol.
²) Antwerp. 1698, 6 vol. in-fol. Desiderantur in hac editione opuscula contra Jansenismum.
³) Lugdun. 1633, 7 vol. in-fol.
⁴) Antwerp. 1656, 8 vol. in-fol.
⁵) Paris. 1644, 5 vol. in-fol.
⁶) 1643 in-fol.

ch, fratres Roderotami episcopi suffraganei, hic Moguntini, ille Coloniensis archiepiscopi, composuerunt egregios tractatus generales et speciales de controversiis Fidei. Franciscus Veronius, Parisiensis, inter alia opera polemica edidit librum praestantissimum de regula Fidei. Henricus Holdèn, anglus, dedit analysim Fidei.

In historia et antiquitate ecclesiastica illustranda operam impenderunt supra indicatus Dionysius Petavius, qui exaravit doctrinam et rationarium temporum. Odericus Raynaldus, presbyter Oratorii, Annales ecclesiasticos Baronii perduxit ab an. 1199 usque ad 1565[1]. Antonius Godeau, episcopus Venciensis et Grassensis, scripsit gallice historiam ecclesiasticam novem priorum saeculorum. Philippus Labbeus, Bituricensis, S. I., dedit catalogum scriptorum historiae Byzantinae, bibliothecam manuscriptorum, bibliothecam bibliotecharum, bibliothecam anti-ianseniananam, dissertationes de scriptoribus ecclesiasticis, collectionem Conciliorum, aliaque. Iacobus Sirmondus, S. I., praeter opuscula contra Gothofredum, Salmasium, Richerium, Sancyranum, et alia [2], edidit Concilia Galliae [3]. Sfortia Pallavicini, Romanus, S. I. et R. E. cardinalis, dedit accuratam historiam Concilii Tridentini contra pseudo-historiam fratris Pauli Sarpi. Aubertus Miraeus, Bruxellensis, canonicus Antwerpiensis, collegit elogia illustrium Belgii scriptorum, bibliothecam ecclesiasticam aliaque chronologico-historico-diplomatica. Ferdinandus Vghelli, Florentinus, Ord. Cisterciensis, edidit Italiam sacram. Matthaeus Raderus, Iesuita Tirolensis, auctor est Bavariae sanctae et piae et Viridarii Ssrum. Antonius Sanderus canonicus Iprensis, inter alia reliquit Flandriam illustratam et chronographiam sacram Brabantiae. Abraham Ecchellensis, Maronita, syriacarum et arabicarum litterarum professor Parisiis, praeter alia dedit Concordiam nationum christianarum orientalium in fidei catholicae dogmatibus. Petrus Arcudius presbyter, Corcyrensis, Graecus, scripsit de concordia ecclesiae Orientalis et Occidentalis in septem Sacramentorum administratione, de Purgatorio igne et de processione Spiritus S. Leo Alatius, Chiensis, Graecus, Biblioth. Vaticanae custos, plura scripsit ad Graecorum doctrinam, disciplinam et antiquitates spectantia. Petrus de Marca, archiepisc. Tolosanus, designatus Parisiensis, inter alia plurima dedit Concordiam sacerdotii et imperii, in qua nonnulla a Sede Apostolica reprobata sunt. Ioannes Bona, Pedemontanus, Ord. Cisterciensis, Abbas Generalis in Italia, et R. E. cardinalis, perdocta edidit Opera, presertim sequentia: De Divina Psalmodia Rerum Liturgicarum; De Discretione spirituum; Horologium Asceticum; Epistolas, caeteraque opuscula ad mores informandos, vitiaque corrigenda utilissima. Bartholomaeus Gavantus, Mediolanensis, Barnabita, praeter tractatum de synodis dioecesanis et Manuale episcoporum, edidit commentarium in rubricas Missalis et Breviarii, a C. M. Merato saeculo sequenti auctum [1]. I. Goar, Parisiensis, Ord. Praed., inter alia reliquit commentarium in Euchologium seu Rituale Graecorum; L. Holstenius, Hamburgensis, composuit Codicem regularum monasticarum et canonicarum [2]. A. Manriquez, Hispanus, Ord. Cist. et episcopus Badaiocensis, edidit Annales Ordinis Cisterciensis. Lucas Wadinghus, Hibernus, Ord. Minorum, collegit Annales Ord. s. Francisci [3] et Bibliothecam scriptorum eiusdem Ordinis [4]. Philippus Alegambe, Bruxellensis et Nathaneel Sotuell, Anglus, Iesuitae, continuarunt Bibliothecam scriptorum S. I. incoeptam a Petro Ribadeneira [5]. Franciscus Combefis, Aquitanus, Ord Praed., auxit Bibliothecam Patrum Graecorum, editque Bibliothecam Patrum concionatoriam.

In Iurisprudentia ecclesiastica sibi nomen pepererunt: Augustinus Barbosa, Lusitanus, episcopus Vgentinus, multa scripsit ad ius canonicum spectantia, quorum quaedam in Indicem librorum prohibitorum relata sunt [6]. Prosper Fagnanus, Italus, claruit commentario in Decretales [7], Franciscus Zypaeus, archidiaconus Antwerpiensis, dedit analysim iuris pontificii, consultationes canonicas et notitiam iuris Belgici. Valerius Andreas, Brabantus, in Vniversitate Lovaniensi iuris interpres, edidit fastos huius Academiae, bibliothecam Belgicam et synopsim iuris canonici. Em. Gonzales Tellez, Hispanus, reliquit commentaria in singulos textus 5 librorum decretalium [8]. Andreas Vallensis,

1) Rom. 1646-77, 9 vol. in-fol.
2) Paris. 1696, 5 vol. in-fol.
3) Ibid. 1629, 3 vol. in-fol.

1) August. Taurin. 1736-49, 5 vol. in-4°.
2) August. Vindel. 1759, 6 vol. in-fol.
3) Rom. 1731, 17 vol. in-fol.
4) 1650 in fol. — 5) Rom. 1676, in-fol.
6) Lugdun. 1716, 16 vol. in-fol.
7) Rom. 1661, 3 vol. in-fol.
8) 1693, 4 vol in-fol.

Ardanensis, iuris canonici professor Lovanii, erudite scripsit in Decretales. Christophorus Iustellus, Parisiensis, praeter codicem canonum Ecclesiae universalis, publicavit una cum Guilielmo Voëllo Bibliothecam iuris canonici veteris [1].

Scriptoribus asceticis huius aetatis adnumerandi sunt, Ioannes Iacobus Olier, institutor Seminarii s. Sulpitii Parisiis; Armandus Ioannes le-Bouthillier de-Rancé, ante conversionem suam Iansenianis addictus; aliique plures.

13. *Scriptores Porturegienses*—Praeter commemoratos scriptores floruerunt hac aetate alii, eruditione haud vulgari praediti, sed iansenianis partibus addicti. Communiter appellantur scriptores Porturegienses. Ex his fuerunt Antonius Arnauld, Parisiensis, propter pertinaciam suam in defendenda doctrina ianseniana doctorum Sorbonicorum albo expunctus, ab an. 1679 usque ad 1694, quo mortuus est, in Belgio exul. Plurima scripta reliquit de re litteraria, in favorem doctrinae iansenianae, contra Calvinistas, contra patres Iesuitas; quaedam relata sunt in Indicem librorum prohibitorum; sed commendatur opus de perpetua fide Ecclesiae catholicae circa Eucharistiam [2]. Blasius Pascal, Arvernus, subtilis ingenii mathematicus, praeter commentationes (*Pensées*) de Religione christiana et alia, scripsit gallice litteras Provinciales, in quibus multa falsa Societati Iesu attribuit, ut eamdem risui et contemptui exponeret; quapropter ab Apostolica Sede iuste damnatae sunt. Petrus Nicole, Carnotensis, clericus hebraice, graece et latine doctus, cuius scripta partim sunt moralia, partim polemica contra Calvinistas, partim in favorem Iansenistarum. L. Is. le-Maître de-Sacy, Parisiensis, sacerdos, vulgavit versionem gallicam Bibliorum cum interpretatione sensus spiritualis et litteralis, quae caute legenda est. L. Seb. de-Tillemont, Parisiensis, presbyter, praeter historiam Romanorum imperatorum, gallice edidit commentarios ad ecclesiasticam 6 priorum saeculorum historiam.

14. *Reformatio Trappensium* — Iansenistarum partibus etiam aliquandiu favit, sed deinde ab iisdem discessit Ioannes Bouthillier de-Rancé, ut supra diximus. Is a status sui sanctitate, erat enim sacerdos, ad saecularia oblectamenta et Iansenistarum factionem delapsus, sed an. 1663 inde ad saniorem mentem et vivendi rationem revocatus, monasticum habitum Ordinis Cisterciensis suscepit. Anno sequenti coenobii, dicti *la Trappe*, abbas factus, monachos suos ad primaevam regulae, a s. Benedicto compositae et a D. Bernardo restitutae, austeritatem revocavit. Inter rigidissima instituta, ad quae monachos suos permovit, erat separatio ab omni caeterorum hominum consortio, perpetuum silentium, victus vilissimus, in solis oleribus et fructibus consistens, preces diu noctuque in choro recitandae, durus manuum labor, cubile durissimum, perpetua poenitentiae ac mortis memoria. De Rancé in continuis poenitentiae exercitiis reliquam vitam egit usque ad an. 1700, quo placidissime obiit. Reliquit plura scripta ad confovendam pietatem et disciplinam perutilia. Concertavit etiam cum I. Mabillonio de studiis monasticis [1].

15. *S. Vincentius de Paulo*—De instituta a s. Vincentio de Paulo Congregatione Missionis supra diximus [2]. Idem praeterea instituit Congregationem Puellarum Charitatis, quae ministrarent pauperibus infirmis. Alia creavit sodalitia ad sequioris sexus educationem, ad colligendos infantes expositos, aliasque hominum inopias et calamitates sublevandas. Post mortem Ludovici XIII ab Anna Austriaca Ludovici XIV matre, in sanctius concilium accitus, pro viribus adlaboravit, ut leges ecclesiasticae et civiles observarentur, Apostolicae Sedis sententiis debita obedientia ab omnibus praestaretur, ecclesiis et monasteriis digniores praeficerentur. Demum laboribus et senio attritus, an. 1660 aeternam mercedem consecutus est: a Benedicto XIII inter Beatos, et a Clemente XII inter Sanctos relatus est [3].

16. *Religionis status in Sinis*—Iam antea notatum fuit, quanto incremento Religio christiana primo a Iesuitis, deinde etiam a Dominicanis aliisque missionariis in vastissimo Sinarum imperio fuerit propagata [4]. Res bene processit usque ad an. 1661, quo mortuus est imperator Cun-tschi. Huic in imperio successit Cang-hi filius; cuius tutores gravem

---

[1]) Paris. 1661, 2 vol. in-fol.

[2]) *La perpétuité de la foi de l'Église catholique touchant l'Eucharistie*, Paris 1670, 3 vol. in-4°. Opus postea 2 tomis auctum a Renaudotio.

[1]) Marsollier, *Vie de dom Rancé, abbé et réformateur de la Trappe*; Helyot, *Hist. des Ordr. relig.*

[2]) Vid. p. 185.

[3]) Collet et Abelly, *Vie de s. Vincent de Paul;* Helyot, *Op. cit.* t. VIII.

[4]) Vid. p. 190.

persecutionem contra christianos excitarunt. Etenim eruditus quidam Sinensis illis persuaserat, Christianos esse proditores et in seditionem pronos. Illi primo aliquot mandarinos christianos et omnes missionarios ipsumque patrem Schall, summo honore ab imperatore Cun-tschi habitum, vinculis onerari, deinde in Canton relegari iusserunt. An. 1665 decreverunt, Religionem christianam esse erroneam et noxiam, eiusque doctores morte afficiendos. An. 1669 rerum status mutatus est, quum iuvenis Cang-hi ipse regimen suscepisset. Huic Iesuitae libellum supplicem obtulerunt, quo Christianorum religionem et disciplinam ab adversariorum calumniis vindicarunt, postularuntque, ut missionariis, in Canton relegatis, libertas redderetur. Imperator eorum libellum pro more misit ad supremum rituum tribunal, cuius iudices in proposito suo perstantes, responderunt, Religionem christianam esse pravam et in imperio tolerari non posse. Verumtamen in comitiis imperii decretum est, Religionis christianae professionem neque pravam esse, neque ad defectiones aut perturbationes publicas vergere; iis, qui illam sequebantur, secundum priscum morem esse liberum eam profiteri, sic tamen, ut nec coetus novos instituerent, nec ulterius suam Religionem propagarent; missionarios, in Canton relegatos, ad ecclesias suas redire posse; mandarinis christianis adempta munera esse restituenda. Cang-hi ad patris sui exemplum Iesuitas magni fecit, Ferdinandum Verbiest, Belgam, in locum A. Schall iam mortui, praesidem tribunalis mathematici constituit; et quamvis supra commemorata lege esset prohibitum, ne Sinenses ad christianam Religionem transirent; ista tamen lex tam parum observabatur, ut eodem an. 1671, quo data fuit, ultra 20,000 Sinenses et anno sequenti etiam princeps quidam, imperatoris consanguineus, et unus e supremis belliducibus Christo nomen dederint.

Post paucos annos, qui regis vices tenebat in provincia Che-kiang novam persecutionem excitavit; p. Intorcettam aliosque Iesuitas e sua ecclesia, domo et ipsa provincia exturbari iussit, atque Religionem christianam, ceu plenam erroribus, vetitam esse declaravit. Verum Thoma Pereira, qui F. Verbiest in praesidio tribunalis mathematici successerat, aliisque Iesuitis, qui Pekini agebant, supplicantibus, an. 1692 imperator et supremum rituum collegium seu tribunal, commemoratam prohibitionem revocarunt, mandaruntque, ut in omnibus provinciis templa christianorum, quum nihil omnino mali operarentur, conservarentur, et cunctis permitteretur Religionem christianam profiteri et templa adire. Praeterea omnibus provinciarum praefectis mandatum est, ut isti decreto morem gererent, illud caeteris *mandarinis* patefacerent, curarentque, ut ab omnibus confestim accurate servaretur, et si quid a quoquam secus fieret, ad aulam referrent. Ex quo tempore Religio christiana grandia cepit incrementa, novis missionariis praesertim Iesuitis ex Europa in Sinas transeuntibus[1].

17. *Lis de ritibus Sinensibus* — Interea non modicae lites inter missionarios ortae sunt de quibusdam ritibus Sinensium. Hi nempe in propriis aedium suarum cubiculis tabulas in honorem maiorum suorum defunctorum appensas habebant cum hac inscriptione: *Sedes animae huius* aut *illius defuncti*. Coram his tabulis stato tempore prosternebantur, luminaria accendebant, thus concremabant, in mensis appositis flores, fructus, panificia, aliaque offerebant, imo animalia mactabant. Eosdem honores litterati Confucio exhibere solebant. Praeterea Sinenses ante cadavera consanguineorum se prosternere, luminaria et thus accendere et alia iam memorata offerre consueverant. Cum Sinenses his essent ritibus addictissimi, et alienari possent a suscipienda christiana Religione, iis prohibitis; visum est Iesuitis eos tolerare, tamquam mere politicos atque civiles. In hanc iverunt Iesuitae sententiam his freti momentis: quia hos ritus observabant Mahometani in Sinis commorantes; quia ibi in usu fuerant, antequam introduceretur idololatria; demum quia Sinensibus animus numquam fuerit colendi Confucium et defunctos tamquam deos aut sanctos. At Morales, dominicanus Hispanus, aliique religiosi missionarii, qui inde ab an. 1630 propagandi Evangelii causa in Sinas venerunt, illos ritus iudicarunt religiosos, ideoque, utpote superstitionem ethnicam sapientes, a christianis esse omittendos.

P. Morales in Europam reversus, an. 1643 contra ritus sinenses libellum obtulit s. Congregationi de Propaganda Fide, in quo illos ut superstitiosos et idololatricos exposuit. Postquam accusationis libellus et capita in ea tractata, fuissent discussa, sacra Congregatio ritus sinenses superstitione inquinatos censuit, et Sinensibus christianis interdixit an-

---

[1]) P. du Halde, aliique p. 191 in nota indicati.

no 1645; quod interdictum Innocentius Pp. X eodem anno confirmavit « donec sibi et Apostolicae Sedi aliter visum non esset ». Ex his postremis verbis conspicitur, Congregationem et Pontificem ritus sinenses interdixisse, prout illos exposuerat p. Morales. Hic anno 1649 in Sinas redux, s. Congregationis responsa, in sinicam linguam versa, vulgavit.

Iesuitae existimantes, ritus istos longe aliter quam re ipsa essent, fuisse Pontifici expositos, an. 1651 Romam legarunt p. Martini, qui post annos fere 4 eo pervenit, et s. Congregationi librum obtulit, in quo partim e classicis Sinensium libris, partim ex eorum, qui ab an. 1581 missione sacra in Sinis perfuncti fuerant aliorumque testimoniis ea quae fuerant a p. Morales exposita, ita confutavit, et res controversas sic exposuit, ut post multas disceptationes an. 1656 Alexander Pp. VII e s. Congregationis et Cardinalium iudicio declararit, Christianis permitti posse caeremonias, quae fiebant in aula Confucii, quum ex allatis videretur cultus esse mere civilis et politicus; item secundum proposita tolerari posse, ut Sinenses conversi adhiberent caeremonias suas erga suos defunctos, etiam cum gentilibus, sublatis tamen superstitiosis; etiam assisterent tantum cum gentilibus, quando hi agunt superstitiosa, praesertim facta fidei protestatione et cessante periculo perversionis, et deficientibus viis ceteris, quibus odia et inimicitiae vitari possint.

Cum an. 1669 a s. Inquisitionis Officio postulassent Dominicani, cuinam decreto pontificio obediendum, Innocentii X, an Alexandri VII, responsum est, utrumque decretum secundum quaesita, circumstantias et omnia, in dubiis exposita, esse servandum, adeoque vitandos ritus superstitiosos, permittendos civiles et politicos. Ex hoc tempore controversia sopita fuit usque ad an. 1693. Missionarii christianis ritus istos haud absolute prohibebant, sed prudenter et cum magna tolerantia istos ab his abducere studebant [1].

18. *Religionis propagatio in Indiis posterioribus*—Hoc ipso saeculo in nonnulla Indiae posterioris regna Evangelium missionariorum studio illatum est. Iam anno 1626 Iesuitae venerunt in Tongkinum. Inter eos erat Alexander de Rhodes, qui pro auctore Ecclesiae Tongkinensis habetur. Is eiusque socii et qui post hos in Tongkinum venerunt, tam prosperum laborum suorum habuerunt successum, ut an. 1639 iam plus quam 80,000 christiani in isto regno numerarentur. Saepius quidem persecutiones aut vexationes contra eos excitabantur; imo anno 1666 sub gravi poena Religionem christianam amplecti Tongkinensibus interdictum est. His non obstantibus ea ulteriores continuo progressus fecit; ita ut posterioribus huius saeculi annis maior pars regni sacris christianis esset addicta.

In Cochinchinam pariter post dimidium huius saeculi Religio christiana auctoribus Iesuitis introducta, brevique tempore a multis incolis suscepta est.

In regnum Siamense missionarii Dominicani iam saeculo elapso fidem christianam introducere conati sunt; sed resistentibus Mahomethanis, quorum ibi magnus erat numerus, parvum habuerunt successum. Posteriori vero huius saeculi tempore Religio christiana in hoc regno maiora cepit incrementa.

Quum in his regionibus persecutiones christianorum essent frequentes, iisque durantibus missionarii europaei expelli solerent, A. de Rhodes, Iesuita, postquam annis multis in Sinis, Tongkino et Cochinchina Evangelium praedicasset, Romam redux, Innocentio Pp. X edixit necessitatem mittendi in has orientales plagas episcopos, qui clerum in singulis nationibus ex indigenis formarent. Pium consilium probavit Innocentius, et executioni edidit Alexander VII, eius successor, qui tres vicarios apostolicos, natione Gallos, in commemoratas terras destinavit, nimirum Franciscum Pallu, episcopum Heliopolis et vicarium apostolicum Tongkini et 5 viciniorum provinciarum Sinensium; Petrum de-la-Mothe Lambert, episcopum Berytensem et vicarium apostolicum Cochinchinae, regni de Laos et 5 provinciarum Sinensium; Ignatium Cotolendy, episcopum Metellopolis et vicarium apostolicum Nankini et caeterarum provinciarum Sinensium. Postremus in itinere obiit. Duo priores e Pontificis consensu resederunt in regno Siamensi, ubi non procul ab urbe metropoli Siamo basilicam, seminarium et collegium pro iuvenibus Siami, Tongkini, Cochinchinae, Sinarum, aliarumque regionum extruxerunt, ut ita missionarii indigenae pro singulis nationibus formarentur [1].

---

[1]) P. du Halde, *Description de la Chine et de la Tartarie chinoise*; *Lettres édifiantes*; G. Pray, *Historia controversiarum de ritibus Sinicis*, Pestini 1789, in-8°.

[1]) P. D. Rhodes, *Relazione de' progressi del Vangelo nel Tonchino*; C. Borri, *Relazione della mis-*

Ad has aliasque missiones promovendas efficacia auxilia tulit Congregatio de Propaganda Fide, Romae instituta, item Congregatio sacerdotum pro missionibus exteris, an. 1663 Parisiis regia auctoritate fundata cum seminario sub episcoporum, et theologorum quorumdam auspiciis, in quo ex omnibus fere Ordinibus religiosis futuri Fidei inter ethnicos praecones instituebantur, magnoque numero hoc et sequenti saeculo inde prodierunt.

19. *Clemens IX, Pontifex* (*an.* 1667) — Interim Alexandro Pp. VII, xi° calendas iunias 1667 defuncto, xii° calendas iulii in Petri cathedram evectus est Clemens IX, Pistoriensis, cardinalis, antea appellatus Iulius Rospigliosi. Is pietate, liberalitate erga pauperes, aliisque virtutibus claruit.—Inter Sanctos adscivit Petrum de Alcantara ex familia s. Francisci, et Mariam Magdalenam de Pazzis Florentinam Ordinis Carmelitarum.—Quid egerit in causa Iansenistarum, iam diximus [1]. Venetis, bello Cretensi attritis, et milite et pecunia praesto fuit. Turcis totam pene insulam Cretam seu Candiam invadentibus, principes christianos hortatus est, ut, concordia inter se inita, arma coniungerent contra communem hostem et periclitanti Candiae suppetias ferrent. Vbi autem Clemens audivit, insulam a Turcis captam, iam aegritudine decumbens, dolori succubuit V idus decembris 1669.

20. *Clemens X, Pontifex* (*an.* 1670)—Post obitum Clementis IX comitiis in quintum mensem protractis, III calendas maii 1670 pontifex electus est cardinalis Æmilius Alterius, Romanus, qui non nisi aegerrime propter provectam aetatem assensit. Is nomen assumpsit Clementis X; curam intendit ad stabiliendam disciplinam ecclesiasticam et absolvendam inchoatam a decessore suo basilicae Liberianae seu s. Mariae Maioris instaurationem; martyribus, dictis Gorcomiensibus ab loco necis illatae, sacros honores decrevit.—Ipsi superiori saeculo apud Belgas mortem obierant, vario suppliciorum genere affecti, quod confirmarent Primatum Romani Pontificis, et assererent verum Christi corpus in Eucharistia contineri. —Rosam Virginem Limanam, Ludovicum Bertrandum, Caietanum Thienaeum, Philippum Benitium, et Franciscum Borgiam inter Sanctos retulit; Lusitano regi, ut ad imitationem aliorum regum oratorem in Vrbe haberet, indulsit; dissidia, inter principum oratores orta, composuit; Moscoviae duci nomen caesaris, quod per legatos Romam missos petierat, conferre recusavit; Polonos hortatus est, ut, depositis mutuis odiis, vires suas contra Turcarum impetus coniungerent, iisque una cum imperatore auxilia misit; an. 1675 sollemni cum pompa magnaque populorum ex omnibus regionibus in Vrbem concurrentium pietate Iubilaeum decimum quartum celebravit; anno sequenti XI calendas sextilis decessit.

21. *Religionis status in Anglia* — Dictum est, quis fuerit religionis, et reipublicae status in Anglia, Scotia et Hibernia sub saevo Cromwel. Eo anno 1658 extincto, Richardus, filius eius, protector populi acclamatus est. Iterum an. 1660 Carolus II, Caroli I filius, in Angliam revocatus et in paternum solium evectus est, regnavitque usque ad an. 1685. Is religiosam libertatem omnibus subditis decrevit, edictumque in favorem Nonconformistarum promulgavit. Verumtamen in senatu et magistratu praevaluerunt Anglicani seu Episcopales, qui legibus, inde ab Elisabetha latis, insistentes, magnum Nonconformistarum numerum carcere aliisque poenis mulctarunt. Vnde lites et turbae, non numquam seditiones inter Presbyterianos et Episcopales recruduerunt. Rex Carolus II catholicis favit, quinimo in eorum communione obiisse dicitur; at, non obstante eius benevolentia, illi haereticorum odium et invidiam subierunt, pluresque, inter quos Olivierus Plunquet, archiepiscopus Armachanus in Hibernia, aut vi legum, antea contra catholicos latarum, aut propter conficta crimina, suppliciis affecti sunt.

Anno 1685 Carolo II in Angliae, Scotiae et Hiberniae regno successit Iacobus II, frater eius. Hic ab adolescentia sua catholicam fidem professus fuerat, et in solium evectus nihil antiquius habuit, quam ut subditis suis catholicis meliorem sortem pararet. Nam, non obstantibus persecutionibus, quas catholici multis retro annis perpessi fuerant, ii tamen magno erant numero in Anglia. In ipsa Scotia multi in avita religione perseverarant. Hiberni maxima parte in catholica fide constanter permanserant. Iacobus II liberum Religionis catholicae exercitium restituit; eamdem religiosam libertatem Nonconformistis ac Conformistis indulsit; nemini religionis causa vim aut molestiam intulit; leges, qui-

---

sione nel regno della Concincina; Rélation des missions des évêques français aux royaumes de Siam, de la Cochinchine, de Camboy et de Tonquin; Cerry, *État présent de l'Eglise romaine dans toutes les parties du monde*.—[1]) Vid. p. 205

bus catholici a muneribus publicis arcebantur, abolevit; cum Innocentio Pp. XI, seu eius nuntio, de formando ecclesiarum in Anglia statu contulit. Pontifex Angliam in quatuor *districtus* divisit, et unicuique episcopum, vicarii apostolici potestate instructum, praefecit. Ita aurora felicior catholicis illuxit.

Verum haeretici, Conformistae et Nonconformistae, Iacobi II erga catholicos studium aegerrime tulerunt, suamque religionem sub principe catholico deperdi conclamantes, populum in regem concitarunt. Rebellionis initia quidem repressit rex, sed an. 1688, quum inopinato filius regi natus esset, rebellionem instaurarunt, et Guilielmum principem Arausicanum, Bataviae seu foederati Belgii gubernatorem, Iacobi II generum, evocarunt. Hic, regnandi cupiditate non minus quam religionis novae studio incitatus, eodem adhuc anno cum classe, copiis instructa, in Angliam appulit. Cum plerique ad eum convolarent, Iacobo, ab omnibus deserto, facile praevaluit, eumque in captivitatem redegit. Iacobus e captivitate elapsus, cum regina coniuge filioque suo principe Walliae in Gallia exulavit, ubi Ludovici XIV benevolentia usus est usque ad annum 1701, quo decessit.

Princeps Arausicanus Angliae, Scotiae et Hiberniae rex acclamatus fuit dictusque Guilielmus III. Is an. 1689 Ordinibus auctor extitit, ut omnibus Nonconformistis, exceptis Catholicis et Socinianis, edictum tolerantiae concederent, quo liberum religionis exercitium indultum, omnesque leges, inde ab Elisabethae temporibus contra eos latae, abrogatae sunt, excepta ea, quae Testatio dicitur: vi cuius nemo ad munus publicum admittebatur, nisi qui ecclesiasticam regis auctoritatem iureiurando esset contestatus et Eucharistiam apud Episcopales percepisset; qua lege proinde non solum Catholici, sed etiam Nonconformistae a muneribus publicis arcebantur. Vniversim Guilielmus rex, quamvis in secta Presbyterianorum institutus et moratus, constitutionem episcopalem tuitus est; tamen impedire non potuit, quominus ea in Scotia an. 1690 a regni Ordinibus abrogaretur. Dura fuit catholicorum conditio, praesertim in Hibernia. Hiberni sicut et in vera fide ita legitimi regis obedientia constantes, arma pro Iacobo II capessiverant. Guilielmus cum exercitu in Hiberniam profectus, eos ad internecionem persecutus est. Quo facto plura Hibernorum millia e patria pulsa sunt, reliquis omnes fundi, quos adhuc habebant, adempti, et durissimae leges contra eos latae, quibus non tantum ab omni munere publico et loco inter ordines exclusi, sed etiam plerisque iuribus civilibus privati sunt [1].

22. *Ecclesiae status in Gallia sub Ludovico XIV* — In Gallia an. 1643 regnare coepit Ludovicus XIV sub tutela Annae Austriacae, matris suae; tutela cessata, solus imperavit usque ad an. 1715. Is plura et fere continua cum Hispanis, Germanis, et Batavis bella gessit; prospero marte usus, praeclaras victorias retulit, regnique sui limites praesertim in Belgium et Germaniam protulit. Religioni catholicae fuit addictissimus, sed mores aliquandiu sectatus est christiano principe indignos. Plura in favorem Ecclesiae edixit. Missionibus, Constantinopoli et Syria institutis, praeclaram opem tulit, et christianos illic atque missionarios protexit. RR. Pontificum constitutiones contra rebelles Iansenistas servari iussit. Sopitis post an. 1669 iansenianis litibus, reducendi Hugonotos in Ecclesiae sinum, omnesque subditos suos in unius Religionis catholicae professione coniungendi studium suscepit, praesertim cum eo tempore insignis bellidux de Turenne pluresque praedicatores ad catholica sacra transiissent. Id ut sine violentia efficeret, plura edicta dedit ad removenda conversionis eorum obstacula et ad eamdem promovendam; missionibus sacris, quae ad convertendos sectarios per provincias instituebantur, insigniter favit, effecitque, ut plura millia ad catholica sacra transirent. Quum vero ii, qui in haeresi erant obstinati, praesertim ministri, audacius catholicis obloquerentur, libellosque, calumniis contra Religionem catholicam refertos vulgarent, in nonnullis locis arma pro religionis suae defensione capesserent; rex ut omnes vires haereseos, qua tot ante annis Gallia fuerat perturbata, evelleret, anno 1685 celebre edictum Nannetense, ab Henrico IV in favorem Hugonotorum concessum [2], revocavit, sacros Hugonotorum conventus, privatos et publicos, interdixit, eorum templa vel destrui vel catholico cultui reddi mandavit, omnes praedicatores seu ministros, qui haeresim abiurare nollent, intra 15 dies regno exire iussit, aliis vero, ne ministros suos secuti, in errore perseverarent, e regno emigrare prohibuit. Quo facto obstinatiores in Helvetiam, Germaniam, Bataviam aut Angliam confugerunt, alii ad

---

[1]) P. d'Orleans, *Histoire des révolutions d'Angleterre*; D'Avigny, *Mèmoires* etc.
[2]) Vid. p. 177.

catholicae Religionis sinum redierunt, et Gallia a turbis Hugonotorum, ad rebellionem proclivium, quievit [1].

Verum idem rex magnae fuit molestiae RR. Pontificibus; eadem potestate absoluta, qua in civilibus, etiam in ecclesiasticis rebus imperare voluit, et dissidiis turbisque magnis inter Romanam curiam et regnum Gallicanum causam dedit. Priusquam vero haec dissidia eorumque effectus referamus, quaedam de libertatibus sic dictis ecclesiae Gallicanae praemittenda censemus.

23. *Libertates Ecclesiae Gallicanae* — Iurisconsulti Galli tam varie tamque indefinite de libertatibus, quae dicuntur ecclesiae Gallicanae, loquuntur, ut earum neque originem neque conditiones aut modum facile quis assequatur. Sunt qui harum libertatum fundamentum ponunt in sanctione pragmatica s. Ludovici; sed eruditi hanc sanctionem censent esse supposititiam [2]. Alii eas firmatas dixerunt per sanctionem pragmaticam, an. 1438 a Carolo VII e decretis Basileensibus confectam [3]; at haec sanctio an. 1516 per concordatum inter Leonem Pp. X et Franciscum regem I abolita est, « et praesules, ait Spondanus (ipse Gallus), hac pragmatica in libertatem se asserere arbitrantes, in servitutem saecularium iudicum redacti sunt [4] ». Alii has libertates ipsi Ecclesiae coaevas esse volunt. Fleury easdem his duobus principiis superstruxit: 1°, quod potestas, a Christo Ecclesiae concessa, sit mere spiritualis, nec ullo modo, directo aut indirecto, ad res huius saeculi sit trahenda; 2°, quod plenitudo potestatis, quae est penes R. Pontificem, tamquam Ecclesiae caput, ex praescripto canonum, ab universa Ecclesia receptorum, sit exercenda, ipseque Pontifex iudicio concilii generalis secundum Constantiensia decreta sit subiectus. Ex his principiis quot conclusiones elicueris, inquit, tot libertatis nostrae monumenta habebis [5]. Idem scriptor e praedictis principiis inter alias deducit conclusiones seu libertates, quae sequuntur: Regem ita habere potestatem suam a Deo, ut nulli alii iudici sit obnoxius, et nemo de regni administratione iure postulare possit, ut rationem reddat; Pontificem non posse in Galliam ablegare nuntium, nisi rogatus a rege vel ex eius consensu, neque eleemosynas a populo aut censum a clero exigere, nisi permittente rege et assentiente clero, nullique extraneo munus aliquod ecclesiasticum aut beneficium in Gallia conferre; Pontificis potestatem esse circumscriptam conciliorum canonibus, in Gallia acceptatis; bullas pontificias non esse publicandas aut executioni mandandas, nisi regis mandato et senatus approbatione; neque Pontificem, neque eius legatum causas ecclesiasticas in primo iurisdictionis gradu iudicare posse, et si ad eum fuerit provocatum, debere constituere iudices indigenas; nullum episcopum, etiam a Pontifice evocatum, sine regis venia regno exire posse; clerum non posse sine regis consensu conventus agere [1]. Hoc opus decreto Sedis Apostolicae, dato XI calendas maias 1693, proscriptum est.

Dudum antehac nonnulli iurisconsulti Galli libertates istas ita explicarunt et extenderunt, ut potius servitutes quam libertates ecclesiae Gallicanae essent appellandae. Illae quippe prout a Pithaeo (Pithou) an. 1595 in libro *De iuribus et libertatibus ecclesiae Gallicanae* [2], et post paucos annos a p. Puteano (Dupuy), in libro *De probationibus libertatum ecclesiae Gallicanae* [3], fuerunt expositae, Sedem Apostolicam legitimis iuribus suis exuunt, ecclesiam Gallicanam de ea detrahunt, et in servilem potestatis temporalis subiectionem redigunt. Vtriusque auctoris libri, in unum grande opus redacti [4], non tantum Apostolicae Sedis decreto damnati, sed a 19 episcopis Gallis, an. 1639 congregatis, et ab ipsius aulae sanctiori concilio proscripti fuerunt. « Nusquam (inquiunt laudati episcopi in censura sua dicti operis) fidei christianae, Ecclesiae catholicae, ecclesiasticae disciplinae, regis ac regni saluti nocentioribus dogmatibus quisquam adversatus est quam iis, quae istis voluminibus sub tam leni titulo recluduntur.... Compilator ille multis pessimis bona quaedam immiscuit, et inter falsas et haereticas, quas detestamur, ecclesiae Gallicanae adscriptas servitutes potius quam libertates,

---

1) P. Soullier, *Abrégé des édits de Louis XIV contre ceux de la religion prétendue réformée*; item, *Mèmoire du Dauphin duc de Bourgogne*, in eius *Vita*, t. II, p. 98.
2) Vid. p. 65.
3) Vid. p. 111.
4) *Annal. eccl.* ad an. 1438.
5) *Institution de droit ecclésiastique*, part III, c. 25.

---

1) *Op. cit.* ibid.
2) *Traitès des droits et libertès de l' Église Gallicane.*
3) *Preuves des libertès de l' Église Gallicane.*
4) *Traitè sur les libertès* etc. Paris 1731, 1 vol. in-fol.

vera quaedam... exponit [1] ». Hoc tamen opere ab Apostolica Sede, ab ecclesia Gallicana et a sanctiori concilio regis proscripto, tanquam fonte usi sunt L. E. du Pin, aliique deinceps libertatum Gallicanarum patroni, quos parlamentarios vocant, et recentissime Dupin, causarum regiarum actor [2], ad procudendos suos de ecclesiastica potestate, disciplina, et libertate libellos.

24. *Lites Ludovici XIV cum RR. Pontificibus* — Interim aula Gallicana sic dictis libertatibus ecclesiae Gallicanae tunc insistebat, quando cum Sede Pontificia collidebatur. Id speciatim factum est, cum Innocentius Pp. XI regaliae, a Ludovico XIV temere extensae, se opponeret. Hic rex, ut iam diximus, dissidia magna cum RR. Pontificibus habuit. In primis eius Legatus apud Alexandrum Pp. VII se erga Pontificis cognatos insolenter gerebat; militesque Galli et horum duces, qui cum legato erant, praetorianos seu pontificios milites, natione Corsos, diversis modis vexabant et impetebant, tandemque an. 1662 unum eorum occiderunt. Corsi inde irati, ante palatium legati concurrunt, Gallos adoriuntur, horumque plures in pugna vitam amittunt. Legatus illico Romam deseruit. Rex non tantum nuntium pontificium per milites Gallia eduxit, sed etiam gravissimam a Pontifice satisfactionem postulavit, Avenionem militari manu occupavit, et adversus Romam ipsam copias misit. Alexander VII, qui potiori quam Ludovicus XIV iure satisfactionem exigere poterat, resistendo impar, inflexibilis regis voluntati satisfacere coactus fuit. Quo facto, is Avenionem Pontifici restituit.

Idem rex pari imperio se gessit in Innocentium XI, optimum Pontificem, qui anno 1676 Clementi X successit. Etenim reges Galliae, tolerantibus RR. Pontificibus, consueverant percipere fructus episcopatus vacantis et conferre illo tempore omnia eiusdem episcopatus beneficia non curata; quod vocabant ius regaliae. Ludovicus XIV regaliam, certis limitibus conscriptam, ad omnes totius ditionis suae dioeceses extendere voluit. Initio episcopi, quorum ecclesiae hactenus ab ea fuerant liberae, regiis edictis restiterunt; deinde regis et curiae iussionibus minisque cesserunt, exceptis Alectensi et Apamiensi, qui Innocentium Pp. XI appellarunt. Pontifex horum appellationem suscepit, eosque ad defendendam ecclesiarum suarum libertatem hortatus est; regem vero monuit, ut ab extendenda regalia abstineret. Inde dissidium inter Innocentium XI et Ludovicum XIV. Pontifex, datis pluribus ad regem litteris, ei ostendit, maiores eius tolerabili magis quam legitima ratione regaliam exercuisse, et proinde nullum ei esse ius eamdem extendendi. Regi etiam ob oculos posuit, noxios regaliae effectus. Reipsa nemo non videt, quanta detrimenta princeps malevolus specioso regaliae titulo Ecclesiae inferre posset. Verum Ludovicus XIV, qui nullam, etiam maxime iustam, contradictionem ferebat, Pontificis consilia et monita sprevit. Et quod dolendum est, non tantum suprema curia, sed multi etiam antistites Galli cum rege contra Pontificem consenserunt. Anno 1681 praesules 34, secundum alios 40, a rege Parisios convocati, litteras seu brevia Pontificis ad regem improbarunt; ius regaliae non tantum ab Alexandro III, Innocentio III aliisque deinceps Pontificibus et conciliis approbatum, sed regi Francorum innatum, et nulli ecclesiastico tribunali, disciplinae aut politiae obnoxium esse, contenderunt; iis etiam ecclesiis, quae antea ab onere regaliae fuerant liberae, pro bono pacis voluntati regis esse cedendum, dixerunt. Praeterea regi suaserunt nationalis synodi vel generalium comitiorum convocationem, quae Romanam curiam ad satisfaciendum regis et ecclesiae Gallicanae querelis cogeret. Quanta praesulum ad supremam principis voluntatem subiectio! Meminisse debuissent, in praesenti dissidio potius de ecclesiarum suarum libertate, quam de regis iuribus agi.

Rex secundum eorum consilium generalia cleri comitia Parisiis indixit. Ea coepta sunt V idus novembris 1681 et per plures menses anni sequentis protracta. Orationem ad congregatos praelatos habuit ill. Bossuet, episcopus Meldensis, in qua multa dixit de obedientia Apostolicae Sedi debita, de Ecclesiae unitate, de meritis regum Francorum in protegenda Ecclesia, de libertatibus, quas vocabant, ecclesiae Gallicanae. Multum disceptatum est de utraque, Pontificis et regis, potestate, deque ecclesiae Gallicanae libertatibus. Demum VII idus martii 1682 secundum duo principia, quae, ut supra diximus, Fleury libertatum Gallicanarum cardines vocat, ediderunt celebrem Declarationem, qua R. Ponti-

1) *Proces-verbaux du clergè*, t. III, Documenta, n. 1.
2) *Manuel du droit public ecclésiastique français*, Paris 1845.

ficis potestatem restrinxerunt, et specioso libertatum nomine ecclesiam Gallicanam in maiorem regis et curiae (*Parlément*) subiectionem coniecerunt. Declarationem hic propriis suis verbis referendam duxi:

« Ecclesiae Gallicanae decreta et libertates, a maioribus nostris tanto studio propugnatas, earumque fundamenta, sacris canonibus et Patrum traditioni nixa, multi diruere moliuntur; nec desunt, qui earum obtentu primatum beati Petri eiusque successorum, Romanorum Pontificum, a Christo institutum, eisque debitam ab omnibus Christianis obedientiam, Sedisque Apostolicae, in qua fides praedicatur et unitas servatur Ecclesiae, reverendam omnibus gentibus maiestatem imminuere non vereantur. Haeretici quoque nihil praetermittunt, quo eam potestatem, qua pax Ecclesiae continetur, invidiosam et gravem regibus et populis ostentent, iisque fraudibus simplices animas ab Ecclesiae matris Christique adeo communione dissocient. Quae ut incommoda propulsemus, Nos archiepiscopi et episcopi, Parisiis mandato regio congregati, ecclesiam Gallicanam repraesentantes, una cum caeteris viris nobiscum deputatis, diligenti tractatu habito, haec sancienda et declaranda esse duximus :

« I. Beato Petro eiusque successoribus Christi vicariis ipsique Ecclesiae rerum spiritualium et ad aeternam salutem pertinentium, non autem civilium ac temporalium, a Deo traditam potestatem, dicente Domino: *Regnum meum non est de hoc mundo*, et iterum: *Reddite ergo quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo*, ac proinde stare apostolicum illud: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit ; non est enim potestas nisi a Deo; quae autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Reges ergo et principes in temporalibus nulli ecclesiasticae potestati Dei ordinatione subiici, neque auctoritate clavium Ecclesiae directe vel indirecte deponi, aut illorum subditos eximi a fide atque obedientia ac praestito fidelitatis sacramento solvi posse: eamque sententiam publicae tranquillitati necessariam, nec minus Ecclesiae quam imperio utilem, ut verbo Dei, Patrum traditioni et Ssrum exemplis consonam omnino retinendam. — II. Sic autem inesse Apostolicae Sedi ac Petri successoribus Christi vicariis rerum spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant atque immota consistant sanctae oecumenicae synodi Constantiensis, a Sede Apostolica comprobata, ipsoque RR. Pontificum ac totius Ecclesiae usu confirmata, atque ab ecclesia Gallicana perpetua religione custodita, decreta de auctoritate conciliorum generalium, quae sess. IV et V continentur; nec probari a Gallicana ecclesia qui eorum decretorum, quasi dubiae sint auctoritatis ac minus approbata, robur infringant, aut ad solum schismatis tempus concilii dicta detorqueant. — III. Hinc apostolicae potestatis usum moderandum per canones, Spiritu Dei conditos et totius mundi reverentia receptos; valere etiam regulas, mores et instituta, a regno et ecclesia Gallicana recepta, Patrumque terminos manere inconcussos; atque pertinere ad amplitudinem Apostolicae Sedis, ut statuta et consuetudines, tantae Sedis et ecclesiarum consensione firmatae, propriam stabilitatem obtineant. — IV. In Fidei quoque quaestionibus praecipuas summi Pontificis esse partes, eiusque decreta ad omnes et singulas ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse iudicium nisi Ecclesiae consensus accesserit.

« Quae accepta a Patribus ad omnes ecclesias Gallicanas atque episcopos, iis Spiritu S. auctore praesidentes, mittenda decrevimus, ut idipsum dicamus omnes, simusque in eodem sensu et in eadem sententia ». — Subscripserunt 34 episcopi et 35 deputati.

Quum Innocentius Pp. hanc Declarationem cognovisset, per litteras in forma Brevis, datas postridie calendas aprilis eodem anno 1682, omnia, quae in istis comitiis acta fuerant, rescidit, improbavit, delevit et perpetuo irrita ac inania declaravit. Verumtamen Ludovicus XIV mandatum dedit, ut praedicta declaratio eiusque articuli ab omnibus curiis, balliviis et universitatibus susciperentur; omnes scientiarum ecclesiasticarum professores iisdem subscriberent, et 4 istos articulos seu propositiones docerent; nullus ad licentiatus aut doctoratus gradum admitteretur, nisi prius camdem doctrinam in thesibus defendisset: omnes episcopi in suis dioecesibus hanc ipsam doctrinam tradendam curarent; nullusque, sive saecularis sive regularis Ordinis, quicquam ei contrarium verbo aut scripto assereret. Quorum omnium executionem syndicis et decanis facultatem districte imperavit[1].

---

[1]) *Continuat. d'Hist. univers. de Bossuet*, t. II; Card. Sfondrati, *Gallia vindicata*; A. Charlas, *Tractatus de libertatibus ecclesiae Gallicanae*; item, *Causa regaliae contra Natal. Alexandrum*; F. A. Zaccaria, *Anti-Febronius*, t. I, c. 1; Card. Litta,

Novam molestiam Ludovicus XIV paulo post intulit Innocentio XI, quum hic abusum, quo principum catholicorum legati, Romae residentes, in suis palatiis imo in eorum circuitu maleficis asylum concederent, abrogatum voluit. Cum ea asyla in summum tranquillitatis et salutis publicae detrimentum vergerent; reges ab iis extirpandis dissentire non poterant. Solus rex Francorum restitit, et novo legato, H. C. Lavardino, quem an. 1687 Romam misit, 1,000 circiter milites addidit, quibus is totam urbis regionem, per quam asylum Gallicum valuerat, occupavit; putabatque terrore obiecto possessionem retinere iuris antiqui. Sed non fregere minae Innocentium, qui illas adeo neglexit, ut Lavardinum neque ut legatum agnovit, neque in conspectum suum admisit, cardinalibus et nobilibus cum eo conversari vetuit, ecclesiam s. Ludovici, quam Galli Romam habebant, interdicto subiecit. Ludovicus XIV iratus, rursum Avenionem per milites occupavit, et nuntium pontificium, ab Innocentio Parisiis evocatum, militari manu retinuit. Dissidium ita auctum est, ut de Harlai, generalis causarum regiarum procurator, et Toulon, earumdem causarum generalis actor, ab Innocentio XI ad primum generale concilium, tanquam ab abusu potestatis pontificiae, appellationem instituerint [1].

Is erat dissidiorum status, quum Innocentius XI an. 1689 e vita discederet. Alexander VIII, eius successor, dissidia cum Francorum rege componere studuit. Ludovicus asyli iuri renuntiavit, et Avenionem Pontifici restituit, sed celebrem Declarationem an. 1682 tueri pergebat. Quapropter Alexander VIII sollemni constitutione, *Inter multiplices*, data pridie nonas augusti 1690, omnia et singula, quae in comitiis an. 1682, tam quoad extensionem regaliae, quam quoad declarationem de potestate ecclesiastica et 4 propositiones in ea statutas, acta et gesta fuerant, cum omnibus et singulis mandatis, edictis, sententiis, a quacumque persona publicatis, motu proprio et ex certa scientia atque plenitudine potestatis nulla ipso iure, irrita, invalida, et inania ab initio fuisse, esse et perpetuo fore, neminemque ad illorum, etsi iuramento promissa, observationem teneri, declaravit, rursumque omnia et singula improbavit, cassavit, irritavit, annullavit. Praeterea ad decessoris sui exemplum iis, qui dictis comitiis interfuerant et ad episcopales sedes a rege nominati erant, confirmationis seu institutionis bullas denegavit.

Anno 1691 Alexandro VIII in summo pontificatu successit Innocentius XII. Sub eo dissidia tandem composita sunt. Anno 1692 episcopi 35 a rege nominati, sed nondum a Pontifice instituti, litteras secundum formulam, de qua inter Pontificem et regem convenerat, ad Innocentium XII dederunt, in quibus, sententiam pristinam retractantes, dicebant: « Ad pedes Beatitudinis Vestrae provoluti, profitemur et declaramus, nos vehementer et supra id quod dici potest, ex corde dolere de rebus gestis in comitiis praedictis, quae Sanctitati Vestrae eiusque praedecessoribus summopere displicuerunt. Ac proinde quidquid in eisdem comitiis circa ecclesiasticam potestatem et pontificiam auctoritatem decretum censeri potuit, pro non decreto habemus et habendum esse declaramus ». Rex ipse, qui antea declarationem an. 1682 ab omnibus teneri et tradi iusserat, in litteris VIII calendas octobris 1692 ad Innocentium XII scriptis, testatus est, se mandasse, ut edictum, quo pro temporum circumstantiis omnes ad declarationem servandam coëgerat, deinceps nullum haberet effectum. « Et quia animo statui, inquit, qua maxima ratione possum id ipsum Sanctitati Vestrae testatum facere; latere eam nolo, iam a me provisum esse, ut edictum, quo Parisiensium comitiorum declaratio an. 1682 die 2 martii munita fuerat, quodque eorum temporum conditio a me expresserat, effectu deinceps careat; suspensumque censeatur ». Quo facto, nominati episcopi Bullas institutionis a Pontifice acceperunt, et concordia inter Apostolicam Sedem regnumque Gallicanum restituta fuit [1].

25. *Innocentius XI, Alexander VIII, Pontifices* (*an.* 1676-91) — Interea post Clementem Pp. X, xi° calendas augusti 1676 defunctum, xi° calendas octobris Ecclesiae regimen demandatum est Innocentio XI, antea Benedicto Odeschalchio, patria Comensi et R. E. cardinali. Is vitae integritate, pietate, animique constantia in difficilibus et periculosis reipublicae christianae temporibus claruit. Quae cum Ludovico XIV, rege Francorum, negotia habuerit, iam retulimus. Leopoldo

———

Lettres sur les quatre articles dits du Clergé de France; De Maistre, *De l'Eglise Gallicane dans son rapport avec le Souverain-Pontife.*

[1]) Card. Sfondrati, *De immunitatibus districtuum oratorum regum in Vrbe Roma.*

[1]) Cf Sfondrati aliosque antecedenti pagina citatos.

imperatori I, qui patri suo Ferdinando III, an. 1657 mortuo, successerat, regi Poloniae et Venetis, contra Turcarum impetus foederatis, pecunia, milite, fusisque ad Deum precibus subvenit, maxime in periculosissima Viennae obsidione, qua, patrocinante, ut merito creditum est, Deipara Virgine, cum ingenti hostium strage an. 1683 soluta, praecepit, ut tantae victoriae memoria quotannis, die SS. Mariae Nomini consecrata, ab universa Ecclesia recoleretur [1], et Ioanni Sobieski, regi Poloniae, cuius praesertim virtute res peracta fuerat, ensem et galerum, principis de christiana re bene meriti munus, misit. Omnes curas applicuit ad corrigendos abusus et ad restituendam disciplinam ecclesiasticam; Regulares, a pio fervore deflectentes, ad severiorem regularum observationem revocavit; renovato Alexandri VII decreto, ad sacros Ordines accessuris spiritualem 10 dierum secessum praescripsit; 65 propositiones, e variis laxioris disciplinae moralis casuistarum libris excerptas et ab episcopis Gallis ad se delatas, damnavit; proscripsit etiam pravos errores Michaëlis Molinos, de quo infra. — Feminas cultum vestium lasciviorem affectantes templis amovit.—Post haec et alia praeclare gesta, pridie idus augusti 1689 ex hac vita migravit.—Pontifex fuit exempli recti domi forisque, et pro causa Ecclesiae expertae virtutis, dignusque habitus, quem haeretici ipsi ferrent laudibus.

In eius locum pridie nonas octobris subrogatus est Alexander VIII, antea Petrus Ottoboni, Venetus, cardinalis presbyter, genere atque prudentia et constantia in rebus gerendis commendandus. Is Leopoldo I et Venetis contra Turcas, qui quamvis saepius victi, bellum in Christianos continuo instaurabant, opem tulit. Decessoris sui vestigia, quantum ad dissidium cum rege Francorum spectabat, pressit, ut diximus.—Ad haec B. Laurentium Iustinianum primum Venetiarum Patriarcham, pietate inclytum et doctrina, adscripsit in Sanctos, quo honore auxit etiam Ioannem a s. Facundo Ordinis Eremitarum s. Augustini, Ioannem a Capistrano, Paschalem Baylon ex familia s. Francisci, et Ioannem de Deo auctorem Ordinis Sacerdotum inservientium Xenodochiis.—Omnes Molinosismi reliquias, nulla habita personarum ratione, delendas curavit, ut videbimus. Damnavit doctrinam de peccato, quod vocabant philosophicum, aliasque 31 propositiones, inter quas 29ª haec erat: « Futilis et toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra concilium oecumenicum auctoritate, atque in Fidei quaestionibus decernendis infallibilitate ». Hoc unum obiicitur venerabili seni, a suis adversariis, quod a praedilectione nepotum et popularium suorum non satis sibi cavisse videatur. Decessit calendis februarii 1691.

26. *Molinos pseudomysticismus* — Michaël Molinos, quem in praecedenti numero nominavi, mysticismum docuit ab Ecclesia damnatum. Is natus an. 1627 Caesaraugustae in Hispania et sacerdotio initiatus, an. 1669 Romam venit, ubi piis moribus et solertia in moderandis conscientiis multorum aestimationem sibi comparavit. An. 1675 librum Hispanice edidit sub titulo : *Manuductio spiritualis;* qui mox in linguam italicam, postea etiam in gallicam et latinam versus fuit. In isto libro crassissimus mysticismus continebatur, attamen pietatis velo obtectus. An. 1685 liber ad Officium s. Inquisitionis delatus et diligenter discussus fuit, pluresque et periculosi errores in eodem reperti, quorum summa haec erat: Animam posse in hac vita ad tantam cum Deo unionem pervenire, ut, suae prorsus expers et quasi annihilata, Deum intueatur et cum eo substantialiter unum sit: Animae in idipsum continuo esse nitendum ; idque potissimum effici oratione passiva, in eo consistente, ut anima prorsus nihil velit, agat aut sentiat, sed in sancto quodam silentio et quiete (unde nomen *Quietistarum*) se Dei operationi committat. Tentationes pessimas, quibus anima ab omnibus passionibus et affectibus erat purganda, ut ad plenam in Deo quietem perveniret, esse spernendas et non nisi passive iis resistendum, quod magis a Deo amaretur qui patitur, quam qui bonum facit; Confessarii praescriptis esse obsequendum, etiamsi Dei mandatis adversentur; Hominem de peccatis suis non debere esse inquietum; Vota esse perfectionis impedimenta; Quicquam petere a Deo esse imperfectionis; Non oportere lucrari Indulgentias, quum melius esset divinae iustitiae satisfacere, quam misericordiae participem fieri velle; Res spirituales fastidire bonum esse, quod id ad sui amorem minuendum conferret. An. 1687 Innocentius Pp. XI in singulari bulla 68 propositiones, in libro Molinosii contentas, tanquam haereticas, erroneas, suspectas, scandalosas, blasphemas, damnavit. Eodem anno

[1]) Benedictus XIV, *Institut.* 79, p. 380.

Molinos errores suos sollemniter abiuravit, et absolutionem accepit: verumtamen usque ad obitum suum (1696) in custodia monastica detentus fuit [1].

Ioanna de-Guyon et Fénélon — Eodem tempore in Gallia pseudo-mysticismum propagare conata est Ioanna de-Guyon, vidua nobilis, ad eum perducta a confessario suo Francisco Lacombe, Barnabita, cuius liber « Analysis orationis mentalis », gallice scriptus, an. 1688 ab Apostolica Sede damnatus est. Ioanna primum Annecii, deinde Gratianopoli et postremo inde ab an. 1687 Parisiis in privatis conventibus doctrinas, quibus erat imbuta, de puro Dei amore, de indifferentia, quantum ad vitam, mortem, coelum et infernum spectat, de annihilatione animae, de plena animae quiete, aliis persuadere conata est. Varios etiam libros de eadem re mystica scripsit [2]. Quam ob rem a praedictis urbibus, curantibus episcopis, amota, Parisiis an. 1687 mandato regis monasticae custodiae tradita est. Intercedentibus potentibus, quas nacta erat, patronabus, brevi e custodia est dimissa. Cum esset morum pietate insigni, praeter alios sibi conciliavit Franciscum de-Salignac de-la-Motte Fénélon, magnae pietatis presbyterum, ab an. 1689 regiorum nepotum paedagogum, et an. 1695 archiepiscopum Cameracensem. Quum autem nonnulli episcopi contra mystica Ioannae studia commoverentur, ea, consilio Fenelonii, scripta sua submisit iudicio Bossuetii, episcopi Meldensis. Hic, discussis eius libris, an. 1695 declarationem, quae 34 articulos continebat, ei proposuit, cui illa demisse subscripsit. Postea rursum accusata, quod priores sententias docere pergeret, iterum regis iussu custodiae tradita est; at innocentiam suam et obedientiam testata, libertati reddita fuit. Anno vero 1717 post humilem claramque fidei professionem Blesis obiit.

Haec ipsa res in causa fuit cur inter Bossuetium episcopum Meldensem, et Fenelonium archiepiscopum Cameracensem, concertatio non levis excitaretur. Ille sententias e scriptis Ioannae excerptas damnavit, et hunc antea suum discipulum, nunc aemulum, ut idem faceret, rogavit. Hic vero Ioannam potius in ratione exponendae doctrinae mysticae, quam in hac ipsa errasse existimans, eius sententias de contemplatione, statu passivo, spirituali animae morte, transformatione et unione substantiali cum Deo, aliisque in sanum sensum, et potissimum de puro Dei amore, quem defendebat, explicare studuit in libro, an. 1697 gallice scripto « De sententiis sanctorum circa vitam interiorem [1] ». At Bossuetius illas sententias, utut explicatas, acriter impugnavit. Lis, inter utrumque antistitem agitata, Romam delata est. Innocentius Pp. XII, re diligenter discussa, an. 1699 litteras breves dedit, in quibus 23 propositiones, e libro Fenelonii excerptas, de puro Dei amore, de perfecta animi quiete, de exiguo pretio orationis vocalis, de praestantia contemplationis prae meditatione, de passivo modo resistendi tentationibus, aliisque damnavit. Fénélon egregio humilitatis et submissionis exemplo censuram pontificiam non tantum approbavit, sed etiam conscenso in ecclesia sua metropolitana suggestu praelegit, auditores, ut eidem obtemperarent, admonuit, idemque fecit in litteris ad clerum suum datis [2].

27. *Atheorum et Deistarum magistri* — Hoc ipso saeculo extiterunt nonnulli, qui specioso philosophiae titulo Religionis fundamenta, ipsius Dei naturam et existentiam convellerent, ideoque *Athei* dicti sunt. Iam sub exitum saeculi praecedentis Iordanus Brunus, Nolanus, deserto FF. Praedicatorum Ordine, modo Calvini, modo Lutheri placita, reipsa vero pantheismum impium professus est; diu per Galliam, Helvetiam, Germaniam, et Angliam errans, deinde in Italiam redux, an. 1600 Romae, in impietate pertinax, flammis traditus fuit. Post eum Cosmus Ruggieri, Florentinus, quo ut astrologo Catharina Medicea, regina Galliae, utebatur, et vivens et moriens (1615) atheismum professus est. Lucilius Vanini, Neapolitanus, a sacerdotio et a Fide apostata, postquam varias terras oberrasset, Tolosae philosophicas, theologicas et medicas praelectiones habuit; non tantum revelatam, sed etiam naturalem religionem, Dei existentiam, animae immortalitatem, aliaque impugnavit in suis Dialogis de admirandis naturae reginae deaeque mortalium arcanis; an. 1619 senatus Tolosani decreto propter impiam doctrinam igni traditus fuit. Thomas Hobbes, Anglus, communiter dictus philosophus Malmesbyriensis, an. 1679 Harvici mor-

---

1) D' Argentrè, *Collectio iudiciorum de novis erroribus*; Fénélon, *Œuvres*, t. IV, edit. Le-Bel.

2) *Torrens spirituels; Moyen court et très facile de faire l'oraison. Le Cantique des Cantiques expliqué*, etc.

1) *Explication des maximes des Saints sur la vie intérieure.*

2) D'Argentrè et Fénélon, loc. cit.

tuus; omnem religionem abiecit in scriptis suis, inter quae celebrior est *Leviathan* sive De materia, forma et potestate civitatis ecclesiasticae et civilis; omnes religiones e timore, consuetudine et ignorantia derivavit; cunctos affectus et animi motus atque ex iis nascentes actiones in se et extra societatem civilem esse indifferentes, moraleque discrimen inter bonum et malum e definitione potestatis civilis descendere, contendit. Benedictus Spinoza, Amstelodamus, an. 1677 Hagae Comitis mortuus, prius revelatae, postea omnis religionis adversarium se exhibuit; religionem revelatam impugnavit in tractatu theologico-politico, summamque religionis ad hoc reduxit: Deum esse aeternum, omnipraesentem, omnium rerum dominatorem et dominum, iustitiae et amoris exercitio colendum; eos, qui id fecerint, beatitudinem coelestem consecuturos. Omnem vero religionem impugnavit in opere, post eius mortem in lucem edito, quod inscribitur: « Ethica more geometrico demonstrata »; in eo secundum Xenophanis commentum: « Vnum esse omnia, neque id esse mutabile, et id esse verum Deum », contendit, non esse nisi unicam substantiam, quae est ipse Deus, extensione et vi cogitandi infinitam, ex infinito tempore existentem et necessaria lege se modificantem; omnia quae existunt, et fiunt, non esse nisi modificationes illius unius substantiae; proinde cuncta esse in Deo et ad Deum pertinere. Quo systemate libertatem humanae voluntatis et moralitatem humanarum actionum negavit. Petrus Bayle, an. 1647 Cartilati in Gallia natus, prius Sedani in Campania, postea Roterodami in Batavia philosophiam docuit, obiitque an. 1706; inter alia opera reliquit commentarium philosophicum ad hunc Evangelii locum: *Compelle intrare*; commentationes de cometa anni 1680; Dictionarium historico-criticum. Is eo collineavit, ut multiplicibus sophismatibus et captiosis obiectionibus omnem religionem incertam redderet, eique scepticismum superstrueret. Franciscus Pajot-de-Liniere, poeta Gallus, mortuus an. 1704, propter irreligiosam suam sentiendi, dicendi et vivendi licentiam atheus de Sylvanecto vocari meruit. Mathias Knutzen, Slesvicensis, Ienae et in aliis urbibus propagare tentavit societatem Conscientiariorum, idest libere de religione sentientium et suam solummodo conscientiam sequentium; in scriptis suis ipsius Dei existentiam et animae immortalitatem impugnavit. Guilielmus Stosch, Berolinus, mortuus anno 1707, in libro, cui titulus: *Concordia rationis et fidei*, seu harmonia philosophiae moralis et religionis christianae, doctrinas Spinozae, et Hobbesio proprias propugnavit.

Alii oppugnantes christianam revelationem, adstruxerunt religionem, quam vocant naturalem, et communiter deistae dicuntur. Naturalismum iam saeculo praecedenti propugnavit Ioannes Bodin, iurisconsultus Gallus, mortuus an. 1596, qui praesertim in suo *Heptaplomerone* de abditis rerum sublimium arcanis, Religionem christianam vilipendit, et inter omnes religiones, Deo gratas, optimam esse contendit antiquissimam, quam Deus cum sana ratione humano animo indidit. Eduardus Herbert baro de Cherbury, Anglus, mortuus an. 1648, in libro *De veritate* systema quoddam deismi seu religionis naturalis proposuit, docens, revelationem neque necessariam neque utilem esse, et veram religionem totam comprehendi 5 propositionibus, quas conceptus generales vocavit, quum in omni religione et apud omnes omnium temporum viros cultiores deprehendantur. Erant autem sequentes: 1ª, Est Deus, summe potens, summe beatus, omnium rerum finis, bonorum omnium auctor, aeternus, infinite bonus, iustus et sapiens; 2ª, Ei cultus religiosus exhibendus est, ad quem pertinent preces, gratiarum actiones, oblationes, ecclesiae et proprii religionis ministri; 3ª, Optima pars adorationis Deo debitae consistit in recta virium hominis spiritualium conformatione; 4ª, Omnia vitia et crimina poenitentia expiantur; 5ª, Post hanc vitam praemia et poenae erunt. Carolus Blount, nobilis Anglus, qui, cum nuptias a legibus vetitas cum sorore defunctae coniugis inire non posset, an. 1693 se interemit; primo, ut originem Religionis christianae suspectam redderet, edidit vitam Apollonii Thyanensis, a Philostrato conscriptam, lectores suos ad Apollonium cum Christo comparandum inducens; deinde in epistola ad se ipsum directa, repetiit systema religionis naturalis, ab Herberto de Cherbury propositum, huiusque 5 propositionibus addidit has duas: Deum providum esse mundi rectorem; Obedientiam erga eum consistere in observandis sanae rationis dictaminibus. In aliis quoque scriptis, puta de anima mundi, de oraculis rationis, doctrinas Religioni christianae adversas tradidit. Ioannes Toland, Hibernus, deserta Religione catholica, plura irreligiose scripsit: in libro « De Religione christiana non mysteriosa », ostendere conatus est, nihil in Scriptura S. con-

tineri, quod humanum intellectum excedat; dein occasione scriptorum Ioannis Milton, a se editorum, genuinitatem librorum N. Testamenti in dubium vocavit; reliqua, quibus Religioni insultavit, sequenti saeculo indicabimus.

Porro hi aliique omissi scriptores athei et deistae effecerunt, ut non exiguus numerus virorum, maxime sciolorum, a Religione christiana fuerit abstractus, viamque pararunt, qua sequenti saeculo longe maior ab eadem deficeret. Adhos irreligionis progressus cohibendos non tantum a potestate ecclesiastica, sed etiamcivili varii tentati sunt modi, pluresque viri eruditi scripta apologetico-polemica composuerunt.

28. *Scriptores ecclesiastici*—E scriptoribus vero ecclesiasticis, qui postremo huius saeculi tempore floruerunt, in exponendis ss. Scripturis claruerunt, Iacobus Benignus Bossuet, Divionensis, e Condomensi et praeceptore Delphini episcopus Meldensis, vir doctissimus; praeter Scholia in Psalmos et in libros Sapientiales, commentarium in Apocalypsim et alia, sacras Litteras et sanctas Patrum traditiones vindicavit contra prava molimina Richardi Simonii; extitit etiam fortissimus debellator haereticorum contra quos scripsit Historiam variationum ecclesiarum protestanticarum aliaque; reliquit praeterea sermonem egregium in historiam universam, aliaque plurima profundae suae eruditionis et fervoris pro sana et catholica doctrina illustria documenta[1]. Ludovicus de Carrieres, Andegavensis, presbyter Oratorii, dedit commentarium litterale s. Scripturae, insertum versioni eius gallicae[2], cuius novam editionem, additis analysibus et dissertationibus, paulo post curavit Henricus Franciscus de Vence, doctor Sorbonicus et praepositus Nanceiensis; earum plures Bibliis Avenionensibus inseruit Rondet, unde haec subinde vocantur Biblia de Vence[3]. Ioannes Baptista Duhamel, doctor Parisiensis, edidit Biblia Vulgata cum annotationibus, prolegomenis, novis tabulis chronologicis, historicis et geographicis illustrata[4]; scripsit praeterea theologiam speculativam et practicam[5], aliaque historica, philosophica, mathematica. Paulus Pezron, Ordinis Cisterciensis, doctor Parisiensis, inter alia dedit gallice antiquitatem temporum restitutam, eiusque vindicias, specimen commentarii in Prophetas, et historiam Evangelicam, e Iudaica et Romana confirmatam. Robertus Guerard, Rothomagensis, e Congregatione s. Mauri edidit gallice synopsim s. Scripturae, quam latinitate donavit Silvester Van Ey, presbyter Antwerpiensis[1]. Ioannes le Pelletier, Rothomagensis, reliquit dissertationes doctissimas de arca Noë, de ponderibus et mensuris veterum, de coma Absalonis, de templo Salomonis et Ezechielis. Henricus de Bukentop, Franciscanus Antwerpiensis, dedit Dictionarium vocum difficilioris significationis in Vulgata, canones pro intelligentia s. Scripturae, examen versionis Embricensis, et librum, qui inscriptus est: *Lux de luce*, in quo agit de Vulgatae latinae ambiguis locutionibus, variis ac dubiis lectionibus, et de editionibus Sixtina atque Clementina. Martin. Harney, Amstelodam. Ord. Praed. scripsit de s. Scriptura linguis vulgaribus legenda[2]. Ioachim Trotti de-la-Chetardie, baccalaureus Sorbonicus et parochus s. Sulpitii, praeter alia gallice scripsit expositionem Apocalypsis per historiam ecclesiasticam. Bernardinus a Piconio, Picardus, Ord. Capuccinorum, reliquit Commentarium in Evangelia et expositionem triplicem Epistolarum s. Pauli. Michaël Mauduit, presb. Oratorii, scripsit gallice analyses et dissertationes in N. Testamentum, item tractatum de Religione contra atheos, deistas et recentes Pyrrhonianos.

In scientia theologica excelluerunt, Martinus Grandin, doctor Sorbonicus, cuius opera theologica in pretio sunt[3]. Martinus Steyaert, Flander, prof. Lovanien. reliquit theologiae practicae aphorismos, annotationes in propositiones damnatas, positiones de R. Pontifice eiusque auctoritate, alia polemica contra mollioris et rigidioris ethices sectatores. Gaspar Juenin, presbyter Oratorii, inter alia dedit Institutiones theologicas ad usum Seminariorum, propter latentem Iansenismum damnatas. Eiusdem labis suspicionem etiam subiit theologia Gratianopolitana, quam gallice scripsit Franciscus Genet, episcopus Vasionensis, et postea latine reddidit frater eius: Idem esto iudicium de theologia Ssrum seu Ethica amoris, cuius auctor est Henricus a s. Ignatio, Carmelita Athensis. Eadem de causa cau-

---

1) *Œuvres de Bossuet*, 1815-20, 43 vol. in-8°.
2) *Commentaire littéral, inséré dans la traduction française avec le texte latin à la marge*, Paris 1701-16, 24 vol. in-12°.
3) Avignon 1767-73, 17 vol. in-4°; item 25 in-8°.
4) Paris. 1706, in-fol.—5) 1691, 7 vol. in-8°.

1) 3 vol. in-8°.
2) Lovanii 1692 in-12°.
3) 1710-12, 6 vol. in-4°.

te legendi sunt Carolus Witasse et Ludovicus Habert, doctores Sorbonici. Ioannes Baptista Gonet, Dominicanus Biterrensis, praeter Manuale Thomistarum et Dissertationem theologicam de Probabilismo, edidit *Clypeum* theologiae Thomisticae [1]. Ludovicus Abelly, episcopus Rhodensis, praeter alia composuit Medullam theologicam. Antonius Massoulié, Tolosanus, Ord. Praed., scripsit de praemotione physica, gratia et praedestinatione librum, cui titulus: *Divus Thomas sui interpres* [2]. Claudius Frassen, Picardus, Ord. Min. et doctor Sorbonicus, reliquit praeter disquisitiones biblicas [3], Theologiam scholasticam [4]. Iacobus Boudart, ecclesiae collegiatae s. Petri Insulis canonicus, scripsit Theologiam [5]. Claudius Lacroix, Limburgus, S.I. lucubravit commentarium in Medullam theologiae moralis H. Busembaum [6]. Florentius de Cocq, Ord. Praemonstr. canonicus Antwerpiensis, reliquit principia totius Theologiae moralis et speculativae [7]. Nicolaus Pauwels, professor Lovaniensis, reliquit theologiam practicam [8]. Augustinus de Bussy de Lamet et Germanus Fromageau, doctores Sorbonae, collegerunt Lexicon gallicum casuum conscientiae, quod accuratius elaboravit Ioannes Pontas [9]. Praetermittimus autem plures, qui theologicas synopses aut tractatus singulares ediderunt.

In polemicis post fortissimum haereticorum debellatorem Bossuetium memorandi sunt hi qui sequuntur: Franciscus de-Salignac-de-la-Motte Fénélon, archiepiscopus Cameracensis, virtutis et doctrinae laude clarissimus, plurima gallice scripsit de existentia Dei, pro bulla *Vnigenitus* de qua infra, deque aliis argumentis. Morinus Groteste des-Mahis, e ministro pseudo-reformato catholicus et canonicus Aurelianensis, contra errores haereticorum gallice scripsit de schismate Protestantium, de praesentia reali Corporis I. C. in Eucharistia, de veritate Religionis catholicae, e Scriptura S. probata. Isaac Papin, Blesensis, e calvinista catholicus, contra Iuriaeum scripsit Tractatum de tolerantia Protestantium et de auctoritate Ecclesiae, in quo expendit duas vias, in negotio Religionis sibi oppositas; privatum scilicet examen et pondus auctoritatis. Ioannes Dez, Iesuita Gallus, scripsit gallice de fide christiana et catholica adversus Deistas, Iudaeos, Mahomethanos, Socinianos, aliosque haereticos vindicata [1]. Franciscus Lami, Gallus, e Congregatione s. Mauri, praeter alia plura gallice dedit novum atheismum destructum, et incredulum ad Religionem adductum per rationem. Iacobus le-Fevre, doctor Sorbonicus, gallice scripsit de ratione certissime vincendi haereticos pseudo-reformatos, et de causis eorum defectionis. Coelestinus Sfondrati, Mediolanensis, Ord. s. Benedicti et R. E. cardinalis, praeter nodum praedestinationis dissolutum et tractatum de immunitatibus oratorum regiorum Romae, scripsit contra Gallicanos Declarationis anni 1682 defensores librum qui inscribitur: *Gallia vindicata*. Antonius Charlas, presbyter Consoranus, reliquit Tractatus de libertatibus ecclesiae Gallicanae, de primatu R. Pontificis, de auctoritate Ecclesiae, et de causa regaliae.

In illustranda ecclesiastica historia et antiquitate operam impenderunt: Henricus Valesius, Parisiensis, qui historias ecclesiasticas Eusebii, Socratis, Sozomeni, Theodoreti et Evagrii e graeco in latinum vertit notisque illustravit [2]. Antonius Pagi, e Rogne Provinciae oppidulo et Ord. Min., scripsit criticam historico-chronologicam in Annales ecclesiasticos Baronii [3]. Franciscus Pagi, eiusdem Ord. exaravit Breviarium historico-chronologico-criticum RR. Pontificum [4]. Emmanuel a Schelstrate, Antwerpiensis, Vaticanae Bibliothecae custos, edidit antiquitates Ecclesiae illustratas [5], ecclesiam Africanam sub primatu Carthaginensi [6], acta concilii Constantiensis [7], acta ecclesiae Orientalis contra Lutheranam et Calvinianam haereses [8], dissertationem de disciplina arcani. Ioannes Baptista Cotelerius, Nemausensis, collegit Patres aevi apostolici [9] et monumenta ecclesiae Graecae [10]. Lucas d'Achery, Picardus, Congregat. s. Mauri, dedit Spicilegium veterum scriptorum [11]. Theodoricus Ruinart, Rhemen-

---

1) Lugdun. 1681, 5 vol. in-fol.
2) 2 vol. in-fol.
3) Lucae 1761, 2 vol. in-fol.
4) Paris. 1672, 4 vol. in-fol.
5) Lovan. 1706, 6 vol. in-fol.
6) Colon. 1719, 2 vol. in fol.
7) Colon. 1682, 3 vol. in-8°.
8) Lovan. 1715, 5 vol. in-12°.
9) 3 vol. in-fol.

1) Paris 1714, 8 vol. in-12°.
2) August. Taurin. 1746, 3 vol. in-fol.
3) Antwerp. 1672, 4 vol. in-fol.
4) 1717, 4 vol. in-4°.
5) Romae 1692-97, 2 vol. in-fol.
6) Antwerp. 1679 in-4°. — 7) In-4°.
8) Rom. in-fol. — 9) Paris. 1672, 2 vol. in-fol.
10) 1677, 3 vol. in-4°.
11) 13 vol. in-4° et 3 vol. in-fol

sis, Congregat. s. Mauri, edidit Acta sincera ss. Martyrum, historiam persecutionis Vandalicae et alia. Andreas Baillet, Bellovacensis, vulgavit gallice vitas Ssrum per annum et iudicia doctorum de praecipuis scriptorum operibus, sed non nunquam limites moderatae critices transgressus est. Petrus Coustant, Compendiensis, eiusdem Congregationis s. Mauri, collegit Decretales veterum Pontificum a Clemente I usque ad Innocentium I. Ioannes Garnier, Parisiensis S. I., publici iuris fecit librum diurnum RR. Pontificum, notis et dissertationibus illustratum. Carolus le-Cointe, presbyter Oratorii, collegit Annales ecclesiasticos Francorum ab an. 235 usque ad 835. Gerardus du Bois, presbyter Oratorii, scripsit historiam ecclesiae Parisiensis. Henricus Noris, Veronensis, eremita Augustinianus et R. E. cardinalis, reliquit historiam donatisticam et pelagianam, atque dissertationem de concilio oecumenico V. — Ludovicus Bulteau, Rothomagensis, gallice scripsit Historiam monasticam Orientis et epitomen Historiae Ordinis s. Benedicti. Iacobus Quetif, Parisiensis, Ord. Praedicatorum, edendam suscepit bibliothecam scriptorum sui Ordinis, quam absolvit socius eius Iacobus Echard, Rothomagensis [1]. Ioannes Mabillon, Congregationis s. Mauri, collegit Acta Sanctorum Ordinis s. Benedicti [2], Annales eiusdem Ordinis [3], Musaeum Italicum, Analecta; scripsit etiam de re diplomatica, de studiis monasticis, aliisque Ludovicus Torelli, Ord. s. Augustini, edidit italice historiam generalem sui Ordinis [4]. Christianus Lupus, Iprensis, Ord. s. Augustini et doctor Lovaniensis, reliquit commentaria in historiam et canones Conciliorum, tractatum de appellationibus, aliaque posthuma. Iosephus Saenz de Aguire, Hispanus, Ord. s. Benedicti et R. E. cardinalis, collegit concilia Hispaniae [5], scripsitque defensionem cathedrae Petri contra declarationem cleri Gallicani [6]. Ioannes Baptista de Luca, R. E. cardinalis, dedit annotationes in concilium Tridentinum et Theatrum iustitiae et veritatis. Ioannes Cabassutius, Aquensis, presbyter Oratorii, auctor est notitiae ecclesiasticae Conciliorum, Canonum et veterum Ecclesiae rituum, et theoriae ac praxis iuris canonici. Henricus Piringh, Germanus

[1]) Paris. 1719-21, 2 vol. in-fol.
[2]) Paris. 1648 et seq. 9 vol. in-fol.
[3]) 6 tom. in-fol. aucti a Ruinart et Thuillier.
[4]) 1659, 8 vol. in-fol. — [5]) Romae 1753, 6 vol. in-fol.
[6]) Salmant. 1683 in-fol.

S. I., edidit ius canonicum, nova methodo explicatum, et facilem ac succinctam Ssrum canonum doctrinam. Ludovicus Thomassinus, Aquensis, presbyter Oratorii, praeter dogmata theologica [1], dedit disciplinam ecclesiasticam de beneficiis et beneficiatis [2]. Ioannes Douiat, Tolosanus, reliquit praenotiones canonicas, et civiles, et historiam iuris canonici. Prosper Fagnani, Italus, claruit commentario in Decretales [1]. Claudius de-Vert, Parisiensis, Ord. Cluniacensis, scripsit gallice expositionem litteralem et historicam sacrarum caeremoniarum.

Inter asceticos et praedicatores huius aetatis notissimi sunt: Franciscus Guillore, Britannus, Paulus Segneri, inter sacros Italiae oratores haud dubie princeps, Ioannes Petrus Pinamonti, Pistoriensis, Ioannes Baptista Saint-Jure, Metensis, Franciscus Nepveu, omnes e Societate Iesu; Ludovicus Abelly, supra laudatus; Matthaeus Beuvelet, Gallus; Henricus Maria Boudon, archidiaconus Ebroicensis; Antonius Viera, Lusitanus, S. I.; Claudius de la Colombiere, Timoleon Cheminais, Iacobus Giroust, Ludovicus Bourdaloue, Iesuitae Galli; Ioannes Le-Jeune, Poliniacensis, Oratorii Gallicani; Spiritus Flechier, episcopus Nemausensis, aliique, quos brevitatis studio praetermittimus.

29. *Innocentius XII, Pontifex* (*an.* 1691) — Interim Alexander Pp. VIII decessit calendis februarii 1691. Post eius mortem comitia propter cardinalium discordiam protracta sunt usque ad IV idus iulii, qua die Pontifex renunciatus est Antonius Pignatelli, archiepiscopus Neapolitanus, qui sub Innocentii XII nomine Ecclesiam gubernavit usque ad an. 1700. Is spem, quam de seipso excitarat, dum apud Imperatorem et regis apostolici nuntii officiis fungeretur, nunc summae potestatis particeps cumulatissime implevit. Beneficentissimus fuit in pauperes. Constitutione, *Romanum decet Pontificem*, abusum, quem vocant Nepotismum, a curia pontificia proscripsit, districte prohibens, ne Pontificum consanguinei Ecclesiae bonis ditarentur. Alias plures constitutiones edidit tum ad promovendam ecclesiasticam et regularem disciplinam, tum ad corrigendos abusus. Coërcuit iustitiae ministros, ne munera acciperent. Contra latrones et malefactores, qui, Sede vacante, multum invaluerant, severitatem legum indixit. Ecclesiasticas dignitates non nisi dignis

[1]) 1680, 3 vol. in-fol. — [2]) 1678, 3 vol. in-fol.
[3]) Romae 1661, 3 vol. in-fol.

contulit. Quum universa Europa bello arderet, binum Iubilaeum concessit ad efflagitandam pacem, et avertendam coelestem iram; nihil omisit ad restituendam pacem publicam; ad imperatorem, reges et principes litteras dedit, eloquentia, prudentia ac gravitate refertas, ut eorundem animos deliniret et dissidia componeret Gravate tulit, ducem Hannoverensem heterodoxum a caesare constitutum imperii electorem. Disceptationi de origine ordinis Carmelitarum usque a prophetis Elia et Eliseo, quae inter nonnullos acrius, quam par erat, agitabatur, silentium imperavit. Cum Ludovico XIV, rege Galliae, pacem iniit, gratiam suam restituit praelatis, qui comitiis anni 1682 interfuerant, accepta prius tum ab his tum a rege satisfactione [1]. Compescuit etiam aliquot lites exortas in Belgio, ubi nonnulli alios ut Iansenistas traducebant, quamvis a iansenianis erroribus alienos, et quidam episcopi ad maiorem cautelam contra fraudes Iansenistarum aliquot additiones formulario Alexandri VII fecerant. In hanc rem anno 1694 ad archiepiscopum Mechliniensem et episcopos Antwerpiensem, Brugensem, Gandavensem et Ruremundensem diploma dedit, quo prohibuit, ne praeter formularium iuramenti, ad damnandas 5 propositiones Iansenii in sensu obvio, quem tam ipsius formularii quam propositionum verba prae se ferunt, aliam declarationem, interpretationem aut explicationem exigerent; voluit insuper ut neminem vaga ista accusatione et invidioso nomine Iansenismi traduci aut nuncupari sineret, nisi prius suspicionem dedisset, quod aliquam e 5 propositionibus docuerit aut tenuerit: demum statuit, ne quemquam sub hoc praetextu repelli ab officiis, muniis, beneficiis, vel alia quacumque functione ecclesiastica permitterent, nisi servato iuris ordine, hunc eam poenam commeruisse, probatum fuerit. Quum vero Iansenistae verba Pontificis *in sensu obvio*, quem tam ipsius formularii quam propositionum verba *prae se ferunt*, in alienum sensum detorquerent, perinde ac si propositiones solum damnandae forent in sensu obvio, quem eorum verba prae se ferunt, nulla habita mentione vel respectu ad sensum Iansenii, Pontifex hunc vanum eorum triumphum repressit altero Brevi, ad eosdem Belgii episcopos dato an. 1696.—Praeterea Innocentius XII confirmavit decretum Congregationis Concilii super obligatione Parochorum applicandi sacrificium pro populo in diebus festivis. Novos Sacramenti Poenitentiae ministros, et Parochos iussit tanto se muneri parare continuata per dies denos contemplatione rerum aeternarum. Faciles ad eum aditus, pauperibus vero ita benignae aures, ut qui maximus omnium erat dignitate, par infimis videretur humanitate —Vrbem variis ornamentis, aedificiis, nosocomiis, praesidiis, munitionibus decoravit, munivit, auxitque. Mortuus est anno 85 aetatis, V calendas octobris anno 1700, cum magni consilii Pontifex, et spectatae probitatis fuisset annos 9, menses 2 et dies 15.

[1] Vid. p. 216.

30. *Conatus Irenici pro unione religiosa* —Quantum autem religiosis dissidiis, quibus a pseudo-reformationis temporibus Europa fuit perturbata, animi ab invicem alieni essent, satis ostendunt ipsa unionis conamina, hoc saeculo tum inter Catholicos et Protestantes, tum inter Lutheranos et Calvinistas instituta. In hunc finem tum colloquia de materiis controversis habita, tum scripta ad animos conciliandos composita, seu *irenica*, tum methodi efficiendae unionis propositae sunt.

E colloquiis, unionis gratia inter Catholicos et Protestantes institutis, notatu dignum est illud, quod Vladislaus IV, rex Poloniae, anno 1645 indixit inter theologos catholicos, lutheranos et calvinianos, non tam ut disputarent, quam ut materias controversas examinarent et amice determinarent; unde istud colloquium caritativum vel etiam fraterna collatio dictum est. Anno 1651 Ernestus, comes provincialis seu landgravius Hasso Rheinfelsensis, Valerianum Magni, nobilem Mediolanensem et Ordinis Capuccinorum Ministrum generalem, ab Alexandro Pp. VIII apostolicis missionibus per Germaniam, Poloniam et Hungariam praefectum, et duos theologos Giessenses in arce sua Rheinfels congregavit, ut, se praesente, de criteriis et infallibilitate verae Ecclesiae disputarent; quod eo eventu factum est, ut comes provincialis ad catholica sacra transiret.

Prae aliis unionem Protestantium cum Catholicis tentavit Christophorus Roias de Spinola, Hispanus, uxoris Leopoldi imperatoris I confessarius, e Tinano in Croatia Neostadiensis in Austria episcopus, rei theologicae et polemicae valde peritus. Is magno unionis studio animatus, multa ad eam tentandam itinera ab anno 1675 usque ad 1695 precipue per Germaniam et Hungariam suscepit, ab Imperatore et comitiis imperii litteris com-

mendatus et necessaria facultate instructus. Eius tamen conamina optatum effectum non habuerunt. Praesertim de unionis negotio disseruit cum Molano, theologo lutherano et consistoriorum Hannoverensium rectore. Iis brevi post accesserunt doctissimus Bossuetius, episcopus Meldensis in Gallia, et G. Leibnitius, Lipsiensis, inter Lutheranos eruditissimus. Illi plura sibi invicem de praesenti negotio consilia communicarunt litterasque transmiserunt et diversas unionis conciliandae vias proposuerunt. At maior erat principiorum utriusque partis ad invicem distantia, quam ut ad propositum sibi finem pervenirent[1].

Alii in eumdem finem scripta pacificatoria seu irenica ediderunt, qui novas paucis dirimendi rem controversam methodos proponebant; ideoque methodistae dici consueverunt. In primis Adamus Contzen, ab an. 1642 Coloniae edidit discursuum theologico-politicorum libros 3, quorum primus pacificator Germaniae sive Irenicum de vera pace et concordia in Germania ineunda; alter pacificator orbis christiani sive de vera et falsa pace; tertius de concordia et pace Germaniae et de concilio generali instituendo inscriptus est. I. Massenius an. 1662 Coloniae edidit meditatam concordiam Protestantium cum Catholicis in una confessione fidei e s. Scriptura, et an. 1664 novam praxim orthodoxae fidei, sacris per octo dies exercitationibus discernendae, et amplectendae. Dionysius Werlensis, Capuccinus scripsit viam pacis inter homines per Germaniam in Fide dissentientes, an. 1686 Heldesiae in lucem emissam. De eadem re scripserunt Bertholdus Nihusius, Brunsvicensis, anno 1622 e lutherano catholicus, postea archiepiscopi Moguntini suffraganeus; Andreas et Petrus fratres de Wallemburgh Episcopi suffraganei, hic Moguntini, ille Coloniensis; Franciscus Veronius, Iesuita Gallus; cardinalis Richelieu, primarius Ludovici XIII regis Galliae administer; Paulus Pelisson, Gallus, e calvinista catholicus; iam laudatus Bossuetius, cuius expositio doctrinae catholicae in materiis controversis, gallice scripta et plurium cardinalium aliorumque praelatorum et ipsius Innocentii XI approbationibus decorata, haud paucos protestantes ad suscipienda catholica sacra permovit.

Praeter commemoratos Bertholdum Nihusium et Paulum Pelisson, alii plures hoc saeculo, relicta haeresi, ad catholicam fidem transierunt. Varii etiam viri principes ad Ecclesiae gremium reversi sunt, inter quos numerantur Wolfangus Guilielmus, dux Neoburgensis; iam commemoratus Ernestus, comes provincialis Hasso-Reinsfelsensis; Christianus Augustus, elector Palatinus, cuius exemplum sorores praeclarissimae secutae sunt; Christina regina Succiae; Fridericus Augustus, elector Saxoniae et anno 1697 rex Poloniae.

Ad conciliandam unionem inter Lutheranos et Calvinistas ardenter laboravit Ioannes Duraeus, natione Scotus et Elbingae in Borussia Scotorum et Anglorum praedicator, qui ab anno 1634 usque ad 1674 ad eam unionem promovendam multa itinera suscepit per Germaniam, Helvetiam, Bataviam, Daniam, Sueciam, aliasque terras; non tantum cum theologis, sed etiam cum principibus eorumque administris de unionis negotio contulit, et diversa scripta de hac re edidit. Haec illi erat mens, ut missis controversiis, doctrinae, in quibus utraque pars conveniebat, coniungerentur in commune symbolum, cui omnes acquiescerent. At irrita fuere Duraei conamina; quin imo multorum, maxime Lutheranorum, odium in se concitavit.

31. *Lites syncretisticae inter Lutheranos*— Celebres etiam inter novatores sunt lites syncretisticae, quibus priori huius saeculi dimidio ansam dedit Georgius Calixtus, proprie Callisson, an. 1586 natus in ducatu Slesvicensi et in religione lutherana institutus. Is post plura per terras catholicas et calvinianas itinera, e quibus eorum religiones accuratius cognovit, anno 1614 in Vniversitate Helmstadiensi theologiae professor factus, plura scripta theologica in lucem dedit, in quibus varias sententias novas, a lutheranorum placitis abhorrentes proposuit, atque se nimis ad unionem ecclesiarum propensum prodidit. Quin imo in pluribus doctrinis magis cum Calvinistis et Catholicis quam cum Lutheranis consentiebat. Docuit praeter s. Scripturam, traditionem, seu consensum Patrum quinque aut sex priorum Ecclesiae saeculorum, ceu normam credendorum et definiendarum fidei controversiarum tenendam esse; Pontifici Romano ex iure humano primatum in Ecclesia et supremam iurisdictionem in omnes patriarchas competere; Missam verum sacrificium tam pro defunctis quam pro vivis dici posse; hominem non sola fide iustificari; bona opera ad salutem esse necessaria et hominibus quodammodo vitam aeternam promereri; Deum

[1]) Bossuet, *Œuvres posthumes*, t. I, edit. 1742.

non nisi indirecte seu per accidens auctorem peccati dici posse; omnes ecclesias, quae tria antiquissima symbola et definitiones septem priorum conciliorum generalium accipiant, in fidei fundamento convenire, cum fundamentales fidei articuli omnes in istis symbolis et conciliis continerentur; haereses et discrepantes sententias, postea exortas, quamvis non contemnendas, tamen non magni esse momenti, proinde coniunctioni ecclesiarum dissidentium obesse non posse. Alia nonnulla asseruit, a Calvinistarum et Catholicorum aeque ac Lutheranorum sententiis aliena. Hanc Calixti libertatem non tantum theologi, sed etiam caeteri professores Helmstadienses susceperunt; contra plerique Lutherani, sic dicti orthodoxi, Calixtum eiusque asseclas ceu indifferentistas impugnarunt, et syncretistas appellarunt, quo nomine intelligebantur ii, qui, neglecta aut violata religionis veritate, ecclesias dissidentes unire tentabant [1].

32. *Lites Pietistarum. Spenerus* — Aliis litibus et motibus inter Lutheranos posterioribus huius saeculi annis ansam dedit Philippus Iacobus Spenerus, anno 1635 in Alsatia natus, et post munera scholastica atque ecclesiastica Argentini gesta, an. 1666 Francofordii ad Moenum senior ministerii evangelici factus. Quum enim inter Lutheranos magna esset morum corruptela, pietas passim negligeretur, et plerique in fide theoretica externisque divini cultus actibus quiescerent; praedicatores etiam a pietate longe remoti illa sola urgerent et in concionibus non nisi dogmatice et polemice versarentur, quod in Vniversitatibus ea tantum edocti fuissent, quae dogmaticam, polemicam ac homileticam respiciunt theologiam; Spenerus omnium horum reformationem desiderans, in sermonibus praeter consuetum morem s. Scripturae loca dictioni simplici accommodaret et ad practicos vitae usus transferre coepit. Ab an. 1670 plurium desiderio satisfaciens privatos domi suae conventus, deinde in ecclesia instituit, in quibus eadem ratione textus biblicos explanabat, viris praesentibus facultatem concedens suas desuper cogitationes et quaestiones proponendi. Quae omnia cum ad excitanda pia animi sensa fierent, isti conventus collegia pietatis dicti sunt. Anno 1675 librum vulgavit, qui inscriptus erat: *Pia desideria*. In eo non tantum descripsit praedictam morum corruptionem, sed etiam rationem, qua reformari posset, proposuit, nimirum emendationem institutionis theologicae et studii biblici, quod non tantum in apparatu philologico-critico-archaeologico, sed potius in meditatione et applicatione ad vitae usus consisteret; addidit, fidem theoreticam non sufficere, sed religionis caput in observandis mandatis consistere; instituenda esse collegia pietatis, qualia ipse formarat; praeter ordinatos praedicatores cuivis fideli, ingruente indigentia, munera spiritualia, praesertim institutionis, adhortationis, consolationis esse concedenda. Haec aliaque Speneri consilia multorum approbationem nacta sunt; isque an. 1686 praedicator aulicus et consiliarius ecclesiasticus Dresdae factus, effecit, ut illa executioni mandarentur. In variis Vniversitatibus praelectiones biblicae ad normam Speneri institutae sunt, pluraque pietatis collegia formata, quae a multis centenis theologis et civibus frequentabantur. Hi, cum a caeteris sic distinguerentur, singulari Pietistarum nomine compellebantur.

Verum haec Speneri reformatio acres et diuturnas inter Lutheranos lites et scissiones excitavit. Spenerus an. 1691 relicta Dresda, ivit Berolinum, ubi praepositus apud ecclesiam s. Nicolai et assessor consistorii factus, tum per se tum per imbutos a se discipulos, longe lateque reformationem pietisticam propagare studuit. Quum vero in scriptis suis alia nonnulla nova protulisset, etiam auctoritatem librorum symbolicorum deprimeret, multorum odium et invidiam in se suosque asseclas concitavit. Ad ea augenda contulit, quod inter Pietistas non pauci, vel animo vel phantasia excitati, nimium progredirentur. Sic in nonnullis collegiis ex licentia loquendi, omnibus data, turbae et contentiones acciderunt. In aliis Pietistae e superba suae sanctitatis opinione cum caeteris sacra frequentare nolebant. Nonnulli omnem doctrinam et constitutionem ecclesiae lutheranae mutatam volebant. Alii instaurato chiliasmo, novum regnum a Christo in terris condendum annuntiabant. Alii sacra publica, munus praedicatorum, philosophiam, theologiam, omnemque eruditionem, tanquam res verae pietati adversas, reiiciebant. Verumtamen Speneri consiliis effectum est, ut progressu temporis lutherana ecclesia in Germania no-

---

[1]) Hofman, *Lexicon haeresum*; Stockman, *Bibliotheca Germanica*; Walch, *Einleitung in die religions-streitigkeiten der evangelisch-lutherischen kirche.*

vam faciem, a priori multum dissimilem, induerit [1].

33. *Status ecclesiae Russicae* — Quantum ad statum ecclesiae Russicae pertinebat, is, qualem superius compositum descripsimus [2], deinceps perduravit. Subiecta erat Ecclesia Russica patriarchae Moscoviensi, qui a nullo alio dependebat et summa potestate rem ecclesiasticam gubernabat. Magna autem morum corruptela et ignorantia crassa apud Russos invaluerant, non tantum inter laicos, sed etiam inter clericos. Nulla apud eos habebantur colloquia de materiis religiosis, conciones nullae. Exceptis aliquot monachis et episcopis, quorum nonnulli pauca aliquot scripta, de religione tractantia, et non nisi minoris momenti composuerunt, caeteri fere omnes litterarum expertes erant, nihilque in iis requirebatur, nisi ut expedite legere et ritus sacros dextere peragere scirent. Inter laicos quam plurimi erant, qui ne quidem orationem Dominicam et symbolum Apostolicum memoria tenerent. Quum temporis lapsu in eorum libros sacros et liturgicos ignorantia aut oscitantia librariorum multa menda irrepsissent, patriarcha Nicon an. 1655 Moscoviae synodum congregavit, quae, adhibitis et collatis inter se quam pluribus vetustis codicibus, ex ecclesia Graeca allatis, libros sacros et liturgicos emendaret. Opus inde coeptum et sedulo continuatum, tandem an. 1666 in synodo generali absolutum est.

Hanc generalem synodum Alexius imperator celebrandam curavit contra patriarchae Niconis conamina ad regendas etiam res civiles. Congregata ea est ex omni clero ecclesiae Russicae, advocatis etiam tribus patriarchis ecclesiae Graecae, multis archiepiscopis et aliis praelatis. In hac synodo Nicon depositus et in coenobium relegatus fuit. Praeterea decretum est, ut deinceps patriarcha Russorum non a solis archiepiscopis, episcopis et clero, sed simul cum iis ab Imperatore et senatu eligeretur, et, si patriarcha officio suo deesset, ab Imperatore et senatu iudicaretur et debite castigaretur; ut patriarcha novos episcopos aut novas fundationes non crearet sine Imperatoris et senatus consensu; ut nemo deinceps bona sua monasteriis aut clericis venderet, donaret aut legaret. Quum neque his decretis ambitio patriarcharum Moscoviensium intra limites cohiberetur, primis annis saeculi sequentis caesar, Petrus I, cognomine Magnus, dignitatem patriarchicam abolevit et in eius locum pro regimine ecclesiastico instituit synodum perdurantem. Haec synodus composita est e praeside, quae dignitas reservata est caesari, vice praeside archiepiscopo, sex consiliariis episcopis, sex assessoribus archimandritis et aliquot laicis. Idem caesar diversas Europae regiones visitans, an. 1717 venit Parisios, ubi doctores Sorbonici cum eo contulerunt de unione ecclesiae Russicae cum Romana, eique libellum de hoc negotio obtulerunt. Is quidem promissa varia dedit, sed nihil effecit.

Porro occasione correctionis, sub Nicone patriarcha factae in libris sacris et ritibus, multi tum clerici tum laici se ab ecclesia, sic dicta orthodoxa, separarunt; ipsam religionem ab eo corruptam et veram ecclesiam apud se solos esse contendebant; omne commercium cum caeteris vitabant; conventus sacros privatim agebant; seipsos Starobriazos, idest homines antiquae fidei addictos, appellabant; ab orthodoxis vero Rascolnicae, idest schismatici, appellabantur. Orthodoxi graves persecutiones contra eos excitarunt, ut eosdem vel ad ecclesiam reducerent, vel extirparent; sed neutrum consecuti sunt. Rascolnicae potius in rabiem acti, in scelera prorumpebant. Quum regnante Petro caesare I, 300 eorum, ne comprehensi ad ecclesiam compellerentur, cum aede, in quam confugerant, se concremassent, ille ab eisdem vexandis abstinuit. Isti schismatici in Siberia erant frequentissimi; Cosaci ad Tanaim sedentes, fere omnes ad eos pertinebant; sed cum apud illos magna esset ignorantia, morum barbaries et superstitio, brevi in plures sectas abierunt [1].

Erant praeterea in imperio Russico multi Lutherani, Calvinistae, Mahomethani, Catholici latini et graeci ritus et Armenii, quibus omnibus libertatem religiosam concessit Petrus Magnus. An. 1720, postulante Leone Kiska, archiepiscopo Kiovensi et Graecorum unitorum totius Russiae metropolita, et annuente Clemente XI, Hieronymus Grimaldi, archiepiscopus Edessenus et Apostolicae Sedis in Polonia legatus, Zamoscii in Russia rubra synodum Graecorum-unitorum coëgit, cui praeter legatum, synodi praesidem, et Kiskam metropolitam, interfuerunt 7 episcopi, 8 archimandritae et plusquam 100 sacerdotes, regulares et saeculares. In ea post

---

[1]) Scriptores cit. — [2]) Vid. p. 159.

[1]) A. de Mayerberg, *Iter in Moscoviam anno 1661*, in-fol.; Bergius, *Exercitatio historico-theologica de statu ecclesiae et religionis Moscoviticae.*

factam Fidei professionem, ab Vrbano VIII pro Orientalibus editam, damnati sunt errores cuiusdam Philippi, hicque excommunicatus. Is inter alia docebat, personas divinas inter se esse essentialiter diversas; baptismum, nisi immersione collatum, non valere; praeter baptismum non dari sacramentum, nec Eucharistiam esse sacrificium; non conficiendas cruces Salvatoris ex argento, quum Christus in lignea mortuus esset. Praeterea in eadem synodo plura decreta sunt de praedicatione divini verbi, de catechismo, de administratione Sacramentorum, de morum reformatione, aliisque ad disciplinam ecclesiasticam pertinentibus. Quae omnia an. 1724 a Benedicto Pp. XIII confirmata sunt [1].

34. *Clemens XI, Pontifex* (*an.* 1700) — Post Innocentii Pp. XII obitum, Apostolica Sedes vacavit usque ad IX calendas decembris, qua die ad eam electus est Clemens XI, Vrbinas, antea appellatus Ioannes Franciscus cardinalis Albani, qui delatum sibi honorem prae humilitate toto triduo recusavit, donec divino illo, qui Ecclesiae suae semper adest, spiritu tactus studiis omnium cessit. Vir fuit genere, pietate, eruditione, animique constantia spectatissimus, qualem postulabat Ecclesiae status propter tot bellorum strepitus, quibus Europa agitabatur, et inter haereticorum molimina, quibus Ecclesiae doctrina vel auctoritas oppugnabatur. Eximiam eius virtutem admirati sunt heterodoxi ipsi Norimbergenses, celebraruntque aureis argenteisque numismatibus inscriptis nomine ipsius [2].

In primis Clemens XI nihil non conatus est, ut dissidia gravissima inter principes christianos exorta, quae mox in exitiale diuturnumque bellum exarserunt, componeret. Vniversa quippe Europa dissidiis inter domum Austriacam et Borbonicam de regno Hispanico et regionibus ad illud pertinentibus ab anno 1700 post obitum Caroli regis II agitata fuit, et principes inter se commissi. Anno quidem 1713 pax Vltraiecti conciliata et anno sequenti, Rastadii confirmata est, qua Philippo V Borbonico Hispania cum Indiis, Carolo VI imperatori regnum Neapolitanum cum ducatu Mediolanensi et provinciis Belgicis adscriptum fuit; sed an. 1717 Philippus V bellum instauravit. Anno 1725 iterum pax sancita fuit foedere Viennensi; at an. 1733 bellum resumptum est usque ad 1738, quo rursus pax confecta fuit Viennae. Clemens Pp. omnibus principibus ad pacem et concordiam hortator esse non destitit; plures inter se dissidentes, ultro saepe electus arbiter, conciliavit vel aliis placatiores reddidit; quorumdam vero amaritudinem, quorum desiderio ob plurium inter se pugnantium dissidentia vota satisfacere non potuit, patienter tulit.

Cum Leopoldo imperatore I expostulavit, quod contra fidem datam occasione belli, inter eum et Ludovicum XIV et Philippum V de regno Siciliae exorti, milites caesarei in provincias ditionis pontificiae irrupissent, pluraque mala earum incolis intulissent. Deinde ad refraenandam illorum licentiam exercitum conscriptum destinavit. Maiora litigia habuit cum Iosepho I, Leopoldi filio et an. 1705 successore. Hic edictum tulerat, quo omnes, qui iure conferendi beneficia ecclesiastica pollebant, adegit ad ea conferenda personis a se commendatis; resistentibus, praeter gravem indignationem, omnium privilegiorum et gratiarum privationem comminatus. Clemens Pp. contra noxias huiusmodi novitates reclamavit, datisque ad episcopos et capitula ecclesiarum Germaniae litteris ostendit, huiusmodi ius, quod preces primarias vocabant, nequaquam Imperatori competere, et concordatis, inter Nicolaum V et nationem Germanicam initis, esse contrarium. Alias praeterea doloris causas Iosephus I Pontifici praebuit. Eius copiae, Neapolim tendentes vel inde redeuntes, in provincias ditionis pontificiae irruerunt, easque oneribus et tributis gravarunt. Confestim Clemens Pp. datis ad Iosephum I litteris de hac re questus est. Imperator vero R. Ecclesiae omne ius feudale in ducatus Parmae et Placentiae denegavit, easque civitates, sicut etiam Comaclum, imperii feuda esse contendit. Pontifex, admonitionis et comminationis via frustra tentata, iura sua armis defendere constituit. Sed pluribus viris principibus se concordiae sequestres interponentibus, an. 1709 ea confecta est his legibus, ut imperator edicta adversus R. Pontificis iura refigeret, milites caesarei e provinciis R. Ecclesiae discederent, Pontifex exercitum nuper conscriptum dimitteret, Carolum archiducem, Iosephi fratrem, Hispanorum regem agnosceret, dissidia de Parma, Placentia et Comaclo a selectis utriusque partis viris pro rationum et monumentorum pondere ac praestantia componerentur. Clemens his conditionibus assensit secundum

---

[1]) *Synodus provincialis Ruthenorum*, Romae 1838, in-8°.

[2]) Sandini, *Vitae RR. PP.*; *Clemens XI.*

normam Constitutionis Clementis V caventis: « Si quem Summus Pontifex sub titulo cuiuslibet dignitatis ex certa scientia, verbo, constitutione vel litteris nominet, honoret seu quovis alio modo tractet, per hoc in dignitate illa ipsum approbare non intelligatur aut quidquam ei tribuere novi iuris ». Iosepho I an. 1711 defuncto, imperator electus est Carolus VI, eius frater, qui concordiam cum R. Pontifice integravit, huiusque elogium meruit.

Idem Pontifex aegre tulit dignitatem electoris imperii concessam haeretico duci Hannoverensi, et imperii consultum ea de re datum, ceu Religioni catholicae et Apostolicae Sedis iuribus adversum, improbavit. Gravate etiam tulit, Fridericum III, electorem Brandeburgicum, ex Imperatoris et principum consensu Borussiam in regnum erexisse, sibique insignia et titulum regis arrogasse; quod factum, tanquam iniuriosum Apostolicae Sedi et ordini Teutonico, ad quem antiqno iure Borussia pertinebat, tum in cardinalium consistorio tum in litteris ad christianos principes improbavit. Partes Friderici Augusti II, electoris Saxoniae et regis Poloniae, pro viribus defendit contra Carolum XII, regem Suecorum, qui Polonos ad deiiciendum Augustum et eligendum Stanislaum Leczinsky, palatinum Posnaniae, excitavit, et Poloniam in bellum civile, quod annis multis duravit, coniecit. Iacobo II, Anglorum regi, propter catholicae Religionis studium ab Anglis eiecto et in Gallia exuli, ampla munera misit, eiusque an. 1701 mortui viduam Mariam et filium Iacobum Walliae principem magno studio complexus est, huic consentaneam regio generi institutionem nuptiasque cum Clementina, regis Poloniae e filio nepte, procuravit, et nuptis, praeter dignum Romae palatium, annuum 12,000 aureorum proventum ex aerario Apostolico largitus est.

Quum Achemetes Turcarum sultanus anno 1715 bellum contra christianos principes, praesertim contra Venetos in Peloponeso et Hungaros instaurasset, Clemens XI et litteris et legationibus usus est, ut principes europaeos ad coniungenda arma contra communem hostem et ad conservandam a iugo ottomannico Europam excitaret. Confoederatis imperatori Carolo VI et Venetis ingentia pecuniarum et militum auxilia procuravit. Anno 1716 Eugenius, princeps Sabaudus, austriaci exercitus dux, ingenti praelio apud Petrovaradinum Turcas vicit et usque ad internecionem profligavit. Anno sequenti idem Eugenius alteram de iisdem victoriam retulit apud Taurunum, ubi Turcarum circiter 30,000 caesa sunt, ingens captivorum numerus, aerarium, plurima vexilla et tormenta bellica in potestatem Christianorum venerunt. Post quae Achemetes pacem postulavit, quae anno 1718 inter imperatorem, Venetos et sultanum conciliata fuit foedere Passarovitzico. Invicta Eugenii principis virtus a Clemente Pp. non tantum laudibus celebrata est, sed etiam galea et ense, sollemniter benedictis, cumulata secundum morem, quo RR. Pontifices ornare consueverunt egregios duces et christianae reipublicae defensores.

Praeter haec Clemens XI catholicae fidei per omnes, etiam remotissimas, orbis plagas propagandae, muniendae ac defendendae indefessus incubuit; haereticorum vero et schismaticorum contra catholicos molimina in Germania, Batavia, Gallia, Anglia, Syria, Moscovia et alibi praevertit et irrita reddidit. In pacificatione Ryswicensi, an. 1697 inter imperatorem, imperium, Bataviam, Galliae, Angliae et Hispaniae reges inita, sancitum fuerat, ut Religio catholica in imperii provinciis deinceps maneret integra in eo statu, quo tunc vigebat. Haeretici vero in Germania imperatorem improbe sollicitabant ad abrogandum istum pacificationis articulum. Eorum conatibus impigre restitit Pontifex. Id ipsum et alia plura in detrimentum catholicae rei tentarunt haeretici in comitiis, anno 1713 Vltraiecti inter principes europaeos institutis ad stabiliendam inter se concordiam. Illic etiam Clemens, tum litteris ad orthodoxos principes tum legatione ad ipsa comitia, illorum molimina inania reddidit. Anno sequenti in comitiis Badensibus pro stabilienda pace inter Ludovicum XIV regem Galliae et Carolum VI imperatorem habitis, Pontifex opera Dominici Passionaei, legati sui, novos haereticorum conatus repressit. In hac pacificatione non solum confirmati sunt articuli Ryswicenses, sed etiam Clementi archiepiscopo Coloniensi et Maximiliano Emmanueli utriusque Bavariae duci, S. R. I. principibus electoribus, pristina iura restituta; quaecumque occasione belli in catholicam Religionem, Ecclesiae libertatem et R. Pontificis potestatem attentari contigerat, abrogata; episcopatus Hildensis restitutus archiepiscopo Coloniensi cum omnibus suis praerogativis et iuribus, ut ea ante bellum episcopi eius praedecessores possederant; pactumque, ut in

regionibus, urbibus et locis, quae a rege Galliae cedebantur imperatori, universa, ad catholicam Religionem spectantia, in eo statu, quo ante bellum fuerant, immutata permanerent.

Nihil etiam intentatum reliquit Clemens XI, ut catholicorum conditionem in terris haereticorum allevaret. Honorifice excepit legatum Petri Magni, caesaris Russorum, ei significantem, liberum et publicum Religionis catholicae exercitium a caesare in universis amplissimae ditionis suae provinciis esse indultum; etiam concessum fuisse Capucinis, ut in urbe Moscha Ordinis sui monasterium fundarent; Iesuitis, ut templum domumque cum gymnasiis ad erudiendam litteris et christianis moribus iuventutem, construerent; et R. Ecclesiae missionariis, ut per Russiam libere tutoque in Sinarum imperium et alia orientalium Indiarum regna transirent. Pontifex, ut prospiceret Ruthenorum catholicorum utilitati, Leopoli in celeberrimo Russiae australis emporio domicilium extruendum curavit, in quo adolescentes sinceris doctrinis et moribus imbuti, in patriis deinde regionibus de catholicae fidei propagatione ac conservatione utili opera bene mererentur. Quum an. 1703 Dublini in Hibernia multa, tum civicis tum sacris Hibernorum catholicorum iuribus contraria fuissent decreta, iuramenta iniqua praescripta, Pontifex maximorum principum officiis omnique conatu usus est, ne Anna Stuarta, Iacobi II filia sed haeretica, quae an. 1702 in solium fuerat evecta, iniquas leges confirmaret; idque consecutus est, ut novarum legum rigor sensim mitesceret, eaeque pedetentim negligerentur. Cum in ducatu Barrensi et in Lotharingia Leopoldus Iosephus, utriusque regionis dux, novarum legum codicem, dictum Leopoldinum, praescripsisset, in quo plura continebantur, quibus ecclesiastica iurisdictio et libertas ipsaque suprema R. Pontificis potestas manifeste violabantur et evertebantur; Pontifex post diligentem istius codicis discussionem eumdem damnavit, episcopos Barri ac Lotharingiae vehementer hortatus est, ut inflictis Ecclesiae vulneribus mederentur, sacrasque immunitates et iura strenue tuerentur; demum a Leopoldo duce impetravit, ut emendato codice res in pristinum statum restituerentur. Petente Ioanne V, rege Lusitaniae, archiepiscopatum Olissipponensem in duos divisit, orientalem et occidentalem, posteriorem ad gradum patriarchatus cum multis praerogativis et honoribus evexit, eique tres Lusitaniae archiepiscopatus, Olissipponensem orientalem, Bracarensem et Eburianum subordinavit. Qua autem ratione Clemens XI libertatem ecclesiasticam defenderit in Sicilia, dicemus infra. Suis etiam locis videbimus quae egerit in causa Iansenistarum et in controversia de ritibus Sinensibus.

Interim in omnes, etiam remotissimas, regiones apostolicam sollicitudinem extendebat. In Perside catholicae fidei praecones peculiaribus litteris commendavit regi Hosaino, quem Schiach et Sultan vocant, et ab eodem Persis catholicis liberam religionis suae professionem impetravit. Vberes sibi evangelicae praedicationis fructus pollicitus in recens detectis vastissimi Sinarum oceani insulis, quas Palaosicas appellant, Philippum Hispaniae et Ludovicum Galliae reges hortatus est, ut missionariis, in eas insulas profecturis, navigia, commeatum aliaque, huic missioni necessaria, impertirentur. In imperium etiam magni Mogolis et in Tartariam sinensem Evangelii praecones misit. Monitus, in Chaldaeorum tractu, qui non exiguam Asiae maioris partem occupabat, latissimum propagandae orthodoxae fidei patere campum, multos, praesertim e Praedicatorum Ordine, viros, qui optata perficerent, eo destinavit. Selectos quoque orthodoxae fidei doctores misit in Ægyptum ad tentandam Coptorum seu Monophysitarum conversionem. Alios direxit in Æthiopiam. In Guineam itidem viros Ord. Praedicatorum, pietate et propagandae Fidei ardore repletos, destinavit, quorum opera ibi res catholica multifariam aucta est. Quum per adventum Francisci Ticinensis, Ordinis Capucinorum, qui in regno Congitano diuturnam apostolicis ministeriis operam impenderat, Religionis catholicae statum et incrementa in Congo et finitimis provinciis audivisset; Petro, supremo Congi domino, de ea re bene merito, regium diadema pretiosis ornatum gemmis misit. Brasiliensium aliorumque Americae populorum nunquam immemor, per certa annorum intervalla lectos ex Hispania et Lusitania viros ad illos destinavit, quo res christianae meliori semper loco starent.

Praeterea Clemens XI Pium Pp. V, Andream Avellinum, Felicem a Cantalicio et Catharinam Bononiensem inter Sanctos retulit; festum Immaculatae Conceptionis B. V. M. in tota Ecclesia celebrari iussit, eiusque sponsum s. Iosephum novo officio decoravit, quod ex aptis Librorum sacrorum ver-

bis ipse composuit. Vrbem multimodis ornavit. Graecae Latinaeque linguae peritia praestabat, veteresque imitatus Pontifices, laudatissimas homilias habuit ad populum, in quibus s. Leonis M. patroni sui gravem et robustam expressit eloquentiam, quae una cum suis allocutionibus consistorialibus, epistolis et Brevibus, studio cardinalis Albani nepotis eius edita sunt [1]. Hinc magna in eo fuit non Religionis modo, sed etiam literarum cura. Nam et Vaticanam Bibliothecam auxit manuscriptis linguarum exoticarum, exemplis undique petitis, et liberalium artium professores coluit, fovit patrocinio, decoravit honoribus. Vrbini quoque instituit publicam Bibliothecam in coenobio Conventualium. Illud quoque memoria dignum, quod pro Tribunali in aede Vaticana excepit Confessiones sacras, quod Nosocomia obivit, quod licet incommoda plerumque uteretur valetudine, omnes facile admisit, et infimis etiam patientes aures praebuit dicere solitus, *Principis esse omnia scire, non omnia exequi.* Qua facilitate urbanos externosque magistratus continuit in officio, atque effecit, ut nullo respectu rerum privatarum, quae semper offecere publicis, ius suum cuique tribuerent.—Tandem anno 1721 obiit, ab omnibus, solis Iansenistis exceptis, communi praeconio celebratus [2].

35. *Monarchia Sicula* — Pontificatum gerente Clemente XI, lis acris agitata est de apostolica regni Siculi legatione, quam Monarchiam Siculam vocabant. Contenderunt reges Siciliae, se vi diplomatis, ab Vrbano Pp. II dati, esse Sedis Apostolicae legatos natos et omnia posse, quae sunt de iure Legatorum a latere [3]. Ista Monarchia seu praesumpta legatio a rege translata est in regios ministros, qui illius tribunal componebant. Hoc tribunal sibi ius arrogabat causas et personas ecclesiasticas iudicandi et puniendi, excommunicandi et absolvendi quosvis laicos, monachos et clericos cuiuscumque dignitatis etiam episcopalis, impediendi appellationes ad Apostolicam Sedem, non admittendi eiusdem Sedis nuntios, neque ipsam Apostolicam Sedem respectu iurisdictionis ecclesiasticae recognoscendi, nisi in casu praeventionis. Eiusmodi res non minus clero et episcopis Siculis, quam Apostolicae Sedi iniuriosa et invidiosa erat. Iam cardinalis Baronius aliique deinceps viri

1) Romae 1729, 2 vol. in-fol.
2) P. F. Lafitau, *Histoire de Clement XI*, 2 vol. in 12°; S. Reboulet, idem, 2 vol. in-4°.
3) Cf not. 4 ad calcem p. 13.

eruditi multis animadversionibus diploma Vrbani II, quod an. 1513 I. L. Barberius primus in lucem protulit, suspectum reddiderunt; atque, admissa etiam eius authentia, ostenderunt, illud tantum fuisse concessum Rogerio comiti eiusque filiis seu haeredibus, proinde cessasse, dum regnum Siculum ad aliam transiit familiam; illud nullum vestigium dicendi iuris sacri et ecclesiastici prae se ferre, sed eas tantum partes, quae sunt principis Ecclesiae filii, Rogerio demandare, ut pro sua in Ecclesiam reverentia apostolicorum iussorum executionem curaret; post Vrbani II aetatem praecipuas R. Ecclesiae legationes in Sicilia a viris sacris fuisse peractas et Siculos more consueto ad Apostolicam Sedem provocationes instituisse [1].

Quum autem anno 1711 N. M. Tudeschi, episcopus Liparensis, quosdam officiales propter violatam immunitatem ecclesiasticam excommunicasset, et regii ministri praetextu Monarchiae Siculae excommunicatos absolvissent, Clemens XI, ab episcopo Liparensi interpellatus, impertitam a regiis ministris absolutionem propter defectum iurisdictionis nullam declaravit. Ii vero in sententia sua persistentes, carcere aliisque modis saevierunt in clericos Liparenses, qui excommunicatos ad sacra admittere nolebant. Pontifex huiusmodi causa indigne ferens, eorum auctores et cooperatores excommunicatione fulminavit. Administri regii his minime flexi, episcopos et alios, qui Pontifici parebant, carcere, contumeliis, exilio affecerunt. Quum igitur magistratus Siculi, Monarchiae praetextu, Apostolicae Sedis potestatem conculcare pergerent, Clemens XI, x° calendas martii 1715 Constitutione, *Romanus Pontifex*, praesumptam Monarchiam Siculam eiusque tribunal abolevit, litterasque ad episcopos Siculos dedit, quibus normam dirimendi deinceps causas, ad ecclesiasticum forum spectantes, praescripsit. Ab hac constitutione regii fisci procurator ad Pontificem melius instruendum et ad Apostolicam Sedem appellationem instituit. Anno 1718 Philippus V, rex Hispaniae, maxima Siciliae parte occupata, petentibus Siculis, cum Clemente Pp. XI consensit, ut omnes, qui propter obedientiam Apostolicae Sedi praestitam exilio aut munerum privatione fuerant affecti, restituerentur; censuris apostolicis perstricti post poenitentiam absolverentur, et ecclesiae sacris inter-

1) *Istoria della pretesa Monarchia di Sicilia*, Rom. 1715.

dictae, his redderentur. Quum postea regnum Siciliae recuperasset Carolus VI imperator, Benedictus Pp. XIII ad pacem et concordiam in eo firmandam Constitutione, *Fideli ac prudenti*, data III calendas septembris 1728, apostolicam Legationem in Sicilia principi, de Apostolica Sede et universa christiana republica bene merito, restituit, praecisis abusibus, eiusque usu ad iuris et rationis modum sapienter contracto [1]. Gregorius XVI et Pius IX nova mala inde manantia evellere incassum adnixi sunt [2]; donec alter, suis Apost. Litteris, *Suprema universi*, V cal. febr. 1864 datis, publicatis autem VI idus octobr. 1867, et *Multis Gravissimis*, eiusd. mens. et anni, Siculae Monarchiae tribunal, omniaque eius intuitu antea Siciliae Regibus concessa, prorsus delevit, facta per decennium illius regionis Episcopis facultate diversimode occurrendi fidelium necessitatibus.

36. *Ritus Sinenses et Malabarici* — Altera de ritibus Sinensibus his temporibus resuscitata est controversia, cuius originem praecedenti saeculo exposuimus [3]. Post Alexandri Pp. VII decretum concordia inter missionarios restituta fuerat, et perduravit usque ad annum 1693, quo Carolus Maigrot, seminarii Parisiensis, quod exterarum missionum vocant, alumnus, qui an. 1684 cum aliquot sociis in Sinas venerat et deinde Vicarius apostolicus provinciae Fokiensis creatus fuerat, contra ritus Sinenses mandatum dedit. In hoc mandato vicarius apostolicus praecipiebat, ut vocibus Tien (Coelum) et Xamti (supremus imperator) proscriptis, Deus voce Tienchu (coeli dominus) appellaretur; ut e cunctis ecclesiis auferrentur tabellae, quibus voces King-tien (coelum colito) erant inscriptae; declarabat, quaesita Alexandro Pp. VII proposita in multis rebus non esse veridica, proinde missionarios iis niti non posse ad permittendum usitatum apud Sinas Confucii et primogenitorum cultum; prohibebat, ne missionarii ulla de causa permitterent Christianis praeesse aut interesse sollemnibus caeremoniis, quae bis quotannis ad honorem Confucii et defunctorum progenitorum fiebant; missionarios vero, qui his regulis morem gerere detrectarent, post duos menses facultatibus, a se vel quocumque alio vicario aut provicario concessis, privatos declarabat.

Tunc, rupta concordia, lis inter missionarios renata est. Maigrot mandatum suum Romam misit cum litteris ad R. Pontificem quibus ea, quae mandato suo prohibuerat, ceu superstitiosa et idololatrica exposuit. Quum hoc cognovissent Iesuitae, confestim Pontifici obtulerunt libellum supplicem, in quo declarabant et contestabantur, missionarios suos in Sinis nunquam christianis novellis permisisse usum caeremoniarum cum circumstantiis in mandato et litteris Maigrotii expositis, sed solummodo prout illae fuerant expositae et permissae in decreto s. Congregationis, dato an. 1656. Ex hoc tempore lis de eadem re in ipsa Europa acriter agitata est. Societatis Iesu hostes hanc ansam deprimendi et proscindendi eam avide arripuerunt, praecipue Iansenistae; qui id maxime efficere conabantur, ut irritato Alexandri VII de ritibus Sinensibus decreto, alterum etiam de Iansenii doctrina antiquaretur.

Innocentius XII an. 1699 novam rei controversae discussionem commisit selectis viris s. Officii seu Inquisitionis. Interim Iesuitae, qui Pekini degebant, ab ipso imperatore clarum et expressum testimonium postularunt de ratione, qua Sinenses Confucium et progenitores defunctos colerent, coelo litamen facerent et vocibus Tien, Xam-ti, King-tien uterentur. Is declaravit, Confucio cultum exhiberi, non ad petenda ab eo bona, ingenium aut dignitatem, sed dumtaxat propter praeclara, quae ut hominum magister reliquerat vitae documenta; caeremonias fieri erga maiores defunctos ad significandum suum erga parentes amorem et filialem observantiam, non vero ad postulandum aliquod auxilium; defunctorum tabellas erigi, non ea mente ut eorum animae in istis tabellis residere crederentur, sed ut hoc signo exteriori eis gratiae agerentur et eorum memoria refricaretur, perinde ac si praesentes essent; ritum litaminis, quod erga coelum fiebat in suburbano terrae aggere, haud tribui coelo coeruleo ac materiali, sed primo coeli, terrae ac omnium rerum principio, domino ac rectori seu Xamti, huncque modo Xamti, coeli dominum, modo Tien, coelum vocari; non secus ac imperator et *summus dominus*, et *imperialis aula*, et aliis nominibus apud Sinas vocari consuevit: quare nominibus variis una et eadem res significabatur, huncque esse verum sensum vocum King-tien. Hanc imperatoris declarationem principes e colaorum ordine et primi in imperio ministri suo testimonio confirmarunt. Praeterea episcopi Nankinensis, Ascalonensis, Andrevillanus et Macaënsis, considerantes, in quantum discrimen Religio

[1] Guarnacci, *Vitae et gesta RR. Pontificum*.
[2] Cf cit. not. 4 ad calcem p. 13.
[3] Cf p. 209.

christiana proscriptis ritibus, in Sina coniiceretur, Romam legarunt F. Noël et C. Castner, Iesuitas, qui eorum nomine accusationibus a Maigrotio excitatis satisfacerent.

Isti Romam venerunt an. 1700, quo Innocentio XII successit Clemens XI. Hic controversiae discussionem sub decessore suo coeptam prosecutus est. Quaestionibus formandis praeerant quatuor, ut aiunt, qualificatores, omnes aut generales aut commissarii religiosorum Ordinum. Praeterea Clemens XI anno 1701 C. T. de Tournon, Pedemontanum, creavit patriarcham Antiochenum, commissarium et Visitatorem apostolicum cum potestate legati a latere in Sinis et Indiis orientalibus. Hic anno sequenti, priusquam s. Officium sententiam de ritibus dedisset, Roma profectus, quum in Malabariam venisset, an. 1704 IX calendas iulii Pondicherii, auditis et consultis missionariis Iesuitis, decretum dedit de ritibus et usibus Malabaricis, in quo constituit, ut in administrando baptismo non omitterentur sacramentalia; baptizato imponeretur nomen alicuius Sancti; collatio baptismi infantibus non protraheretur; matrimonia non permitterentur contrahi inter infantes 6 vel 7 annorum, ut moris erat; mulieres in signum matrimonii ex collo pendentem non deferrent Tally seu auream tesseram, quae prae se ferebat imaginem Pyllaiaris, idoli nuptiis praepositi, neque funiculum centum et octo filorum; nuptiarum ritus ab omni superstitione expurgarentur; mulieres causa menstruorum non arcerentur a sacramentis; omnibus, etiam pareis seu infimae conditionis hominibus, spiritualia subsidia etiam in eorum domibus praestarentur; Constitutioni Gregorii XV circa lavacra et ablutiones ipsi obnoxii essent missionarii; Christiani tibiis aliisve musices instrumentis, nec in pagodiis nec extra, occasione sacrificiorum aut alterius sollemnitatis superstitionem sapientis sonarent vel canerent. Huius decreti exempla Tournonius misit ad patrem provincialem aliosque superiores Iesuitarum in Madurensi, Carnatensi, aliisque Indiarum orientalium regnis, illudque observandum mandavit sub poena excommunicationis quantum ad provinciales et superiores, et suspensionis quantum ad subditos spectabat, donec aliter ab Apostolica Sede vel a se eiusdem auctoritate fuerit provisum. Eiusdem decreti exemplum misit ad Clementem XI, qui illud in generali congregatione, VII idus ianuarii 1706 habita, ratum habuit et in omnibus observandum mandavit, hac tamen addita clausula: « Donec aliter a Sede Apostolica provisum fuerit, postquam eos audierit, si qui erunt, qui aliquid adversus contenta in huiusmodi decreto afferendum habuerint ».

Tournonius, rebus in Malabaria constitutis, Pondicherio solvens, sub finem an. 1704 in Sinas contendit, et VI idus aprilis anni sequentis Cantonem appulit, ubi integro anno moratus est. Iesuitae Pekinenses ad eum transmiserunt libellum, in quo totius controversiae initium, progressus et causas, imperatoris characterem, palatinorum ingenia, gentis mores, et qua ratione cum eis agendum esset, exposuerunt. Ascalonensis etiam episcopus eidem significavit quanta detrimenta christianae Religioni e proscriptis ritibus obvenirent. Legatus opera Iesuitarum facultate veniendi Pekinum ad imperatoris praesentiam accepta, sub finem anni 1705 eo pervenit. Imperator legatum honorifice excepit; at ubi eum caeremoniis imperii contrarium novit, eumdem abiecit; C. Maigrot, vicarium apostolicum provinciae Fokiensis, qui antea ritus Sinenses prohibuerat, imperio exire iussit, legemque dedit, qua omnes missionarii, qui legibus seu ritibus istis adversarentur, imperio exire iubebantur; legatum vero dimisit Nankinum.

Interea sacrae Inquisitionis officium post plures congregationes et discussiones de praesenti controversia secundum mandati Maigrotii articulos respondit, repulsis vocibus Tien et Xam-ti, vocem Tienchu ad significandum Deum esse retinendam; prohibendum esse usum tabellarum cum inscriptione: King-tien; non licere christianis praeesse, ministrare aut interesse sollemnibus oblationibus, quibus in utroque anni aequinoctio Confucios et defunctos honorabant, neque iis caeremoniis, quae eidem Confucio a mandarinis et litteratis exhiberi solebant; non permittendum christianis, ut coram progenitorum tabellis, aedibus aut sepulcris oblationes aliosve ritus aut caeremonias, ut in quaesitis expositum erat, peragerent aut eis interessent; non vetari tamen christianis praesentiam seu assistentiam mere materialem, dum gentiles eas caeremonias peragebant, citra ullam gestorum approbationem et omni excluso ministerio, quum aliter odia et inimicitiae vitari non possent, facta tamen fidei protestatione et cessante subversionis periculo; similiter non vetari, quominus erga defunctos peragerent ea, quae vere superstitiosa non essent nec superstitionis speciem prae se ferrent, quae patriarchae Antiocheni et episcoporum atque vicariorum apostolicorum istarum partium iudicio discer-

nenda erant. Haec responsa Clemens Pp. XI xii° calandas decembris 1704 confirmavit et Tournonio, patriarchae Antiocheno, commissario et visitatori apostolico in Sinis et Indiis orientalibus, transmitti mandavit una cum congrua instructione, ut tum ipse tum reliqui archiepiscopi, episcopi, aliique, sive visitatoris, delegati seu vicarii apostolici munere fungentes, laudata responsa ab omnibus cuiusvis Ordinis missionariis, et universis Christifidelibus servari curarent.

Tournonius his acceptis, VIII calendas februarii 1707, Nankini decretum publicavit, quo sub poena excommunicationis sententiae latae et Apostolicae Sedi reservatae, omnibus et singulis episcopis, vicariis apostolicis, locorum ordinariis, missionariis et presbyteris saecularibus ac regularibus praecepit, ut de praedictis caeremoniis interrogati, responderent, eas non esse licitas, utpote Apostolicae Sedis decreto, dato XII calendas decembris 1704, prohibitas. Inde factum est, ut multi missionarii secundum praedictam ab Imperatore legem imperio exire cogerentur. Episcopi et vicarii apostolici a legati decreto appellarunt Apostolicam Sedem, miseruntque Romam p. Provanam iesuitam, qui an. 1709 Clementi XI duos libellos supplices obtulit. Pontifex, utroque libello Officio Inquisitionis tradito, auditisque cardinalium sententiis VII calendas octobris 1710 decrevit et declaravit, responsa s. Congregationis, a se XII calendas decembris 1704 confirmata, et decretum a Legato suo Tournonio VIII calendas februarii 1707 editum, ab omnibus et singulis, ad quos spectabat, sub censuris et poenis, in eo expressis, esse observanda. Tournonius ab imperatore relegatus Macaum ad Lusitanos, ab his custodiae traditus et ab episcopo Macaiensi omni potestatis ecclesiasticae exercitio interdictus, obiit ibidem an. 1710, paulo antea R. E. cardinalis renunciatus.

Priusquam decreta, a Clemente XI anno 1710 data, in Sinas essent perlata, rumor varius de iisdem sub finem anni 1712 ibidem ortus est: alii dicebant, resposa s. Congregationis, an. 1704 data, a R. Pontifice esse suspensa; alii minus legitime promulgata; alii conditioni obnoxia, ideoque obligationem non inducentia antequam conditiones compertae haberentur; alii spem novae ac lenioris declarationis pontificiae praetexebant; alii tam diu expectandum suadebant, donec decreta Roma forent adlata.

Quum haec accepisset Clemens XI, xiv° calendas aprilis 1715 Constitutionem edidit, *Ex illa die*, qua ad tollenda e medio cuncta subterfugia, tergiversationes et praetextus, omnibus et singulis episcopis, vicariis apostolicis, missionariis saecularibus ac regularibus in Sinensi imperio et regnis ac provinciis finitimis sub poenis gravissimis, sibi reservatis, praecepit, ut responsa data an. 1704, quae recenset, inconcusse et integre observarent, atque ab eis, quorum cura ad illos spectabat, observari curarent, omnibus contraveniendi praetextibus, titulis aut coloribus reiectis. Sub eisdem poenis praescripsit cunctis missionariis, in istas regiones transituris, iuramenti formulam, qua se hanc constitutionem eiusque praescripta exacte observaturos promittebant. Hanc constitutionem cum Castoranus, Ord. s. Francisci missionarius et episcopi Pekinensis vicarius, in tribus ecclesiis Pekini perlegisset, in vincula coniectus fuit, ulterior istius constitutionis publicatio prohibita, Religio christiana in discrimen adducta, discordia inter missionarios continuata. In hoc rerum statu Clemens XI an. 1719 Ambrosium *Mezzabarbam* seu Mediobarbum creavit patriarcham Alexandrinum et Visitatorem apostolicum cum potestate Legati a latere pro Sinarum imperio aliisque finitimis Indiarum orientalium regnis. Hic quum anno 1721 Pekinum pervenisset, ab imperatore petiit, ut Sinensibus christianis decreta pontificia, ad ritus pertinentia, observare, sibique supremam missionariorum directionem gerere liceret. Vtrumque negavit imperator. Vnde Mezzabarba relicto Pekino, reditum in Europam suscepit. Cum Macaum esset regressus, ut afflictis rebus christianis aliquam adferret medelam, pridie nonas novembris 1721 litteras pastorales condidit, quibus se Constitutionem pontificiam an. 1715 quidem in suo vigore relinquere, quaedam tamen propter dubia, circa quasdam caeremonias peragi consuetas inter missionarios orta, Sinensibus christianis permittere, declaravit.

Anno 1722 obiit imperator Cang-hi. Eius filius et successor Yong-tching, qui alioquin christianis parum favebat, a prorege provinciae Fokiensis, aliisque excitatus secundum arbitrium supremi rituum tribunalis in toto imperio Religionis christianae exercitium proscripsit, missionarios, exceptis Iesuitis qui in aulae obsequiis erant, Macaum relegavit, principes christianos, eodem secum sanguine procreatos, bonis spoliavit, in exilium et carceres coniecit. Cum mandarini legem impera-

toris severe urgerent, christiani multifariam vexati sunt, eorum ecclesiae vel destructae vel profanatae, non pauci a Fide defecerunt, plures ad eamdem suscipiendam parati, id efficere metuerunt. Iesuitae Pekinenses perperam tentarunt imperatorem ad benigniorem in christianos animum revocare. Quum is praecipue christianis exprobraret, quod consuetudinibus imperii adversarentur et progenitorum suorum essent immemores, varii missionarii temperamentis seu concessionibus Mezzabarbae legati usi sunt. Quin imo episcopus Pekinensis anno 1733 cunctis missionariis, qui adhuc in sua dioecesi clam agebant, earumdem concessionum usum sub depositionis poena praescripsit. Alii vero cum Castorano, episcopi Pekinensis Vicario generali, illas concessiones, utpote Constitutioni *Ex illa die* adversas improbabant. Clemens Pp. XII de his missionariorum dissidiis certior factus, VI calendas octobris 1735 Apostolico Brevi mandatum episcopi Pekinensis irritum declaravit, sibique et s. Sedi reservavit facultatem Sinensibus christianis indicandi suam et s. Sedis mentem post maturam deliberationem de iis aliisque ad huiusmodi materiam spectantibus.

Interim quam diu imperavit Yong-tching, missionariis Macaum relegatis, exceptis paucis, qui in latibulis manere cogebantur, aditus in imperium diligenter interclusus est. Nec sub Kien-long, qui illi an. 1735 in imperio successit, christiani eorumque missionarii melius habiti sunt; contra multigenis modis exagitabantur; ipsi Iesuitae Pekinenses clausis templorum ianuis Religionis mysteria celebrare cogebantur; caeteri vero missionarii, qui aut latebant aut Macao clam in suas provincias penetrare potuerant, interdiu absconditi, noctu collectis tacite christianis in vilissimis ergastulis aut navibus sacra ministrabant; comprehensi longo carcerum squalore, postea etiam morte afficiebantur; ubi vero de eorum praesentia erat suspicio aut indicium, praefecti christianos promiscue in iudicium vocabant, quaestionibus, verberibus et cruciatibus afficiebant, ut Religionis ministros proderent. Haec persecutio quamvis multos in Fide roboraret, multis etiam ab ea deficiendi occasio extitit; nec ulla quidem erat ex imperii provinciis, quae non referret tristissima accisae rei christianae vestigia.

Talis fuit Religionis status in Sinis usque ad annum 1742, quo Benedictus Pp. XIV edita Bulla, *Ex quo singulari*, post expositam totius controversiae originem et progressionem, ritus Sinenses et permissiones a Mezzabarba concessas, sollemni verborum forma proscripsit, et ad excludendas tergiversationes ac subterfugia, omnibus, qui sacris missionibus in Sinis operam darent et deinceps daturi essent, novam iurisiurandi formulam de hac sua constitutione integre et inviolabiliter observanda sub gravissimis poenis praescripsit. Sic tandem lis Apostolicae Sedis iudicio finem accepit. Sed persecutio in Sinenses christianos iam excitata, vehementius exarsit, ut postea videbimus.

De ritibus etiam Malabaricis lis annis multis agitata est. Postquam enim Clemens Pp. XI, VII° idus ianuarii 1706, decretum Tournonii de iisdem approbasset cum certa clausula, ut supra vidimus [1], post paucos annos rumor per Indias increbuit, Pontificem decretum istud revocasse et nonnullas e caeremoniis, in eo proscriptis, approbasse. Quapropter Pontifex an. 1712 authenticum exemplum decreti sui cum litteris in forma Brevis misit ad episcopum Meliapurensem, ut ei aliisque episcopis et missionariis constaret, quae eo usque esset Apostolicae Sedis mens de Tournonii decreto. Quum tamen plures litteras ex Indiis contra decreti Tournonii rigorem accepisset, varios etiam missionarios audivisset, controversiam ab origine repetendam et discutiendam iudicavit, hocque negotium commendavit doctissimo Lambertini, s. Generalis Inquisitionis consultori. Rem prosecutus est eius successor, Innocentius XIII, sed et ipse, priusquam ea esset perfecta, obiit. Benedictus XIII, illius successor, controversiae finem constituit per litteras in forma Brevis, sub finem an. 1727 ad universos episcopos et missionarios regnorum Madurensis, Mayssurensis et Carnatensis datas, quibus decretum Tournonii confirmavit et observandum praecepit.

Verum qui ab initio Tournonii decreto adversati fuerant, Clementi XII, qui an. 1730 Benedicto XIII successerat, declararunt, nihil sibi aut episcopis et missionariis Indiarum de confirmatione et litteris Benedicti Pp. XIII fuisse legitime denunciatum; impetraruntque, ut causa rursus s. Officii examini et cognitioni subiiceretur. Post varias Congregationes, in quibus utriusque sententiae patroni auditi sunt, s. Officium Tournonii decretum maiori parte confirmandum, nonnulla moderanda, explicanda aut aliqua ex parte remit-

---

[1]) Vid. p. 232.

tenda censuit. Has sententias Clemens XII IX° calend. septembr. 1734 confirmavit, inseruitque litteris apostolicis in forma Brevis, quibus Madurensibus, Mayssurensibus et Carnatensibus episcopis ac missionariis mandavit, ut lata a se decreta tum ipsi religiose observarent, tum ab aliis omnibus diligenter observari curarent. Pontificis litterae in Indiarum regnis publicatae et a missionariis subscriptae sunt. Cum tamen audivisset Clemens XII, quod quidam contra facere auderent, III idus maii 1739 aliis litteris episcopis et missionariis in regnis Indiarum orientalium Madurensi, Mayssurensi et Carnatensi sub gravioribus poenis praecepit, ut decreta sua observarent, nullusque apostolico munere fungeretur, qui iureiurando, cuius formulas praescribebat, se eis obtemperaturum non promiserit. Omnes episcopi et missionarii imperatis a Pontifice obtemperarunt. Quod cum e certis documentis cognovisset Benedictus XIV, Clementis XII successor, pridie idus septembris 1744 Constitutionem edidit, *Omnium sollicitudinum*, qua controversiae origine, progressu, Tournonii, suorumque decessorum decretis expositis, ad reliquas adhuc dubitationes et propositas quaestiones dedit resolutiones et responsiones congruas [1].

37. *Lites Iansenisticae*—Lites autem Iansenisticae, ab annis aliquot in Gallia sopitae, ineunte hoc saeculo revixerunt. Quidam sacerdos 40 doctoribus Sorbonicis proposuit casum conscientiae, a Iansenistis, ut dicitur, confictum: quo quaerebatur an in sacro confessionis tribunali absolvere liceret clericum, qui confiteretur, se 5 propositiones Iansenii damnare, quemadmodum eas damnarat Ecclesia, quantum autem ad factum spectat, an sensu damnato in libro Iansenii contineantur, se non nisi religiosum observare silentium. Doctores Sorbonici responderunt, huiusmodi clericum esse absolvendum. Hoc responsum, an. 1702 typis vulgatum, Iansenistarum audaciam auxit, eoque ad eludendas Constitutiones Apostolicas usi sunt. Clemens Pp. XI an. 1703 sententiam Sorbonistarum proscripsit. Eamdem sententiam Cardinalis de Noailles, archiepiscopus Parisiensis, aliique multi episcopi Galliae, theologi etiam Duacenses et Lovanienses censuris variis notarunt. Ipsi doctores Sorbonici a Ludovico rege XIV decisionem suam revocare coacti sunt, quod reipsa, uno excepto Petit-pied, fecerunt.

Quum vero Iansenistae continuo contenderent, circa factum sufficere religiosum seu obsequiosum silentium, hacque via Constitutiones apostolicas eluderent, doctrinam Iansenianam in corde suo retinerent et clam disseminarent; Clemens XI, a Galliae rege et episcopis nonnullis rogatus, an. 1705 Bullam edidit, *Vineam Domini Sabaoth*, in qua Constitutiones Innocentii X et Alexandri VII confirmavit, litteras Clementis IX et Innocentii XII, in forma Brevis datas, a falsis Iansenistarum interpretationibus vindicavit, doctrinam in relato casu conscientiae expressam, damnavit, declaravitque, « obsequioso illo silentio minime satisfieri obedientiae, quae praeinsertis constitutionibus debetur; sed damnatum in 5 praefatis propositionibus Iansenii libri sensum, quem illarum verba prae se ferunt, ut praefertur, ab omnibus Christifidelibus ut haereticum non ore solum, sed et corde reiici ac damnari debere; nec alia mente, animo aut credulitate supradictae formulae subscribi licite posse ». Haec Bulla eodem anno a clero Gallicano in comitiis generalibus et a Sorbona acceptata, a curiis regni in catalogum legum publicarum relata, et ab episcopis, uno excepto Pontiopolensi, publicata est. Eadem bulla subscribenda proposita fuit monialibus Portus-Regii, quarum coenobium erat praecipua refractariorum sedes et quasi centrum. Cum vero istae moniales in sua contra constitutiones apostolicas rebellione pertinaces, bullae Clementis non nisi cum restrictione, salvis nempe iis, quapro se in pace Clementina fuerant decreta, subscribere vellent; earum monasterium regis mandato et archiepiscopi Parisiensis, Cardinalis de Noailles, assensu, anno 1709 abolitum et destructum est; ipsae vero per diversa coenobia dispersae sunt, in quibus melius edoctae intra 4 annos, una excepta, se Constitutionibus Apostolicae Sedis submiserunt.

Quum autem Ludovicus XIV neminem Constitutionibus apostolicis aperte refragari ferret, plures refractarii, maxime eorum coryphaei, confugerunt in Belgium, neque in eo secure agentes, transierunt in Bataviam seu Hollandiam, ubi triste schisma inter catholicos excitarunt. In hac regione catholici hactenus praeclara exempla constantiae in Fide ac pietatis et reverentiae in Apostolicam Sedem dederant. Prima schismatis semina

---

[1]) Natal. Alexand., *Hist. eccl.*, Supplem. t. II, diss. 4; Georg. Pray, *Hist. controvers. de ritibus Sinicis*; Mamachi, *Origin. et antiquit. christ.* l. II.

sparsit Ioannes de Neercassel, Gorcomiensis, Oratorii Parisiensis presbyter et ab an. 1663 episcopus Castoriensis atque vicarius Apostolicus in Hollandia; qui quamvis Romae formulario Alexandri VII subscripsisset, Iansenianae factionis coryphaeis familiariter usus est. Schisma consummatum fuit sub eius successore, Petro Coddeo seu Codde, qui Amstelodami natus, e presbytero Oratorii an. 1686 archiepiscopus Sebastenus et Ioannis de Neercassel in Vicariatu apostolico successor, cum Iansenistis in has regiones profugis, praesertim cum P. Quesnel singularem amicitiam coluit, formulario Alexandri VII subscribere renuit, illorum novitates, doctrinam et disciplinam suscepit, et tum in clero tum in populo firmare studuit. Romam vocatus, an. 1702 ab officio vicarii apostolici suspensus et an. 1704 depositus fuit. Attamen iam multi e catholicis, etiam e clero, erant Iansenismo infecti, qui Coddeum, etsi depositum et interdictum, tanquam episcopum suum venerati sunt. Novus vero Vicarius apostolicus, quem R. Pontifex in locum Coddei constituerat, a magistratu civili muneris sui exercitio prohibitus, imo postea ex Hollandia relegatus est. Coddeus obiit an. 1710, sed cum eo schisma minime extinctum est, ut infra videbimus.

Inter refractarios, in Hollandiam profugos, notissimi sunt Ægidius de Witte et Paschasius Quesnel. Prior patria Gandavensis et quondam B. Mariae Mechliniae pastor, coeco furore causam Iansenianam propugnavit, et in Constitutiones apostolicas, praesertim in Bullam, *Vineam Domini*, invectus est. Testantur id scripta eius, inter quae praecipua sunt panegyris Ianseniana et denunciatio Bullae *Vineam Domini Sabaoth*, facta universae Ecclesiae [1]. Quesnel Parisiensis et Oratorii Parisiensis presbyter, quum fidei formulae, a sua Congregatione iansenianis erroribus oppositae, subscribere nollet, ad deserendam patriam compulsus, an. 1685 confugit Bruxellas in Belgio. Hic quidem occulte, in Hollandia liberius rem iansenianam promovere, clerum et populum a debita Sedi Apostolicae et episcopis obedientia abstrahere et calamo et opere conatus est. Anno 1703 iussu Philippi V, regis Hispaniae, et Humberti de Precipiano, archiepiscopi Mechliniensis, interceptus, custodiae mancipatus est. Non multo post amicorum ope e custodia ereptus, confugit in Hollandiam, ubi an. 1719 decessit[1].

38. *Bulla Vnigenitus* (*an.* 1713) — Gravissimus porro litibus et motibus causam dedit liber Quesnelli, gallice scriptus sub titulo: *Novum Testamentum cum annotationibus moralibus super quemlibet versum*. Opus primum comparuit an. 1671, multisque propter pietatis speciem et dictionis elegantiam placuit. Prae caeteris de Noailles, tunc episcopus Catalaunensis, illud tum clero tum populo commendavit. Alii vero in eodem libro haud paucas assertiones erroneas et noxias, speciatim Iansenismo affines, deprehendebant. Lis aucta est, quum de Noailles, factus archiepiscopus Parisiensis, an. 1699 opus Quesnelli, a se correctum, denuo typis mandari curavit. Contra episcopus Vapincensis an. 1703 illud dioecesanis suis prohibuit. Crescente lite, Clemens Pp. XI opus a selectis censoribus discuti iussit, et an. 1708 secundum unanimem eorum sententiam Breve, *Vniversi*, emisit, quo librum Quesnelli damnabat, et ne quis eum legeret aut venderet, sub poena excommunicationis maioris interdicebat, affirmans in eo doctrinas et propositiones seditiosas, temerarias, perniciosas, erroneas, iam damnatas et haeresim Iansenianam manifeste sapientes, passim occurrere. Secundum Pontificis Breve episcopi Rupellensis et Lucionensis iunctis consiliis litteras pastorales ediderunt, quibus Quesnelli liber ut perniciosus proscribebatur. Contra Cardinalis de Noailles, archiepiscopus Parisiensis, an. 1710 mandatum edidit, quo Litteras pastorales duorum istorum episcoporum censura notavit, earumque lectionem suis interdixit. Ludovicus XIV aliique summae auctoritatis viri utramque partem inter se conciliare frustra conati sunt.

Clemens XI, pastoralis curae suae stimulis, frequentibus orthodoxae fidei zelatorum querelis, complurium episcoporum Galliae ipsiusque regis litteris et precibus permotus, dissidiis obviam ire decrevit. Nihil opportunius ac salubrius a se praestari posse arbitratus, quam ut fallacem libri doctrinam, antea generatim dumtaxat indicatam, pluribus ex eo singulatim excerptis proposi-

---

1) Reliquit praeterea versionem flandricam N. Testamenti, quae multorum censuram meruit.

1) D' Avrigny, *Mémoires pour servir à l' Hist. eccl.*; Hoynck van Papendrect, *Historia eccl. Vltraiectinae a tempore mutatae religionis in foederato Belgio*, Mechlin. 1725, in-fol.; L. Mozzi, *Histoire des révolutions dans l' èglise d' Vtrecht*, traduite de l'italien, Gand 1828, 3 vol. in-8°.

tionibus distinctius explicaret, rem commisit congregationi 5 Cardinalium et 6 theologorum ac iurisconsultorum. Haec 101 propositiones, e libro Quesnelli excerptas, maxima diligentia ac maturitate, omnique studio ac labore, prout rei gravitas exposcebat, multis an. 1712 et sequenti habitis consultationibus, discussas et cum ipso libri textu accuratissime collatas, reprobandas sub variis respective censuris censuit. Quapropter Clemens XI, vi° idus septembris 1713, edidit Bullam *Vnigenitus Dei Filius*, qua propositiones illas, verbotenus allegatas, in globo sub variis respective censuris, quarum saltem aliquam singulae mererentur, damnavit, scilicet tanquam respective falsas, captiosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, scandalosas, perniciosas, temerarias, Ecclesiae eiusque praxi iniuriosas, etiam in potestates saeculi contumeliosas, seditiosas, impias, blasphemas, suspectas de haeresi ac haeresim ipsam sapientes, haeresibus et schismati faventes, haereticas, variasque haereses, potissimum eas, quae in famosis Iansenii propositionibus continebantur, manifeste innovantes.

Pontificis bullam omnes ubique episcopi debita cum obedientia et tanquam dogmaticum Ecclesiae iudicium susceperunt. In sola Gallia pauci eidem refragati sunt, quorum haesitatio vel pertinacia novatorum animos ita extulit, ut incredibili audacia constitutionem pontificiam perverse interpretari et incessere, pravaeque etiam doctrinae et errorum insimulare non erubuerint. Ludovicus XIV Bullam eodem anno, quo edita est, proposuit 48 episcopis Parisiis congregatis, eamque 40 ex iis incunctanter acceptarunt; reliqui 8, quorum dux erat Cardinalis de Noailles, archiepiscopus Parisiensis, contestati sunt se, quum propositiones damnatae etiam in bonum sensum accipi possent, non nisi sub certis conditionibus, quibus perversus earum sensus definiretur, Bullam acceptare posse; litterasque ad Pontificem dederunt, ut ipse eiusmodi explicationes ederet, et simul singulis propositionibus convenientem censuram adiungeret. His 8 episcopis deinceps 6 aut 7 alii se iunxerunt. Contra senatus Parisiensis secundum regis mandatum Bullam sine haesitatione inter leges publicas retulit; Sorbona etiam eamdem acceptavit et regestis inscripsit; pauci vero doctores, qui illam acceptare detrectarunt, partim e Facultate eiecti, partim Parisiis relegati sunt. Ludovicus XIV conditionatam paucorum, vel haesitantium vel rebellium antistitum subscriptionem reiecit; eosque facile in ordinem redegisset, sed dum hac de re cum R. Pontifice agebat, an. 1715 mortuus est [1].

Ludovico XIV in regno successit Ludovicus XV, eius pronepos quinquennis, pro quo usque ad an. 1722 regni administrationem gessit Philippus, dux Aurelianensis, vir moribus corruptus et religionis expers, qui, magno Francorum scandalo, corruptionem in aula fovit, regiae et ecclesiasticae auctoritatis osoribus audaciam, Iansenianae et Quesnellianae factionibus et pullulanti incredulorum societati vires addidit [2].

In primis post Ludovici XIV obitum adversarii Constitutionis *Vnigenitus* animos suos extulerunt. Clemens Pp. XI Cardinali de Noailles litteras transmisit, quibus ei praeter alia ademptionem cardinalitiae dignitatis minabatur, nisi Bullam acceptaret. Verum de Noailles iam ducem Aurelianensem, regni administrum, sibi conciliaverat, qui relegatis reditum omnibusque suam de Bulla mentem libere manifestandi facultatem concessit. Tunc lites auctae sunt. Ipsi doctores Sorbonici, aliquot reclamantibus, contestati sunt, se non libere Bullam acceptasse, deinde illius acceptatione e regestis deleta, mentiti sunt, eam numquam a Facultate fuisse receptam. Episcopi et alii Bullam fortiter defendebant, et in clericos suos, eam reprobantes, animadvertebant. Alii novas Bullae declarationes aut damnatarum propositionum explicationes petebant. Alii petulantiores in ipsam Bullam acerrime invecti sunt. Varia ad pacem et concordiam restituendam tentata sunt, sed frustra. Clemens XI Cardinalem de Noailles, factionis principem, nunc amicis, nunc minacibus litteris ad absolutam Bullae acceptationem promovere conatus est. Is vero in sententia sua perstitit; quin imo an. 1717 declaravit, se suosque nunquam acceptaturos bullam, quum inter propositiones damnatas ad minimum 26 essent, quae nullam prorsus censuram mererentur. Haec Noaillii declaratio factiosorum audaciam auxit, et appellationibus ad futurum concilium generale, quas hactenus soli haeretici et schismatici in materia fidei instituerant, ansam dedit [3].

---

[1]) P. F. Lafitau, *Histoire de la Constitution* Vnigenitus, 2 vol. in-4° et 3 in-8°; D'Avrigny, *Mémoires* etc.

[2]) De Saint-Victoire, *Tableau hist. et pitor. de Paris*, t. IV, par. 2.

[3]) Lafitau, *Op. cit.*

39. *Appellantes a Bulla Vnigenitus* (*an.* 1717) — Primi inter appellantes fuerunt hi 4 episcopi, P. de la Broue Mirapicensis, I. Soanen Sanitiensis, C. I. Colbert Monspeliensis, et P. de Langle Boloniensis, qui a Constitutione *Vnigenitus*, ad futurum concilium generale appellarunt, suamque appellationem, calendis martii 1717 scriptam, Romam miserunt. Eorum exemplum secuti sunt alii 11 episcopi, multi clerici et alii, omnis generis et conditionis, viri et feminae; ad quod efficiendum Quesnellistae pecuniae haud parcebant. Accessit etiam Cardinalis de Noailles, qui in appellationis suae documento, quod Pontifici significavit, a Papa male informato ad melius informandum, et ad Concilium generale provocavit. Iisdem se adiunxit Sorbona.

Clemens XI de his certior redditus, anno 1718 documentum appellationis 4 episcoporum schismaticum et haereticum, illud Cardinalis de Noailles schismaticum et haeresim sapiens pronuntiavit. Paulo post appellantibus terminum praescripsit, intra quem appellationem suam revocarent. Eo elapso, V calendas septembris eiusdem anni, litteras, *Officii pastoralis*, ad universos fideles dedit, quibus cum ingenti cordis moerore palam edixit ac declaravit, eos omnes, cuiuscumque status, gradus, ordinis et conditionis essent, qui laudatae saepius Bullae debitam et omnimodam obédientiam praestare hacténus recusaverint, vel in posterum recusaturi essent, a sua et S. R. Ecclesiae caritate prorsus segregatos habitum iri, nullamque deinceps sibi vel R. Ecclesiae cum illis communionem ecclesiasticam éxtituram, donéc reiecta penitus refragandi audacia, per exhibitionem verae obedientiae resipiscerent.

Cardinalis de Noailles non solum non se subiecit, sed appellationem suam etiam ad excommunicationem pontificiam extendit, etiam non a Papa ad Papam, sed simpliciter et unice ad generale concilium provocavit. Eius exemplum secuti sunt plures eius clerici, Sorbona, totaque appellantium factio. Ipse senatus Parisiensis nunc a Bulla tanquam ab abusu Pontificiae potestatis appellavit, et ne litterae Pontificis, ad eam pértinentes, acceptarentur, interdixit. Attamen numerus episcoporum appellantium in Gallia nunquam 24 excessit. Caeteri per orbem christianum episcopi Constitutionem *Vnigenitus*, ut legem dogmaticam et indubitatam fidei regulam sine contradictione susceperunt. Id paulo post ad maiorem obsistentium confusionem litteris testati sunt praelati Italiae, Germaniae, Hungariae, Poloniae, Dalmatiae, Belgii, Hispaniae, Lusitaniae, Angliae, aliarumque regionum. Perperam proinde refractarii ad concilium generale provocabant, quum universa Ecclesia Bullae assentiret.

Interim factiosi appellantes in ecclesiis Galliae turbas graves excitabant. Cumque episcopi acceptantes in suos clericos rebelles secundum ius animadverterent, hi praesidium magistratus civilis implorarunt, et regni Curiae (*Parlément*) in episcopos diversis poenis, praesertim suspensione proventuum temporalium et combustione litterarum pastoralium, animadverterunt. Turbae ita auctae sunt, ut dux Aurelianensis, regni administer, ad consulendum tranquillitati publicae, vetuerit, ne scripta contra saepe memoratam Bullam prelo committérentur aut venderentur, et ne quid contra reverentiam Apostolicae Sedi debitam scriberetur aut diceretur; curiis, ne appellantes protegerent, interdixit, episcopos contra magistratus civiles protexit, mandavitque, ut utraque pars de bulla ista et materiis ad eam spectantibus usque ad futurum concilium generale silentium servaret, quod minime factum est.

In uniendis quidem dissidentibus haud pauci e summis viris tum in Gallia tum Romae laborarunt; Clemens XI etiam nihil omisit, ut refractarios ad officium reduceret: attamen eius vota frustrata sunt[1]. Porro appellantium fata sub Clementis XI, anno 1721 defuncti, successoribus, suis locis referemus.

40. *Innocentius XIII, Pontifex* (*an.* 1721) — Post Clementem Pp. XI, qui XIV calendas aprilis 1721 ad laborum suorum et virtutum praemia e vivis evocatus est, postridie nonas maii Pontifex creatus fuit Innocentius XIII, antea Michaël Angelus de Comitibus-romanus, quem praeter claritatem generis, quo plures Pontifices nati sunt, munera quo, que domi forisque gesta supremo honore dignum faciebant. In Apostolica Sede collocatus prudenti consilio optimos sibi administros elegit. Vt divinam opem pro salutari Ecclesiae regimine consequeretur Iubilaeum indixit et publicas supplicationes decrevit. Festum ss. Nominis Iesu dominica II post Epiphaniam ab universa Ecclesia quotannis celebrari voluit. — Cultum immemorabilem B. Andreae de Comitibus, Alexandri IV fratris

———

1) Lafitau, loc. cit.

filio, Ordinis Minorum, approbavit. — Disciplinam ecclesiasticam in regno Hispaniae composuit Constitutione *Apostolici ministerii*, quam Benedictus XIII in Romana synodo an. 1725 ad totum orbem extendit. Carolo imperatori VI investituram regni utriusque Siciliae et Hierosolymitani contulit. Nullum praetermisit officium, ut principes christianos excitaret ad opem ferendam equitibus Hierosolymitanis seu Melitensibus adversus Turcas, insulam Melitam terra marique oppugnare minitantes, ipsis equitibus 20,000 nummorum e proprio aerario misit, sacrumque cardinalium coetum gravi oratione commovit, ut quisque secundum vires suas subsidia conferret ad redimendos ab imminenti periculo fratres. Adversus appellantium in Gallia conamina decessoris sui vestigiis inhaesit, ut infra videbimus. Obiit nonis martii 1724.

41. *Benedictus XIII, Pontifex* (*an.* 1724) — Post obitum Innocentii XIII, suffragantibus omnibus cardinalibus, IV calendas iunias Pontifex renunciatus est Benedictus XIII, antea Vincentius Maria Vrsinus, Ordinis Praedicatorum, cardinalis archiepiscopus Beneventanus, vitae sanctimonia, sapientia et zelo pro domo Dei conspicuus, qui Ecclesiam gubernavit usque ad an. 1730. Is omnia solliciti pontificis officia explevit. Anno 1725 Romae in aede Lateranensi provincialem synodum celebravit, cui interfuerunt 32 cardinales, 5 archiepiscopi, 39 episcopi, 3 abbates, 31 episcoporum et abbatum absentium procuratores. Habitae sunt 8 sessiones, in quarum prima 10 articuli, ad fidem et mores spectantes, conditi sunt; Constitutioni *Vnigenitus*, quae fidei regula appellata est, omnimodam obedientiam esse exhibendam, definitum, et proscripti quicumque contra eam editi libri. In aliis sessionibus actum est de clericis, de festis, de sacramentorum administratione, de ecclesiarum immunitate, de monachis et eremitis, de confraternitatibus laicorum, de puellarum reclusoriis, de sepulturis, seminariis, aliisque ad optimum ecclesiarum regimen pertinentibus [1]. Eodem anno Benedictus XIII Romae Iubilaeum celebravit, cuius lucrandi causa innumerus peregrinorum numerus in Vrbe visus est. — Ipseque in eadem Lateranensi Basilica Sacramentum Poenitentiae administravit, ac summi Poenitentiarii munere functus est.—Durante Iubilaeo laetum nuncium accepit de firmata inter Carolum imperatorem VI et Philippum V regem Hispaniae pace et restituta R. Ecclesiae civitate Comaclo, 17 annis a caesareanis intercepta. Attamen concepta e pacis nuncio laetitia turbata fuit: in ea enim Carolo principi, e secundis Philippi V cum Elisabetha Farnesia nuptiis primogenito, successio Parmae et Placentiae, quas Farnesii principes beneficiario iure ab Apostolica Sede tenebant, adiudicata est. Quapropter Pontifex in consistorio coram cardinalibus Apostolicae Sedis iura in Parmam et Placentiam contestatus est.

Idem Pontifex Sanctum Ioseph posuit in Litaniis post s. Ioannem Baptismam, ut eruditissimus Cardinalis Lambertinus insinuaverat suffragio suo [1]. Illis, qui aere campano dante salutationis Angelicae signum, genua flecterent, eamque ter recitarent, Indulgentiam centum dierum concessit, ac semel in mense plenariam [2]. Plures unica Canonizatione descripsit in Sanctos; in his B. Ioannem Nepomucenum canonicum Pragensem, cuius lingua perinde atque illa D. Antonii Patavini, non integra modo, sed recentissima specie conspicitur; huius quidem, quod ita dixit, ut divinas laudes, divinamque doctrinam mirifice amplificaverit; illius vero, quod ita tacuit, ut secreta sibi administranti Sacramentum Poenitentiae commissa inter varia eademque gravissima tormentorum genera perpetuo religiosoque silentio compresserit. Nosocomium ad aegrotantium curationem aut scabie aut impetigine affectorum aedificavit. — Lateranensem basilicam, novis operibus restitutam, sollemni ritu consecravit. Academiam theologicam, sub Clemente XI institutam, singulari amore et benignitate prosecutus est. Caeremoniarum librum, quo utuntur episcopi, correxit. Quum ab Ordinibus regni Polonici an. 1726 in comitiis Grodnensibus nova lex sancita fuisset, nuntio apostolico Vincentio Santinio et iurisdictioni Apostolicae iniuriosa, ad propulsandam iniuriam et litteris et ablegatione extraordinaria usus est. Monita

[1]) Contenderunt aliqui, Constitutionem *Vnigenitus* nunquam a synodi patribus *regulam fidei* fuisse appellatam, eaque verba illius actis esse inserta. At hanc opinionem inter alios refellendam suscepit Zacharia in opere, quod inscribitur: *Difesa di tre Sommi Ponteфci*, p. 41.

[1]) Benedictus XIV, ante Pontificatum Cardinalis Lambertinus dictus, id narrat in opere *De Servor. Dei Beatif. et Beator. Canoniz.* l. IV, part. 2, c. 20, n. 5, 7 et seqq.

[2]) Vincentius Cardinalis Petra, *Comment. ad Constitut. Apostol.* t. V; Sandini, *Vitae RR. PP.*, *Benedictus XIII.*

eius effecerunt, ut rex et Ordines quidem a legis executione temperarent, acta tamen non rescinderent; quapropter Pontifex, ne auctoritas Apostolica et libertas ecclesiastica quidquam detrimenti acciperent, legem damnavit, et quae inde acta fuerant, abolevit. An. 1729 invisens ecclesiam suam Beneventanam, provincialem synodum in ea celebravit, convenientibus non solum provinciae episcopis, sed et aliis e diversis regionibus praelatis, tum ut Pontificem venerarentur, tum ut de negotiis ecclesiasticis cum eo conferrent. Plura de ecclesiastica disciplina constituit. Inhibuit, ne quis, inconsulto R. Pontifice, e religiosis claustris transiret ad alium quemque Ordinem religiosum, in quo claustralis observantia non vigeret. Decrevit etiam, ut qui e monasticis aliisque regularibus Ordinibus ad episcopatum assumerentur, si apud ecclesias sibi commissas non commorarentur, aut si eas dimitterent, ad claustra sui Ordinis reverterentur. Quae autem egerit in causa appellantium in Gallia et schismatis Vltraiectini in Hollandia, suis locis dicemus.

Simultatem gravem habuit cum Victore Amadeo, rege Sardiniae. Is quippe cum adhuc esset dux Sabaudiae, nixus privilegio, quod Nicolaus Pp. V an. 1451 Ludovico Amadeo, duci Sabaudiae, concesserat, nimirum ut in eius terris beneficia maiora, quae vocant consistorialia, non conferrentur, nisi habitis prius per Pontificem intentione et consensu ducis de personis idoneis, sibi ius asseruit episcopatus, abbatias et alia beneficia conferendi in Sabaudia, Pedemontio aliisque terris, quarum imperium tenebat. Contra haec et alia a duce adversus Ecclesiae immunitatem et Pontificis auctoritatem gesta et decreta, fortiter restiterat et reclamaverat Clemens Pp. XI; unde gravis Pontificem inter et ducem dissensio, quae neque sub Innocentio XIII, Clementis successore, composita est. Quum idem dux, an. 1720 ab imperatore Carolo VI rex Sardiniae creatus, Pontifici, qui hanc insulam R. Ecclesiae feudum vindicabat, ominium praestare nollet, et quarumdam civitatum, quas in Pedemontio ut feuda pontificia possidebat, dominium supremum sibi assereret, dissidia aucta sunt, omnisque utrimque communicatio interrupta. Cum RR. Pontifices, durante discordia, eos, quos rex ad beneficia in Sardinia et caeteris suis terris nominarat, confirmare nollent, multi episcopatus, abbatiae et alia beneficia ibidem vacabant. Benedictus XIII omnia, sed frustra, tentavit, ut regem a praesumptis iuribus reduceret. Demum an. 1727 cum eo conventionem iniit, qua, praeter alia, nominatio ad episcopatus, ad abbatias et alia beneficia regi concedebatur. Verum discordiam sub Clemente XII resuscitatam videbimus.

42. *Lis de Ordinationibus Anglicanis* — In Gallia novam controversiam excitavit P. F. Courrayer, Rothomagensis, canonicus regularis s. Augustini apud s. Genovefam Parisiis, qui non solum appellantium, sed ipsorum etiam Anglicanorum partes defendit. Anno 1723 librum gallice edidit de valore ordinationum Anglicanarum, in quo contendebat, episcopos Anglicanos esse legitimos et veri nominis episcopos[1]. Eius assertiones, communi theologorum sententiae adversas, praeter I. Harduinum aliosque mox confutandas suscepit Le Quien[2]. Probant hi, ipsum Matthaeum Parkerum, an. 1559 creatum archiepiscopum Cantuariensem, a quo caeteri episcopi Anglicani suam originem ducunt, non fuisse legitime ordinatum; item formam in rituali, ab Eduardo rege VI confecto et in pseudo-synodo Londinensi an. 1562 approbato, praescriptam, secundum quam episcopi Anglicani ordinantur, esse insufficientem, secundum se ambiguam et ex adiunctis circumstantiis aperte haereticam.

Tantum abfuit, ut Courrayer assertiones suas revocaret, ut contra ad easdem defendendas alterum librum an. 1726 emiserit, in quo praeterea de primatu R. Pontificis, episcoporum auctoritate, Eucharistiae sacramento et sacrificio, anglicana magis quam catholica ratione disseruit[3]. Ludovicus rex XV utrumque Courrayerii librum denuntiavit episcopis an. 1727 Parisiis agentibus. Hi numero 20 apud cardinalem de Bissy, episcopum Meldensem, congregati, 37 propositiones, e libris Courrayerii excerptas, variis censuris notarunt. Proinde regii consilii decreto iidem libri proscripti sunt. Eosdem libros eodem anno damnavit provincialis synodus Ebrodunensis, et Benedictus Pp. XIII decreto VII cal. iulias 1728 dato. His conformis est Ecclesiae praxis, quae mandat, ut quoties minister aliquis Anglicanus ad catholicam fidem redeat, si dignus sit qui in clerum cooptetur, tanquam

---

1) *Dissertation sur la validitè des Ordinations anglicanes*, Bruxel. 1723, 2 vol. in-12°.

2) *Nullitè des Ordinations anglicanes*, 4 vol. in-12°.

3) *Defense de la dissertation sur la validitè des Ordinations anglicanes*, 1726, 4 vol. in-12°.

merus laicus omnes Ordines suscipiat. Courrayer an. 1728 e Gallia confugit in Angliam, ubi vulgatis aliquot scriptis, ab Apostolica Sede damnatis, an. 1776 impoenitens decessit.

43. *Appellantium status in Gallia* — Dictum est supra de statu factionis Ianseniano-Quesnellianae, seu appellantium a Bulla *Vnigenitus*, usque ad obitum Clementis XI [1]. Post huius Pontificis mortem (1721) blandiebantur sibi factiosi, fore ut plus favoris aut praesidii causae suae iam desperatae, in eius successore reperirent. Quapropter septem episcopi Galli VII idus iulii 1721 ausi sunt litteras, prorsus schismaticas, in felle amaritudinis exaratas, Innocentio Pp. XIII inscribere, in quibus Clementis XI memoria, sempiternis laudibus digna, proscindebatur, apostolica eius constitutio calumniose traducebatur, utraque potestas impudenter contemnebatur, divina atque humana haeretico spiritu confundebantur. Et ne quid temeritatis argumento et cumulo deesset, auctoritatem novi Pontificis in partem et praesidium suae perversitatis vocare non erubuerunt. Hae litterae et Apostolicae Sedis et concilii regii decreto proscriptae sunt. Eaque occasione Innocentius XIII, IX° calendas aprilis 1722 litteras, apostolici spiritus et vigoris plenas, dedit ad Ludovicum XV et Philippum ducem Aurelianensem, quibus refractariorum audaciam pro merito castigavit atque coërcuit.

Benedictus XIII, Innocentii successor, anno 1725 in Romana synodo, ut iam diximus, praecepit, ut constitutio Clementis XI ab omnibus, cuiusvis conditionis aut gradus, omnimoda cum obedientia observaretur; et, si quem cognovissent episcopi in suis dioecesibus de praedicta constitutione male sentire aut loqui, pro pastorali sua potestate in eum animadverterent; pervicaces vero ad Apostolicam Sedem deferrent: libros etiam, contra ipsam constitutionem editos aut falsas doctrinas in ea damnatas propugnantes, diligenter perquirerent, sibique tradi mandarent, Apostolicae Sedi dein denunciandos.

Similiter clerus Gallicanus in comitiis generalibus, anno 1723, 1725 et 1726 habitis plurimum quaestus est de licentia, qua refractarii contra Apostolicae Sedis et episcoporum auctoritatem declamabant, et de molestiis, quas curiae saeculares episcopis eorumque iurisdictionis exercitio inferebant; datisque ad Ludovicum XV, qui iam summam regiminis susceperat, litteris tristem ecclesiarum statum exposuit. Rex cleri expostulationes suscepit, opemque ad corrigenda mala spopondit. Anno vero 1726 Soanen, episcopus Sanitiensis, unus e quatuor primis episcopis appellantibus, emisit Instructionem pastoralem, in qua Quesnelli librum commendabat, Clementem XI eiusque successores et assentientes iis episcopos proscindebat, appellantium causam defendebat, suosque dioecesanos hortabatur, ut in accepta a se doctrina constanter perseverarent.

Ad reprimendam tantam audaciam de Guerin de Tencin, archiepiscopus Ebrodunensis et episcopi Sanitiensis metropolita, XVII calendas septembris 1727, provincialem synodum in sua metropoli coëgit, ad quam etiam invitavit episcopos finitimarum provinciarum. Convenerunt 14 episcopi pluresque presbyteri. Soanen ad synodum citatus comparuit, sed contra congregatos patres, quasi iudices incompetentes, excepit, depositaque reclamatione, discessit. Synodus huiusmodi reclamationis nullam rationem habuit; pastoralem Instructionem Soanen, ceu temerariam, scandalosam, seditiosam, iniuriosam Ecclesiae, episcopis et regiae auctoritati, schismaticam et erroribus plenam, damnavit; illum ab omni iurisdictione et officio episcopali ac sacerdotali suspendit, et Sanitiensis Ecclesiae administrationem commendavit Saleon qua vicario generali. Praeterea constitutionem *Vnigenitus* declaravit dogmaticum, definitivum et irretractabile Ecclesiae iudicium; omnem ab ea ad generale concilium appellationem et celebre Iansenistarum silentium obsequiosum damnavit; constituit, ut nemo ad ordines sacros, confessiones audiendas, munus concionatoris aut beneficia admitteretur, nisi prius Innocentii X, Alexandri VII et Clementis XI constitutionibus sinceram obedientiam praestitisset; denique declaravit, omnes, qui prohibitos libellos, contra praedictas constitutiones editos, legere, describere aut apud se retinere ausi fuerint, excommunicationis vinculo esse ipso facto innodatos. Soanen quidem contra synodi sententiam reclamavit; 12 episcopi pro eo apud regem intercesserunt, et 50 advocati Parisienses synodi gesta improbarunt. At praestantiores Galliae episcopi et Benedictus Pp. XIII synodi decreta rata habuerunt. Eadem decreta Ludovicus XV sua auctoritate communivit, et contumacem Soanen in abbatia *Casae-Dei* relegavit [1].

[1]) Vid. p. 238.

[1]) Sanitiensis episcopi fautores synodi Ebrodunensis historiam vulgarunt, in qua eius acta vel-

Ea Sanitiensis episcopi sors, repetita Benedicti Pp. et Ludovici regis monita, decrescensque appellantium episcoporum numerus effecerunt, ut Cardinalis de Noailles, archiepiscopus Parisiensis, tandem ad resipiscentiam se converteret. Anno 1728 litteras pastorales edidit, quibus constitutionem *Vnigenitus* demisse et pure acceptavit, omnesque litteras, instructiones aut explicationes, quas de illa constitutione antea dederat, revocavit. Ita appellantes praecipuum sum fulcrum amiserunt. Noaillii, anno sequenti mortui, successor plerosque ecclesiae suae canonicos ad sinceram Bullae acceptationem permovit. Eodem anno 1729 Sorbona ferme universali suffragio declaravit, decretum, quo bullam anno 1714 acceptarat, esse authenticum, eam iterum tanquam dogmaticum universae Ecclesiae iudicium acceptavit, suamque appellationem et alia contra praedictam bullam acta, revocavit. Denique anno 1730 Ludovicus XV senatum Parisiensem, adhuc renitentem, adegit, ut bullam denuo inter leges publicas referret, quo facto nemini impune licebat eam publice impugnare aut ab ea appellare. Sic factio appellantium, quorum multi confugerunt in Hollandiam, quidem valde imminuta, non tamen extincta est.

Tunc appellantes seu Iansenistae, nam illi cum his coaluerunt, ad corroborandam sectam suam vulgare coeperunt miracula, quorumdam appellantium defunctorum intercessione, ut dicebant, patrata. Maxime venditarunt miracula Francisci Paris, diaconi Parisiensis, an. 1727 defuncti et in coemeterios. Medardi sepulti. Huius sanctitatem alta tuba cecinere sectarii. Plurimi ad implorandam eius intercessionem ad sepulcrum eiusdem accurrebant, et desumptam inde terram, ceu curandis morbis salutarem, asportabant. Brevi tempore rumor de morbis, Francisci intercessione curatis, curiositas, pecunia ab haereticis distributa effecerunt, ut concurrentium ad sepulcrum eius multitudo in dies augeretur. Ab an. 1731 nova et singularia phaenomena in coemeterio s. Medardi dederunt hi superbi et stultissimi rebelles: illi scilicet, qui sepulcro Francisci incumbebant, vehementibus convulsionibus corripiebantur, quae, corpore inde amoto, confestim cessabant, quibusque se a morbis sanatos dicebant; nonnulli, convulsionibus correpti, verba adhortatoria vel consolatoria ad circumstantes faciebant, aut contra bullam *Vnigenitus* declamabant aut vaticinabantur. Quibus omnibus cum turbae haud exiguae excitarentur, an. 1732 aditus ad coemeterium s. Medardi iussu regis interclusus est. Id tamen non impedivit, quo minus fanatici contenderent, reliquias Francisci aut terram sepulcri eius in alia loca translatas, ubi se insulsis saltibus, saevis membrorum et nervorum contractionibus, aliisque excessibus dabant, eadem prodigia patrare. Quapropter rex an. 1733 tum privatos tum publicos conventus istorum spasticorum seu convulsiones habentium severe prohibuit.

Interim tum e confessionibus eorum, qui miraculose sanati dicebantur, tum e testimoniis medicorum, qui alios ante vel post vulgata miracula curarunt, tum ex assertionibus testium oculatorum et auritorum, aliisque argumentis appellantium fraudes patefactae sunt. Iactata Francisci miracula praeter alios refellerunt G. de Vintimil Parisiensis et I. Languet Senonensis archiepiscopi in litteris pastoralibus, et L. La Taste, Ordinis s. Benedicti, in litteris theologicis gallice scriptis [1]. Haec ipsa res haud paucos a Iansenistis et appellantibus abalienavit. Ex ipsis haereticis multi fanaticam aliorum agendi rationem improbarunt, et ab iisdem schisma fecerunt.

Verumtamen appellantes patronos potentes habebant in curiis. Anno 1732 senatus Parisiensis litteras, quibus de Vintimil, archiepiscopus Parisiensis, ephemerides, quae *Nouvelles ecclésiastiques* inscribebantur, dioecesanis suis legere prohibebat, suppressas voluit, quum Iansenistae et appellantes in iis acriter perstringerentur. Rex vero obsistentium senatorum alios custodiae tradidit, alios ex urbe relegavit, et senatui potestatem de rebus ecclesiasticis decernendi ademit; quo facto, 166 senatores muneri suo renuntiarunt. Post mensem invitati ad resumendum munus, id quidem fecerunt, sed edictum regium, quo potestas ista senatui adimebatur, in regesta referre noluerunt; quapropter omnes Parisiis excedere iussi sunt. Non multo post iterum revocati et audaciores facti, molestias frequentes tum regiae, tum ecclesiasticae auctoritati intulerunt [2].

---

licarunt. Contra quos videsis librum P. F. Lafitau, episcopi Sistaricensis, qui fuit unus e synodi patribus, gallice inscriptum: *Réfutation d'un ouvrage intitulé: Histoire de la condamnation de M. l'évêque de Senez par les prélats assemblés à Embrun.*

[1]) *Lettres théologiques aux écrivains défenseurs des convulsions et autres prétendus miracles du temps*, 2 vol. in-4°.

[2]) Lafitau, *Histoire de la Constitution* Vnigenitus.

44. *Schisma Vltraiectinum* — Schismatis ianseniani in Hollandia, quod ab urbe Vltraiecto, ubi eius sedes erat, Vltraiectinum appellatur, initia supra vidimus[1]. Ex quo tempore vicarius apostolicus, in locum Petri Coddei constitutus, ab acatholico gubernio fuisset eiectus, RR. Pontifices ecclesiasticum harum provinciarum regimen commendarunt suis nuntiis, Coloniae et Bruxellis agentibus. Eorum auctoritatem spreverunt refractarii, et in subsidium suae rebellionis novo atque inaudito exemplo in lucem retrahere et evocare coeperunt Vltraiectinum aliaque cathedralia capitula, ab annis pluribus 100 extincta. Contenderunt missionem Hollandiae in spiritualibus regendam esse, non a vicariis apostolicis, quemadmodum a temporibus mutatae in iis regionibus Religionis obtinuerat, sed a capitulis eorumque vicariis generalibus. Septem contumaces clerici se Capituli Vltraiectini canonicos dixerunt, iura Capitularia usurparunt, post obitum Petri Coddei Cornelium Steenhoven, invita Sede Apostolica, vicarium generalem elegerunt, suos sacerdotii candidatos ab episcopis Gallicanis e factione appellantium ordinari curarunt, atque ad eorum exemplum cum omnibus suis fautoribus a bulla *Vnigenitus*, ad futurum generale concilium appellaverunt. Quin imo sic dicti canonici Vltraiectini eo temeritatis progressi sunt, ut V calendas maias 1723 supra nominatum C. Steenhoven elegerint archiepiscopum Vltraiectinum, eamque electionem R. Pontifici significarint, ut eamdem confirmaret.

Innocentius Pp. XIII ad petulantes eorum litteras respondere dedignatus est. Post eius obitum sacrum Cardinalium collegium, Sede vacante per litteras, VI idus aprilis 1724, datas ad Internuntium, Bruxellis agentem, omnibus episcopis vicinis prohibuit, ne Cornelio Steenhoven, cuius electio evidenter erat nulla, manus imponerent. Id vero facere ausus est Dominicus Maria Varlet, episcopus Babyloniensis.

Is e praesbytero missionum exterarum Parisiis an. 1718 creatus coadiutor episcopi Babyloniensis, cum per Hollandiam transiret in Persidem, Amstelodami ex auctoritate sic dicti Capituli Harlemiensis sacramentum Confirmationis contulerat, erat quippe Ianseniano-Quesnellianae factioni deditus. Res summo Pontifici innotuit, qui, re perpensa, eum an. 1720 per episcopum Ispahamensem omnibus functionibus episcopalibus interdixit. Varlet, relicta Asia, rediit Amstelodamum; XV calendas martias 1723 a Bulla *Vnigenitus*, et a censuris contra se fulminatis, appellavit, et anno sequenti, idibus octobris, quamvis suspensus, interdictus et excommunicatus, Cornelium Steenhoven, assistentibus 2 presbyteris refractariis, ordinavit archiepiscopum Vltraiectinum.

Benedictus Pp. XIII datis IX calendas martii 1725 ad universos catholicos, in foederato Belgio commorantes, litteris, electionem C. Steenhoven omnino nullam, eiusque consecrationem sacrilegam declaravit, eum omnibus functionibus sacris interdixit, divinamque indignationem refractariis ob oculos posuit. Cornelius Steenhoven III calendas aprilis a Pontificis sententia ad generale concilium appellavit; at post 3 dies, III nonas aprilis, ad divinum iudicium evocatus fuit. Eo extincto, catholici, qui magno numero superabant schismaticos, ab Ordinibus publicis postularunt, ut Vicarios apostolicos, a R. Pontifice electos, apud se habere possent, ita ut obtinuerant ante schisma. Verum schismatici effecerunt, ut eorum preces reiicerentur, et idibus maii in locum C. Steenhoven elegerunt Cornelium Ioannem Barchman, presbyterum appellantem, qui ab eodem Varlet consecratus est.

Tanta temeritate permotus Benedictus XIII, VIII° idus decembris novas ad catholicos foederati Belgii litteras dedit, quibus non solum electionem Cornelii Ioannis Barchman omnino nullam eiusque consecrationem sacrilegam declaravit, reiecit ac detestatus est, sed et ipsum Cornelium Ioannem et qui, ementito canonicorum Vltraiectentium nomine, eum elegerant, item qui sacrilegae consecrationi operam commodarant, et quicumque iisdem adhaesissent, eorumque partes secuti, opem, favorem, auxilium aut consensum praebuissent, auctoritate omnipotentis Dei excommunicavit et anathematizavit, atque ab Ecclesiae communione segregatos et prorsus schismaticos habendos et vitandos esse declaravit atque mandavit. Illi vero in schismate obstinati, paternae benignitatis monita spreverunt, et in maiorem pervicaciam prolapsi sunt. Barchman eiusque pseudo-canonici ad concilium generale appellarunt, cui appellationi deinde subscripserunt alii 64 presbyteri ex Hollandia et 40 transfugae Galli.

Post mortem Ioannis Barchman, quae incidit III idus maii 1733, pseudo-canonici Vl-

[1]) P. 235.

traiectenses XI calendas sextilis in eius locum elegerunt Theodorum Van-der-Croon, pastorem Goudanum et iactati Capituli canonicum, eumque V calendas novembris consecrandum curarunt ab eodem Varlet, qui C. Steenhoven et I. Barchman sacrilegas manus imposuerat. Clemens Pp. XII litteris in forma Brevis, datis III calendas martii 1735, rursus Theodorum Van-der-Croon, eius electores, eorumque sectatores declaravit excommunicatos et schismaticos. Van-der-Croon decessorum suorum more ad concilium generale provocavit, suaeque appellationis exemplum cum litteris misit ad vicinos episcopos Belgas; sed Cardinalis de Alsatia, archiepiscopus Mechliniensis, rescribens, pseudo-archiepiscopo eiusque sectatoribus larvam detraxit, et eorum impudentiam ac schisma nervose confutavit.

Mortuo die V idus iunii 1739 Theodoro Van-der-Croon, postridie calendas iulii electus et XV calendas novembris ab eodem semper Varlet consecratus est Ioannes Meindarts, pastor Leovardiensis. Eius electionem atque consecrationem Clemens Pp. XII eiusque successor, Benedictus XIV, execrati sunt, quemadmodum eorum decessores electionem et consecrationem praedecessorum Ioannis Meindarts condemnaverant. Meindarts vero ad decessorum suorum exemplum ad generale concilium provocavit [1].

45. *Clemens XII, Pontifex* (*an.* 1730)— Interea Benedicto XIII, IX° calendas martias 1730 defuncto, post 5 fere menses, nimirum IV idus iulii, electus fuit Clemens XII Florentinus, ex illustri Corsiniorum familia, antea appellatus Laurentius, cardinalis episcopus Frascatensis, qui Ecclesiam gubernavit 9 annis et 7 fere mensibus. Is auspicandi regiminis causa Iubilaeum indixit et supplicationes decrevit, quibus ipse, quo caeteros suo exemplo excitaret, interesse voluit. In eos qui decessoris sui bonitate abusi, urbis quietem turbarant, animadvertit. Discordiis in Helvetia exortis inter Nuntium apostolicum D. Passionaeum, archiepiscopum Ephesinum, et magistratum Lucernensem, qui, illius auctoritate decretisque posthabitis, ecclesiasticos viros suo tribunali subiicere et in eosdem animadvertere contendebat, finem constituit, a magistratu, ut a sententia sua recederet, impetravit, et Passionaeum Lucernam, qua inde ab ortis dissidiis discesserat, redire iussit.

Dolebat vehementer, per conventionem inter decessorem suum et regem Sardiniae initam, varia fuisse concessa in detrimentum iuris pontificii, auctoritatis episcopalis et iurisdictionis ecclesiasticae [1]; quapropter, cum Victor Amadeus anno 1730 regnum Sardiniae cessisset filio suo Emmanueli, ad novum regem misit legatum, quatenus, rescissa illa conventione, de constituenda stabili concordia ageretur. At legatus pontificius in Sardiniam non fuit admissus, eodemque tempore orator regis Roma discessit. In hoc negotio Clemens XII cardinalium sententiam postulavit, qui omnes unanimiter responderunt, conventionem istam non esse servandam, quum consueta sollemnia in ea fuissent praetermissa, et praesertim quum Benedictus XIII, quem omnes noverant summo semper studio Ecclesiae iura defendisse, non plene informatus ad eam ineundam accesserit, atque paucorum tantum arbitrio fuisset confecta. Quibus perpensis, Clemens XII commemoratam conventionem rescidit, propensissimum tamen se praebuit ad novam cum rege Sardiniae concordiam sanciendam. Inde acerbiores discordiae regem inter et Pontificem secutae sunt. Postea inter regis legatum et Pontificis cardinales Romae de componendis litibus actum est, iamque spes erat, fore ut concordia restitueretur, quum Clemens XII e vivis raptus est. Eius vero successor Benedictus XIV anno 1741 dissensiones sustulit.

Quamvis Clemens XII in defendendis Ecclesiae iuribus esset diligentissimus, simul tamen fovendae cum christianis principibus concordiae magnopere studuit. Nihil omisit, ut Ioannem V, regem Lusitaniae, in gratiam cum Apostolica Sede reduceret. Hic rex a Clemente XI postularat, ut Vincentium Bichi, qui Olissipone nuntiaturam obibat, avocaret, adfirmans eum plura, quae nec munus nec dignitatem eius decebant, commisisse. Clemens XI nuntium obiurgavit, sed non avocavit. Innocentius XIII, eius successor, Bichi revocavit, aliumque in eius locum destinavit. Tunc vero rex postulavit, ut Bichi abiturus purpura ornaretur; Pontifice eum tanta dignitate haud dignum iudicante, idque denegante, ne tale privilegium regi concedere videretur; rex antiquo nuntio abitum et novo aditum in regnum suum prohibuit. Quum Benedictus

[1]) Hoynck van Papendrecht, *Historia ecclesiae Vltraiectinae* etc.; L. Mozzi, *Histoire des révolutions de l'Église d'Vtrecht.*

[1]) Vid. p. 240.

XIII decessoris sententiae inhaereret, rex anno 1728 subditis suis omnem cum R. Curia communicationem prohibuit. Quibus dissidiis ut finis fieret, Clemens XII Vincentium Bichi, qui iam a rege dimissus diluerat ea, de quibus apud superiores Pontifices incusatus fuerat, anno 1731 in consistorio cardinalem creavit. Eadem dignitate honoravit Iosephum Firraum, eius in nuntiatura successorem, quamvis hic propter iratum regem munere suo fungi non potuerit. Quo facto, rex superius suum decretum revocavit, et Caietanum de Cavaleriis novum Apostolicae Sedis nuntium admisit.

Idem Pontifex, quum audivisset, in Palatinatu inferiori et ducatu Neoburgensi complures haereticos, abiuratis erroribus lutheranis, ad R. Ecclesiae communionem rediisse, aliosque eorum exemplum secuturos fore, nisi metu admittendi bona ecclesiastica, a maioribus suis a tempore mutatae in iis regionibus Religionis occupata et retenta, et secuturae inde inopiae retinerentur; ne id eorum ab haeresi conversioni obstaret, concessit, ut eadem bona ab iis ut propria possiderentur. Pari modo Saxonibus, qui ad catholicam fidem redierant, ut eos in hac firmaret, caeterosque ad eamdem suscipiendam excitaret, potestatem fecit retinendi ecclesiastica bona, a tempore grassantis haereseos occupata. In oppido Vlani dioecesis Bisinianensis seminarium instituit, in quo pueri ritus graeci, in regionibus Calabriae et Siciliae dispersi, non modo litteras, sed et multo magis pietatem veramque Religionem addiscerent; qui rectis imbuti doctrinis, apud suos et eos, qui terras ab Oriente colebant, de catholica fide et Apostolica Sede bene mererentur. Praeterea approbavit collegium quod Neapoli excitandum curavit Matthaeus Ripa, Neapolitanus, in quo adolescentes Sinenses et Indi litteris et christianae Religionis praeceptis instituerentur, ut ita comparati propagandae inter suas gentes Evangelii luci operam navare possent. Collegium Italo-Graecum in Calabria constituit Catholicae doctrinae in Graecia propagandae. — Ssrum numero adscripsit Vincentium a Paulo, Franciscum Regis, Iulianam de Falconeriis. Societates occultas liberorum, ut vulgo vocantur, muratorum (*Francs-Maçons*), de quibus infra dicemus, sub poena excommunicationis proscripsit. Plurima in Vrbe et in reliqua ditione Pontificia ad publicam utilitatem constituit; inter alia Capitolium ad sculptorum, pictorum et eruditorum commodum decoravit omnigenae antiquitatis monumentis[1]. Frontem Basilicae Lateranensis aedificavit, atque intus in ea sacellum s. Andreae Corsino splendidissimum atque ditissimum, in quo sibi posuit mausoleum porphyreticum. Facie item nova exornavit aedem s. Ioannis Baptistae Florentinorum. Ecclesias Pueri Iesu ac ss. Celsi et Iuliani refecit, et hanc quidem a fundamentis. Vias Vrbis stravit lapide quadrato, vias quoque Consulares ferentes Romam munivit. Palatii Quirinalis equile ab Innocentio XIII coeptum absolvit. Eiusdem Palatii latus terminavit, Familiae Pontificiae domicilio novis aedibus amplificato. Latiorem viam, Romanique fori prospectum, disiectis domibus ignobilem vicum insidentibus, aperuit. Domum administris Pontificiae ditionis negotiis consultandis, atque brevioribus Epistolis, levis armaturae, et thoracatorum equitum turmis, a fundamentis extruxit. Aquam Virginem copia et salubritate commendatam ornatu magnifico decoravit. Viae latae partem disiecta aedium prominentia laxavit atque direxit. In eo etiam insignem laudem adeptus est, quod ad avertendas ab Ravenna, eiusque agro inundationes, Bedesim fluvium, cataracta multiplicis usus extructa, in novum alveum deduxit, in eumdemque Vitim immisit: quod Romanam viam eo alveo interruptam magnifici operis ponte commisit: quod ab Vrbe ad mare per septem millia CCLXVIII passus fossam perduxit, in eamque corrivatis aquis faciliori mercium transvectioni prospexit. Idem Pontifex portum Anconae paravit, et valetudinaria. Vaticanam quoque Bibliothecam locupletavit.

46. *Synodi Maronitae et Albanenses* — Idem Pontifex ad Maronitas seu christianos montis Libani incolas ablegavit doctissimum praelatum I. S. Assemani, qui et ipse erat Maronita. Maronitae, non obstantibus temporum iniuriis, in fide catholica et in unione cum R. Ecclesia raro constantiae exemplo perseverarunt. Eorum clerici plerique Romae in collegio, quod ibi ab an. 1584 habent, erudiuntur, deinde in patriam remittuntur. Liturgiam et ritus proprios habent, in quibus peragendis lingua antiqua syriaca utuntur. Praeter clerum indigenam habent missionarios europaeos. Praecipua eorum sedes est Libanus, cuius partem, Kesruan dictam, ipsi soli incolunt. Ibi in monasterio Cannobin re-

---

[1]) Guarnacci, *Vita et gesta RR. Pontif.*; Natal. Alex. *Hist. eccl.* Supplem. part. II, diss. 1.

sidet supremus eorum episcopus, qui titulum patriarchae Antiocheni gerit, et semper a Pontifice constituitur. Plura eorum millia degunt in 80 pagis regionis, Libanum circumiacentis. Iidem, sed modico numero reperiuntur Damasci, Haleppi seu Beroeae, Tripoli Palaestinensi et in insula Cypro. Ad corrigendos aliquot abusus, qui circa disciplinam apud eos invaluerant, Clemens XII ad eosdem ablegavit, ut diximus, Assemani, cuius consilio anno 1736 synodus congregata est. Interfuerunt, praeter ablegatum apostolicum, Gazenus patriarcha, 14 episcopi Maronitae, duo Syri, totidem Armeni, abbates, sacerdotes et missionarii plures. Propositis et receptis Congregationis de Propaganda Fide decretis, quae ablegatus ferebat, varia constituta sunt de numero, limitibus et divisione dioeceseon, de contributione erogari solita episcopis in collatione ss. Ordinum et distributione Oleorum, deque aliis ad ecclesiasticum pro ista regione negotium spectantibus. Synodi acta ab Assemani collecta et conscripta, Benedictus Pp. XIV anno 1741 approbavit, novumque ablegatum ad Maronitas destinavit, qui eorumdem decretorum exequutionem curaret [1].

In Albania, quae est provincia Turciae europaeae, inter Macedoniam et mare Adriaticum sita, anno 1703 synodum celebravit Vincentius Zmajevich, archiepiscopus Antibarensis, totius Serviae primas et apostolicus ecclesiarum Maesiae ac Epiri Visitator. Interfuerunt praeter Visitatorem apostolicum, synodi praesidem, archiepiscopi Dyrrachiensis et Scupiensis, episcopi Sappatensis, Scodrensis, Alexiensis et Pullatensis, atque praefecti Missionum Macedoniae et Albaniae. Multa bono ecclesiarum in iis terris opportuna fuerunt decreta, scilicet, de ratione praedicandae, propagandae et conservandae Fidei inter Turcas et haereticos, de Sacramentis et rebus sacris, de clericorum moribus et corrigendis certis abusibus. Inter alia cavetur, ne infideles aut schismatici assumantur in patrinos baptismi; ne deinceps toleretur abusus, quo adulti non nisi post 16, 18 aut 20 aetatis annos ad Sacramentum poenitentiae accedebant. Actum etiam est de limitibus dioeceseon, de quibus erat controversia, et certa singulis loca asserta sunt. Synodi decreta iudicio Clementis XI, tunc temporis Papae, submisit Zmajevich archiepiscopus, simulque Pontificem docuit statum ecclesiarum moresque populorum in istis locis. Clemens XI cuncta, quae in synodo acta fuerant, probavit. Vtque ibidem catholicae fidei et ecclesiasticae disciplinae conservationi ac propagationi praesidium adiiceret, adolescentibus istius nationis Romae in collegio de Propaganda Fide locum et congruam dotem constituit, quatenus sic orthodoxa doctrina et recta disciplina instituti, deinde apud suos sacro ministerio fungerentur [1].

47. *Christianorum status in Turcia, Perside et Africa*—Non tantum in Albania, sed etiam in aliis Turciae europaeae provinciis, Macedonia, Bosnia, Bulgaria, Moldavia, Wallachia, Servia, Iania, Livadia, Morea et in insulis Archipelagi, numerosissimi erant christiani, quorum multi erant catholici seu cum R. Ecclesia uniti, reliqui aut schismate graeco aut haeresi ab ea separati. Anno 1701 Constantinopoli plus quam 12,000 catholicorum numerabantur. In Turcia asiatica Mahomethani numero superabant christianos; hi erant diversarum confessionum, catholici, graeci, armenii, iacobitae, nestoriani. Durus erat christianorum in terris Turcicis status; universim gravibus tributis et praefectorum exactionibus opprimebantur; Turcarum procacitati et vexationibus erant obnoxii; religionis suae exercitium variis limitibus erat constrictum; Mahomethanos ad christiana sacra convertere vel admittere severe erat interdictum. Hinc missionarii catholici, per imperium ottomannicum dispersi, non Turcarum, sed haereticorum et schismaticorum conversioni operam navabant, atque hoc et praecedenti saeculo innumeros a schismate ad unitatem et ab haeresi ad veritatem catholicam perduxerunt. His missionibus potentem opem ferebant catholici principes Europae, praesertim reges Galliae, quorum oratores apud aulam ottomannicam catholicorum causam contra Turcarum, haereticorum et schismaticorum molimina protegebant.

In Perside etiam numerosi erant diversarum confessionum christiani. Inter catholicas ibidem missiones praecipuae erant Ispahamensis, Sirvanensis et Erivanensis. Illic ante dimidium saeculi praecedentis Sedes Apostolica, sumptus largiente pia quadam muliere Galla, appellata du-Guè de-Bagnols, vidua Ricourt, novum episcopatum sub titulo Ba-

[1]) *Synodus provincialis nationis Syrorum-Maronitarum*, Romae 1820, in-4°.

[1]) Mansi, *Concil.* Supplem. t. VI, p. 215; Polidor. *Vita Clementis XI*, l. II, p. 102.

bylonis erexit, primusque Babylonis episcopus fuit Bernardus a s. Theresia, Ordinis Carmelitarum, qui multos infideles, plurimosque schismaticos, quos Armenios, Iacobitas et Nestorianos vocant, ad catholicam fidem convertit. Primis huius saeculi annis Clemens Pp. XI peculiaribus litteris missionarios commendavit Hosaino, Persidis regi seu sultano, et ab eodem subditis catholicis liberam Religionis suae professionem impetravit.

In Africa, ubi olim Religio christiana tantopere floruerat, missiones catholicae neque numerosae neque frequentes erant. In Ægypto plurimi diversarum confessionum christiani numerabantur, sed maxima parte erant schismatici. In variis civitatibus Barbariae, Tripolitana, Tunetana, Algeriana, aliisque catholici aliquot, vel indigenae vel mercatores et consules europaei vel servi, degebant. In insulis, quas Hispani, Lusitani aut Galli possidebant, Religio catholica dominabatur. Sic incolae Ceutae, quam ad littus Barbariae possidebant Hispani, plerique erant catholici, episcopum habentes. In insulis Azoricis, Canariis, Madera, Portu-Sancto et in Promontorio viridi omnes incolae catholicam fidem profitebantur et episcopos habebant. Florebat etiam Religio catholica in insulis Gorea, Senegalia, Guinensibus, item in regnis, quae ad Guineam inferiorem referuntur, nimirum Loango, Congo, Angola et Benguela. Rex Congi ipse cum aulicis suis Religioni catholicae erat addictus [1].

His aliisque in haereticorum aut infidelium terris missionibus multi Europaei ex laicorum numero pia largitate subveniebant, imitantes primos christianos, qui pro ecclesiis pauperibus et fratribus egentibus collectas faciebant: pari studio his temporibus christiani divites ad instituendas, sustinendas et promovendas missiones subsidia conferebant.

48. *Catholicorum status in terris haereticis* — In haereticis Europae terris cruentae in catholicos persecutiones intermissae fuerant; dura tamen in plerisque erat eorum conditio: nam non modo iuribus civilibus et publico Religionis suae exercitio erant orbati, sed saepius etiam vel populi vel magistratus acatholici vexationibus obnoxii. In Anglia et Scotia leges, a temporibus mutatae ibidem religionis, contra catholicos latae, quibus omni civitatis iure et religionis libertate erant privati, per maximam huius saeculi partem viguerunt et frequenter executioni mandatae sunt. Magnus erat catholicorum numerus, non in Anglia tantum, sed etiam in Scotia, praesertim in regionibus septentrionalibus. In Hibernia, cuius incolae maxima parte catholicam Religionem profitebantur, catholici quidem publice sacra sua exercebant, sed muneribus publicis iuribusque civilibus erant exclusi; archiepiscopos, et episcopos proprios habebant; in Anglia vero a Vicariis apostolicis regebantur. Quum autem tum in Hibernia tum in Anglia et Scotia catholici neque collegia neque seminaria formare possent, in exteris regionibus, Italia, Gallia, Hispania et Belgio, varia ad usum Anglorum, Scotorum ac Hibernorum collegia, seminaria atque monasteria excitata sunt, in quibus eorum clerus, saecularis ac regularis, formaretur.

In Hollandia seu Batavia catholici, qui tertiam fere incolarum partem efficiebant, publico religionis exercitio, sed variis modis restricto, et tolerantia civili fruebantur. In acatholicis Helvetiae pagis, in Borussia, Suecia, Dania, aliisque terris haereticis publicum Religionis catholicae exercitium erat proscriptum; quique in hac Religione perseverarant aut ad eamdem transierant, in oratoriis privatis sua sacra exercebant. Posterioribus autem huius saeculi annis, sors catholicorum in plerisque regionibus acatholicis mitigata fuit, iisque et religionis suae exercitium et sic dicta tolerantia fuere concessa; quod partim mitioribus temporis moribus, partim indifferentismo religioso, partim rationibus politicis adscribendum est.

Quemadmodum praecedenti, ita etiam hoc saeculo multi, tum principes tum litterati viri, e coetu Protestantium ad R. Ecclesiam transierunt. Celebrem hac in re consultationem anno 1707 ediderunt doctores lutherani academiae Helmestadiensis. Etenim Ludovicus Rodulphus, dux Brunopoli-Guelpherbitensis, ab iis postulavit, utrum filia sua Elisabetha sine salutis discrimine ad Religionem catholicam transire posset, ut nuptiis potiretur Caroli, archiducis Austriae et postea imperatoris. Illi post maturam rei discussionem responderunt, id fieri posse, quum Ecclesia catholica nullum, quantum ad fidei christianae essentiam spectat, errorem doceat, eiusque membra ad veram Christi Ecclesiam pertineant, et proinde salutem in ea consequi pos-

[1]) *Lettres édifiantes*; Cerry, *État présent de l'Église romaine dans toutes les parties du monde*; Demanet, *Nouvelle histoire de l'Afrique française*.

sint[1]. Haec consultatio, cum egregium pro catholica veritate testimonium praeberet, ubique Lutheranorum indignationem in Helmestadienses theologos concitavit; quapropter hi anno sequenti ad revocandam suam declarationem coacti sunt.

Interim Elisabetha anno 1707 haeresim lutheranam abiuravit et catholicam fidem suscepit. Elisabethae exemplum anno 1710 secutus est avus eius Antonius Vlricus, dux regens Brunopoli-Guelpherbitensis, qui cum filia sua Henrica Christina, abbatissa lutherana Gandersheimensi, sacra catholica amplexus est. Proselytorum e viris principibus censum auxerunt, Christianus Augustus, e familia ducum Saxonicorum, qui principatum Zizensem tenebant; is anno 1717 catholicam fidem amplexus, clericali militiae nomen dedit, postea factus archiepiscopus Strigoniensis in Hungaria et R. E. cardinalis, obiit anno 1725; Mauritius Adolphus Carolus, dux Zizensis, qui mox laudati Christiani Augusti, patrui sui, exemplum secutus, Ordines sacros suscepit, et episcopus Reginae Gradeciensis in Bohemia factus est; Fridericus Augustus, electoris Saxoniae eiusdem nominis filius et successor; Carolus Alexander, e familia ducum Wurtenbergensium, qui cum esset bellidux caesareo-austriacus, factus catholicus, postea fratri suo in regimine ducatus Wurtenbergensis successit; huius filius natu secundus Eugenius; Gustavus et Christianus IV, duces Bipontini, atque Fridericus princeps, posterioris frater; Fridericus, filius primogenitus et postea successor Guilielmi landgravii Hasso-Casselensis; Fridericus Guilielmus et Carolus Ludovicus, duces Holsatienses; Ferdinandus dux Curlandiae; tres principes Darnstadienses, aliique.

E viris, ingenio et eruditione praestantibus, qui abiurata haeresi, ad catholicam Religionem transierunt, mentionem merentur, Ludovicus Kuster, criticus et hellenista; Ioannes Georgius Eckart, Leibnitio amicus, in antiquitatibus ecclesiasticis apprime versatus; Ioannes Otter, Suecus, linguarum orientalium valde peritus.

49. *Tentamina irenica Lutheranor. et Calvinistarum* — Vnio iam saeculis praecedentibus Lutheranos inter et Calvinistas frustra tentata, etiam hoc saeculo agitata fuit. Vnionis negotium praecipue tractatum est in Borussia. Anno 1703 Fridericus rex I aliquot theologis, lutheranis et calvinistis, ut in unum congressi de unione deliberarent, mandavit. Sed haec coepta brevi post irrita facta sunt. Vnus enim e deliberantibus, Iosephus Winkler, concionator apud ecclesiam cathedralem Magdeburgensem, eam unionis rationem suaserat, ut munus praedicatoris ubique theologis, Halae institutis, paulatim reservaretur; accessus ad Eucharistiam sine praevia peccatorum confessione permitteretur; vestimenta sacra, luminaria, exorcismi in baptismo et plerique dies festi, adhuc residui, abrogarentur; de fidei autem doctrinis cuivis parti libertas sentiendi concederetur. Haec vero consilia Lutheranis, orthodoxiae suae studiosis, displicuerunt, eorumque plures scripta contra unionem intentam ediderunt. His responderunt varii theologi calvinistae, in universum ad unionem proniores; et ad eam efficiendam suadebant, ut in primis unio externa iniretur, doctrinae vero inter utramque partem controversae, silentio premerentur. Rex ad conciliandam unionem, in nonnullis urbibus ecclesiam unionis designavit, in qua catechismi Lutheri et Heidelbergensis in eadem mensa collocarentur, et cultus divinus pro utraque parte celebraretur; orphanotrophia Berolinense et Regiomontanum utriusque confessionis pupillis accommodavit, et a facultate theologica Francofordii ad Viadrum theologos lutheranos doctores creari curavit. Verum qui ab unione alieni erant, ea omnia quasi praepropere facta et coacta improbabant. Vnde rege anno 1713 mortuo, totum hoc unionis negotium elanguit.

Anno 1719 I. C. Klemm, in Vniversitate Tubingensi theologiae professor, edito libro unionis negotium tractavit, et ostendere conatus est, errores Calvinistarum minime evertere fundamentum fidei christianae, ut contendebant Lutherani, unionis adversarii. Eius consilia collegium Evangelicorum, quod Ratisbonae residebat, probavit, et 15 articulos constituit, secundum quos unio externa introduceretur, nimirum, ut Lutherani et Calvinistae se invicem velut fratres in Christo considerarent, de doctrinis, inter se controversis, silerent, Eucharistiam modo apud hos modo apud illos perciperent, et sibi invicem plenam iurium ac praerogativarum aequalitatem concederent. Verum istos articulos adversarii unionis, nominatim Erdmannus Neumeister, praedicator Hamburgensis, vehementer improbarunt. Praeterea C. M. Pfaff, in Vniversitate Tubingensi theologiae

[1]) Extat ea consultatio apud Heiss, *Histoire de l'empire*, t. I.

lutheranae professor, in pluribus scriptis, ab anno 1720 editis, conatus est doctrinas Calvinistarum mitigare vel excusare, et ostendere eas nec verae fidei nec morum honestati ac proinde nec unioni officere. At E. S.'-Cyprian scripto an. 1722 libro tum gravitatem errorum, quos Calvinistae tenerent, tum animum eorum Lutheranis inimicum, exposuit. Vnde et hoc tentamen effectu caruit.

Fridericus Guilielmus I, rex Borussiae, ad promovendam in terris suis unionem, ab una parte doctrinam Calvini de absoluta praedestinatione scripto impugnari curavit, ab altera parte sacros aliquot ritus, quibus Calvinistae offendebantur, interdixit. At nulla obtineri potuit unio: nam an. 1740 defuncti regis filius et successor Fridericus II iterum concessit, ut qui vellent, ritus abrogatos suis in coetibus restituerent, quod reipsa in pluribus locis factum est [1].

50. *Lites inter Lutheranos* — In ipsis vero novatorum sectis seu confessionibus dissidia, factiones et turbae increbuerunt. In primis lites, saeculo praecedenti a Spenero eiusque asseclis inter Lutheranos excitatae, perdurarunt, et inter Pietistas atque sic dictos orthodoxos acriter disceptatum est de Lutheranae ecclesiae reformatione. Ipsi Pietistae in diversas factiones se diviserunt. Multi, sententias Speneri pervertentes, in mysticismum, chiliasmum, prophetismum, separatismum aut fanatismum abierunt, totamque ecclesiam et religionem lutheranam inversam volebant. Godefridus Arnold, inspector ecclesiae Perlebergensis in Brandeburgo, mortuus anno 1714, pluribus editis libris mysticismum inter Lutheranos propagare conatus est. I. G. Petersen, variis in locis praedicator, postea depositus et anno 1727 mortuus, chiliasmum seu millenarium Christi in terris regnum propugnavit. C. Dippel, mortuus anno 1734, sub nomine christiani Democriti plura scripta, conviciis in lutheranam ecclesiam plena, edidit, in quibus redemptionem per Christi mortem negavit, sacramentis omnem virtutem ademit et veram ecclesiam e solis iustis, ut ut inter Iudaeos, Mahomethanos aut Ethnicos sint, constare asseruit. I. Tennhart, Norimbergensis, an. 1704 se coelesti voce provocatum affirmavit, ut omnium hominum ordinibus, praecipue clericis, veritatem annuntiaret, eorumque corruptelam iisdem exprobraret. Similiter I. G. Rosenbach, Heidelbergensis, ab an. 1701 visionibus motibusque se impelli asseruit ad praedicandam poenitentiam, et sicut Tennhart, non paucos, etiam theologos quosdam, nactus est asseclas. Ab anno 1713 secta quaedam prophetarum, qui Cemmenii dicti sunt, Berolini aliisque in urbibus, Borussiae regi subiectis, item in terris ad Rhenum sitis et in Suevia, diversi generis homines commentis suis conciliavit, quae potissimum consistebant in inspirationibus divinis, expectatione novae oeconomiae Spiritus S., in qua status ecclesiae emendandus donumque prophetiae omnibus communicandum esset. Post dimidium huius saeculi quidam Rosenfeld, inter alia insana, se novum Messiam venditavit, et tum in Borussia tum in Saxonia et Megalopoli sectatores habuit. Eodem tempore in ducatu Wurtenbergensi complures rustici et plebeii se ab Ecclesia separarunt, inde dicti *Separatistae*, quorum numerus sub finem huius saeculi admodum crevit. Hi quoque divinas inspirationes, quas lumen internum vocabant, venditabant, ecclesiam, a qua se separaverant, Babylonem vocabant, regnumque Christi in his terris millenarium et novam auream Ierosolimam praestolabantur [1].

51. *Herrenhuthani* — Idem pietatis et mysticismi studium ansam dedit celebri Herrenhuthanorum sectae, quae vigesimis huius saeculi annis inter lutheranos, auctore N. L. comite de Zinzendorf et Pottendorf, in Saxonia excitata fuit. Prima horum haereticorum sedes fuit mons quidam prope Bertholdsdorf in Lusatia, cuius nomen Hutberg ansam dedit, ut se sub tutela Domini constitutos dicerent, novumque locum Herrenhuth appellarent. Brevi tempore illorum numerus ita auctus est, ut iam anno 1727 et magis adhuc sequentibus annis complures eorum, non tantum in varias Germaniae provincias, sed etiam in Daniam, Livoniam, Sueciam, Helvetiam, Bataviam, Angliam aliasque terras extraneas se contulerint, et fere ubique unam aut plures communitates condiderint. Herrenhuthani praeter s. Scripturam, quam ut fundamentum et principium divinae revelationis habebant, admittebant inspirationes divinas, quibus revelationem in suis coetibus continuo renovari et evolvi dicebant; liberum eis erat de doctrinis, inter Lutheranos et Calvinistas

---

[1]) I. G. Walch, *Einleitung in die religions-streitigkeiten ausser der lutherischen kirche;* Schlegel, *Kirchengeschihte des* 18 *jahrhundertes.*

[1]) Walch et Schlegel, loc. cit.; Henke, *Religion-annalen.*

controversis, pro arbitrio sentire; pietatem singulari studio colebant, et diversas christianorum confessiones parvipendentes, veram ecclesiam e piis, ubique locorum existentibus, constare arbitrabantur. His potissimum, sicut etiam constitutione ecclesiastica, ab haereticis protestantibus distinguebantur [1].

52. *Lites inter Calvinistas*—Quemadmodum inter Lutheranos, ita etiam inter Calvinistas dissensiones graves et factiones variae excitatae sunt. Sic Helvetii iam primis huius saeculi annis formulam, quae dicebatur *Consensus*, magis magisque spreverunt. Anno 1716 senatus Bernensis, postulante academia Lausanensi, concessit, ut formula ista non ut fidei, sed tantum ut doctrinae norma consideraretur. An. 1722 effectum est, ut formulae istius subscriptio ab invitis non exigeretur, et temporis progressu ea fere omni auctoritate excidit. In Gallia et alibi, non obstante synodo Dordracensi, multi Vniversalismum seu generalem hominum ad salutem destinationem iam saeculo praecedenti propagatum defenderunt, quorum numerus in Batavia, Palatinatu et alibi continuo auctus est; aliis Particularismum Calvini vindicantibus, quem etiam an. 1746 synodus in Transylvania celebrata confirmavit; sed progressu temporis Calvinistae plerique eum deseruerunt. In Batavia prioribus huius saeculi annis F. de Leenhoff, P. de Hattem, P. Maty varia dogmata, omnibus diversarum confessionum christianis probata, scriptis impugnarunt. Posterioribus huius saeculi annis permulti e Calvinistis, sicut e Lutheranis, ad deismum, sive per naturalismum sive per rationalismum, deflexerunt [2].

Praeterea inter Calvinianos non minus quam inter Lutheranos diversis in locis separatistae, mystici et phantasiastae orti sunt. Anno 1730 in Scotia complures in sectam coaluerunt; qui ab auctore suo Ioanne Glass dicti sunt primo Glassitae, deinde Sandemanniani a Sandemanno, qui post huius saeculi dimidium magnam inter eos auctoritatem consecutus est. Supremum autem principium, quo a caeteris Calvinistis differebant, erat: Non tantum omnia praecepta moralia, quae in N. Testamento occurrunt, strictissime ad litteram esse observanda, sed etiam quae Christus, Apostoli et primaevi christiani egisse in eo leguntur, quantum fieri possit, non omittenda. Ex ecclesia Anglicana, quae etiam Episcopalis dicitur, quam plurimi secuti genium aetatis, a doctrinis revelatis abhorrentem et tot scriptis in Anglia nutritum, ad arianismum, socinianismum, naturalismum, indifferentismum et scepticismum deflexerunt. Inter ipsos clericos anglicanos haud pauci erant hoc tempore, qui doctrinas, orthodoxiae statutae oppositas, defenderent. Praeter alios D. Whitby, praedicator Sarisberiensis, in libro anno 1711 edito, peccatum originale negavit, et in alio posthumo arianismum professus est. Samuel Clarke, parochus Londinensis et praedicator aulicus, in libro an. 1712 edito, docuit solum Patrem proprium et verum esse Deum, Filium autem et Spiritum S. virtutibus quidem divinis instructos esse, quas tamen non ex se ipsis haberent, sed a Patre actu eius voluntario accepissent. Eodem tempore G. Whiston, parochus Suffolciensis, arianismum, quasi a Christo ipso et Apostolis traditum atque a plerisque christianis usque ad concilium Nicaenum creditum, in sermonibus, catechesibus literisque propugnavit; novum etiam Christi in terras adventum, regnumque ab eo condendum docuit; narrationem Geneseos de lapsu protoparentum allegorice interpretatus est. B. Hoadley, episcopus Wincestriensis, omnes gratias supernaturales negavit, nullique hominum ius condendi praescripta religionis, formulas fidei aut leges ecclesiasticas, quae alios obligent, competere asseruit. Sykesius, theologiae doctor et praedicator Londinensis, in libro an. 1737 edito, contendit, daemoniacos Evangelii non a diabolo obsessos, sed insania, epilepsia aut aliis morbis correptos fuisse. Praeterea plures, et inter hos etiam episcopi, librorum symbolicorum et speciatim 39 articulorum auctoritati detraxerunt, illos vel abrogandos, vel saltem non ut fidei, sed doctrinae tantum normam habendos esse contenderunt [1].

53. *Methodistae*— Cum sic plerique clerici Anglicani circa positiva Fidei dogmata tepescerent, nonnulli inter eos surrexerunt,

---

[1]) Cranz, *Alte und neue Brüderhistorie;* Spangenberg, *Leben des grafen von Zinzendorf*; Fresenius, *Bewährtenachrichten von herrnhuthischen sachen.*

[2]) Walch, loc. cit.; Iablonsky, *Instit. histor. christ. recentioris.*

[1]) Bellamy, *Geschichte aller religionen;* Stäudlin, *Kirchliche geographie und statistik;* Grégoire, *Histoire des sectes religieuses;* Alberti, *Briefe über den allerneuesten zustand der religion und wissenschaften in Grossbritanien.*

qui ea resuscitare, frequenter ac graviter inculcare conati sunt. Id fecerunt praedicatores Methodistarum, qui originem suam potissimum debent Ioanni Wesley. Hic circa annum 1729 in Vniversitate Oxoniensi litteris vacans, cum aliquot studiorum sociis societatem iniit ad varia pietatis exercitia frequentanda. Eorum condiscipuli novam ab eis christianae vitae methodum observari iocabantur, eosque propterea methodistas appellabant, quod nomen ii adoptarunt et postea ad omnes suos asseclas transtulerunt. An. 1732 eis accessit Georgius Whitefield, qui incredibili dicendi vi praeditus, in sacris concionibus materias dogmaticas, a plerisque praedicatoribus neglectas, de peccato originali, de redemptione, de fide in Christum, de regeneratione, de studio pietatis, aliisque omni eloquentiae vi et frequenti locorum biblicorum usu pertractabat, omniumque oculos et animos in se convertebat. Eamdem methodum Wesley caeterique praedicatores methodistae secuti sunt. Mox plures e populo eis arctius adhaeserunt, quos Wesley an. 1738 Londini in unam societatem coniunxit, certisque regulis, ut plurimum pietatis exercitia praescribentibus, instruxit. Eorum numerus continuo augebatur; cumque praedicatores methodistae ab ecclesiis excluderentur, an. 1739 propria oratoria extruere coeperunt, et ab hoc tempore distinctam ab aliis sectam effecerunt.

Methodistae in dogmate vix ab ecclesia episcopali dissentiebant; singulari studio positivis christianae religionis doctrinis, supra indicatis, adhaerebant; eosdem cum ecclesia episcopali ritus conservarunt, quos maiori cum devotione peragebant; a religiosis phantasiis non erant liberi; immediatas Spiritus divini in hominem operationes sensibus percipi docebant, iisque suspiria, singultus aliosque corporis motus, quibus in sacris suis conventibus afficiebantur, attribuebant; morum severitatem, habitum devotum ac simplicem vivendi rationem prae se ferebant. Qui autem ad eos accedebant, ecclesiae suae renuntiare non tenebantur, hacque ratione omnium sectarum homines ad eos pertinere poterant et reipsa pertinebant, quemadmodum Lutherani et Calvinistae pertinere poterant ad Herrnhuthanos. Eorum secta in Anglia, Hibernia et America septentrionali latissime propagata est [1].

[1]) Grégoire, loc. cit.; Burkhards, *Vollstandige geschichte der Methodisten in England.*

54. *Irreligiositas in Anglia* — Vidimus saeculo praecedenti tetra certamina, quae irreligiosi scriptores Christianismo et Religioni revelatae in universum intulerunt [1]. Eiusmodi scriptorum numerus hoc saeculo valde auctus est; quorum alii Christianismum, alii omnem revelationem, alii Religionem in universum impugnarunt, vel simpliciter negando et reiiciendo, vel ratiociniis et disquisitionibus philosophicis ac historicis utendo vel, ut plerique faciebant, irrisiones, convicia atque calumnias in auxilium vocando. In Anglia maximus erat scriptorum irreligiosorum numerus, inter quos eminebant hi qui sequuntur:

Ioannes Toland, qui iam praecedenti saeculo Religionem impetierat, nunc in libro *Adeisidemon*, Religionem christianam ut superstitionem, ipso atheismo nocentiorem, proposuit; in libro *Nazarenus*, protulit quoddam evangelium, Barnabae suppositum, e quo doctrinas Nazaraeorum et Ebionitarum, a pseudo-Barnaba propositas, Christi doctrinas fuisse contendit: in libro *Panteisticon*, anno 1720 edito, pantheismum explicavit commendavitque. Antonius Collins in tractatu de libertate cogitandi, an. 1713 edito, non tantum cunctis hominum sententiis, quae ad religionem publicam pertinent, contradixit, sed omnem religionem superstitionem, cultum divinum histrionium, sacerdotes impostores et fatuos appellavit; in tractatu de rationibus et probationibus religionis christianae, an. 1724 in lucem emisso, argumentum, quod pro Religionis christianae veritate petitur e prophetiis, impugnavit. Thomas Woolston in 6 tractatibus de miraculis Christi, ab an. 1729 editis, impugnavit argumentum pro christiana Religione desumptum a miraculis. Matthaeus Tindal praeter librum de iuribus Ecclesiae christianae, in quo omnem religionem et ecclesiam inter instituta mere politica, a civitate in cunctis dependentia, detrusit, anno 1730 edidit librum: *Christianismus mundo coaevus*, in quo revelationis existentiam, possibilitatem et necessitatem negavit, doctrinas positivas christianae Religionis sacerdotum inventa dixit, aliasque irreligiosas assertiones protulit. Thomas Morgan plerasque Tindali sententias secutus est, in hoc tamen eo mitior, quod revelationis possibilitatem non negavit; et nunquam sibi constans, primo arianismum, deinde quakerismum defendit, denique in pluribus scriptis,

[1]) Vid. p. 218-219.

praecipue in libro inscripto: *Philosophus moralis*, qui an. 1737 editus est, universam christianam, imo omnem revelatam religionem impugnavit. Thomas Chubb in pluribus tractatibus, inde ab an. 1715 editis, dogmati de ss. Trinitate adversatus est, rationem in materia Religionis sufficere contendit, et christianam Religionem diversimode impugnavit. Alii alia scripta vulgarunt, quibus religio naturalis commendabatur, christiana vero probris et conviciis impetebatur. Henricus vicecomes de Bolingbroke in pluribus scriptis omnem religionem, naturalem et revelatam, cunctasque Dei proprietates morales negavit, et homini, cuius rationem non nisi instinctum, plus minus exercitatum dicebat, non alium quam animalem finem attribuit. Similiter David Hume omnem religionem, maxime christianam, insectatus est, animae immortalitatem ipsiusque Dei existentiam in dubium vocavit, morales Dei proprietates et providentiam negavit, et morale humanarum actionum discrimen non ratione, sed communi hominum opinione inniti contendit.

Plerique hi aliique scriptores, qui theoreticam christianae Religionis doctrinam conviciati sunt, etiam practicam impugnarunt. In hunc finem vel actiones immorales, in Scripturis narratas, urgebant quasi ad exemplum propositas, vel s. Scripturae effata sinistre interpretabantur, vel totum genium moralis Christi doctrinae in invidiosam lucem collocabant. Omnium impudentissime, non tantum contra christianam, sed contra omnem ethicam scripserunt Bernardus Mandeville et Albertus Radicati.

Huiusmodi scriptis contra Religionem vulgatis, irreligio, et ex hac, ceu prono alveo fluens, morum perversitas latissime per Angliam propagata est. Scripta ista irreligiosa non tantum ab Apostolica Sede fuerunt proscripta, sed etiam a scriptoribus apologeticis confutata, qui vel singulos adversariorum libros refutarunt, vel veritatem et divinitatem Religionis christianae in universum propugnarunt. Ipse magistratus civilis nonnunquam impudentiora scripta publice damnavit et concremari iussit, vel eorum auctores poena carceris affecit, quod Woolstonio et Radicato accidit. Verum irreligiosa scripta avidius et a pluribus legebantur quam apologetica; documenta fallacia, quae subiectionem deiiciebant, et libertatem quidlibet sentiendi in negotia Religionis fovebant, nimium inter Anglos invaluerant; et in ipsis curiis haud pauci erant increduli.

In alias etiam regiones irreligiosae doctrinae progressu temporis illatae sunt, praesertim in Galliam, in qua, ut suis locis videbimus, longe maiores progressus fecerunt, gravioresque effectus produxerunt.

55. *Scriptores ecclesiastici* — Iisdem tamen temporibus floruerunt eruditi Religionis defensores. Inter scriptores ecclesiasticos, qui priori huius saeculi dimidio vixerunt, ac in primis studio biblico praeter alios operam navarunt, hi qui sequuntur, numerantur: Petrus Guarin, e Congr. s. Mauri, praeter grammaticam hebraicam et chaldaicam confecit lexicon hebraico-chaldaico-biblicum [1]. Iacobus le-Long, Parisiensis, presbyter Oratorii, concinnavit discursum historicum de Bibliis polyglottis variisque eorum editionibus, et bibliothecam sacram, quae continet catalogum Bibliorum manuscriptorum et textuum originalium, eorum editionum et versionum, auctorum qui de Scriptura s. scripserunt, eorumque operum [2]. Petrus Sabbatier, Pictaviensis, e Congreg. s. Mauri, adornavit Bibliorum sacrorum antiquas versiones latinas, cum Vulgata latina et textu graeco comparatas, adiectis praefationibus, observationibus, notisque [3]. Iosephus Bianchini, presbyter Oratorii Romani, publicavit vindicias Scripturarum canonicarum vulgatae editionis [4], et Evangeliarium quadruplex latinae versionis antiquae [5]. Petrus Daniel Huet, Cadomensis, ex abbate Alunensi episcopus Abrincensis, vir grandis eruditionis, reliquit plurima scripta, inter quae eminent *Demonstratio Evangelica* [6], liber de claris interpretibus et de optimo genere interpretandi, *Quaestiones Alnetanae* de concordia rationis et Fidei, liber de situ paradisi terrestris. Augustinus Calmet, Lotharenus, Ord. s. Benedicti, abbas Senonensis, scripsit gallice commentarium litterale in omnes utriusque Testamenti libros, adiectis multis dissertationibus [7], historiam V. et N. Testamenti [8], Dictionarium historicum, criticum, geographicum Bibliorum [9], historiam universalem

---

1) 1746, 2 vol. in-4°.
2) 1723, 2 vol. in-fol.
3) Rhemis 1743, 3 vol. in-fol.
4) Romae 1740, in-fol.
5) Ibid. 1749, in-fol.
6) Paris. 1679 et 1690, in-fol.
7) 1707-15, 23 vol. in-4.°
8) Paris. 1716, 2 vol. in-4.°
9) Ibid. 1730, 4 vol. in-fol.

sacro-profanam[1], Commentarium litteralem, historicum et moralem in regulam s. Benedicti[2] et alia. I. I. Duguet, Brisomontanus, presbyter Oratorii Gallicani, dedit gallice explicationes in Genesim, Iob, Psalmos 75, Isaiam, Ionam et Habacuc, in libros Regum, Esdrae et Nehemiae, in Cantica Canticorum et Sapientiam, aliaque plurima, inter quae nonnulla in favorem factionis Iansenianae, cui se devoverat. Ioannes Vittement, rector Vniversitatis Parisiensis, scripsit commentarios in plures V. T. libros. Iacobus Philippus Lallemant, Picardus, S. I., praeter varia contra Iansenistas opuscula, edidit gallice Psalmorum sensum proprium et litteralem, et considerationes morales et notas in N. Testamentum, Quesnellianis oppositas[3]. Ioannes Gerardus Kerkherdere, Lovanii professor historiae, scripsit systema apocalypticum; de monarchia Romae paganae secundum concordiam inter sanctos prophetas Danielem et Ioannem; prodromum Danielicum sive conatus historico-criticos in difficultates historicas V. T., praecipue in Danielem prophetam; de situ paradisi terrestris; de Cepha reprehenso. Natalis Alexander, Rothomagensis, Ord. Praed. et doctor Sorbonicus, publicavit commentarios in Evangelia et in Epistolas D. Pauli[4].

Eruditione theologica claruerunt permulti. Nominatus Natalis Alexander, cuius extat Theologia dogmatica et moralis[5]. Honoratus Tournely, doctor Sorbonicus, edidit Praelectiones theologicas optimas[6]. Gislenus Daëlman, doctor Lovaniensis, reliquit Theologiam scholastico-moralem[7]. Nicolaus l'Herminier, doctor Sorbonicus et archidiaconus Cenomanensis, composuit Theologiam ad usum scholarum accommodatam[8]. Paulus Gabriel Antoine, Lotharenus, S. I., scripsit Theologiam universam dogmaticam[9] et Theologiam moralem[10]. Edmundus Simonet, Lingonensis, S. I., redegit institutiones theologicas ad usum Seminariorum[11]. Renatus Billuart, Revinensis, Ord. Praed., concinnavit cursum theologiae universae secundum mentem D. Thomae[1]. Vincentius Ludovicus Gotti, Bononiensis, Ord. Praed. et R. E. cardinalis, inter cuius opera eminent theologia scholastico-dogmatica[2], tractatus de vera Christi Ecclesia[3], veritas Religionis christianae contra atheos, polytheos, Mahomethanos, ethnicos et Iudaeos[4], colloquia theologico-polemica, tractatus de eligenda inter christianos dissidentes sententia. Daniel Concina, Foroiuliensis, Ord. Praedicat., praeter alia reliquit Theologiam christianam dogmatico-moralem[5], dissertationes theologicas, morales et criticas de probabilismo et rigorismo[6], tractatum de Religione revelata contra atheos et deistas[7]. Iordanus Preingue, Ord. Praed., doctor Lovaniensis, auctor est Theologiae speculativae et moralis[8]. Petrus Ludovicus Danes, Flander, doctor Lovaniensis, composuit institutiones doctrinae christianae sive compendium theologiae dogmaticae et moralis; tractatus theologicos de fide, spe et charitate, de virtutibus cardinalibus, de peccato originali, legibus et gratia, deque aliis; generalem temporum notionem, productam postea et suppletam a Ioanne Natali Paquot. Ioannes Laurentius Semelier, Parisiensis, presbyter Congreg. Doctrinae christianae, redegit collationes theologicas de matrimonio, usura, peccatis et decalogo. Franciscus Babin, Andegavensis, S. T. doctor, edidit collationes ecclesiasticas Andegavenses. Carolus Franciscus Dubos, publicavit collationes Lucenses.

Inter polemicos numerantur hi qui sequuntur: Vitus Pichler, Germanus, S. I., in Vniversitatibus Dilingensi et Ingolstadiensi professor, concinnavit Theologiam polemicam, in qua generalia theologiae controversisticae fundamenta et principia, e quibus infideles haeretici et sectarii manifesti erroris convincantur, et materiae particulares cum protestantibus et recentioribus haereticorum sectis controversae et ab Ecclesia catholica contra eosdem decisae, traduntur[9]; ius canonicum secundum 5 Decretalium titulos Gregorii Pp. IX explicatum, cura et studio F. A.

---

[1]) 14 vol. in-4°. — [2]) 2 vol. in-4°.
[3]) 1713, 12 vol. in-12°.
[4]) Paris 1703, 2 vol. in-fol.
[5]) 11 vol. in-8°, et 2 in-fol.
[6]) 16 vol. in-8°. — [7]) 9 tom. in-12°.
[8]) 1709, 7 vol. in-8°.
[9]) Paris 1740, 7 vol. in-12°.
[10]) Ibid. 1744, 4 vol. in-12°.
[11]) Nancaei 1621, 11 vol. in-12°; Venet. 1731, 3 vol. in-fol.

[1]) Leodii 1746, 19 vol. in-8°, Venet. et Wirceburg. 3 vol. in-fol.
[2]) Bonon. 16 vol. in-4°; et Venet. 1750, 3 vol. in-fol.
[3]) 3 vol. — [4]) Romae 1735, 12 vol. in-4°.
[5]) 1746, 12 vol. in-4°.
[6]) Lucae 1743, 2 vol. in-4°.
[7]) Venet. 1754 in-4°.
[8]) Gandavi 1744, 13 vol. in-8°.
[9]) August. Vindel. 1752, 2 vol. in-4°.

Zaccariae editum [1]; epitome Iuris canonici secundum decreta [2]. V. L. Gotti et D. Concina, supra indicati. Eusebius Renaudot, Parisiensis, in ecclesiastica Orientalium historia, eorumque dogmatum scientia versatissimus, opus A. Arnaldi de perpetua fide ecclesiae catholicae circa Eucharistiam duobus voluminibus auxit, in quibus constantem Ecclesiae doctrinam de Sacramentis aliisque Religionis et disciplinae articulis contra haereticos protestantes comprobavit per ecclesiarum Orientalium consensum; dedit praeterea Defensionem perpetuae fidei contra falsitates et calumnias libri inscripti: *Monumenta authentica religionis Graecorum*; item reliquit historiam patriarcharum Alexandrinorum Iacobitarum [3]; collectionem liturgiarum Orientalium [4]. Ioannes Iacobus Scheffmacher, Alsatiensis, S. I., scripsit gallice epistolas ad nobilem quemdam protestantem de sex salutis obstaculis, quae habentur in religione lutherana [5]. Franciscus Seedorff, Friburgensis, S. I., exornavit epistolas 12 pro instructione principis Friderici, comitis Palatini, de reditu ad R. Ecclesiam deliberantis. Renatus Drouin, Ord. Praed., composuit tractatum de re sacramentaria contra haereticos [6]. Ioachim le Grand, Brioverensis, impugnavit Burneti historiam reformationis Anglicanae, vindicavitque Bossuetii historiam Variationum protestanticarum. I. le-Fevre, doctor Sorbonicus, edidit motiva apta ad convincendos protestantes; instructiones pro neo-conversis; concordiam contradictionum apparentium s. Scripturae. I. de la Fontaine, Winocibergensis, S. I., multa scripsit ad defendendam constitutionem *Vnigenitus* [7]. Franciscus Ilharat de-la-Chambre, doctor Sorbonicus, scripsit de veritate Religionis, de Ecclesia, de gratia, de formulario, aliisque contra Baii, Iansenii et Quesnellii asseclas. Matthaeus Petit-Didier, Ord. s. Bened. abbas Senonensis, episcopus Macrensis, ex apologista epistolarum provincialium factus strenuus constitutionis *Vnigenitus* defensor, vindicavit doctrinam moralem et disciplinam R. Ecclesiae contra librum gallice scriptum, cui titulus: Relatio inter doctrinam moralem paganorum et Iesuitarum; scripsit praeterea dissertationem de mente concilii Constantiensis circa auctoritatem R. Pontificis, et observationes in Bibliothecam ecclesiasticam Ludovici Dupin. Vincentius Thuillier, Codiacensis, Congreg. s. Mauri, primo Bullae *Vnigenitus* adversatus, postea variis scriptis eamdem defendit. Ioannes Vittement, supra laudatus, praeter tractatus de gratia, de Bulla *Vnigenitus*, aliisque quaestionibus theologicis, reliquit refutationem systematis Spinosae. Ignatius Laubrussel, Verodunensis, S.I., scripsit tractatum de abusibus critices in negotio Religionis contra haereticos et incredulos [1]. Renatus de Breil de Pontbriand, e Britannia minori, abbas s. Mariani, dedit incredulum errore levatum et Christianum in fide sua firmatum [2]. Melchior de Polignac, Podiensis, R.E. cardinalis, composuit poëma cui titulus, *Antilucretius*. Claudius Franc. Houteville, Parisiensis, veritatem Religionis christianae probavit e factis [3]. Ioannes Franc. Baltus, Metensis, S.I., ss. Patres vindicavit ab affiicto iis Platonismo [4]; defendit etiam prophetias christianae Religionis [5]; huiusque veritatem demonstravit ex impletis vaticiniis [6]; dedit praeterea sententias ss. Patrum de doctrina morali philosophorum ethnicorum [7]. Iacobus le-Febvre, Hanno, S. I., cui debentur examen criticum operum Baylii, [8] et sola Religio vera demonstrata contra atheos, deistas et haereticos [9]. Victor Amedeus Soardi, Taurinensis, presbyter Congreg. s. Lazari, auctor est libri cui titulus: *De suprema R. Pontificis auctoritate hodierna ecclesiae Gallicanae doctrina* [10]. F. I. Augustinus Orsi, Hetruscus, R. E. cardinalis, tractavit infallibilitatem R. Pontificis contra articulos declarationis cleri Gallicani [11]. Renatus Iosephus de Tournemine, Rhedonensis, S. I., adlaboravit ephemeridibus Trivoltianis; redegit dissertationes plures de atheismo, de libertate sentiendi in negotio Religionis, de immortalitate animae et causis incredulitatis, deque aliis argumentis; praeterea edidit commentarios Menochii in s. Scripturam, adiectis doctis dissertationibus.

---

1) Venet. 1758, 2 vol. in-fol.
2) August. Vindel. 1749, 2 vol. in-12°.
3) Paris. 1713, in-4°.
4) Ibid. 1716, 2 vol. in-4°.
5) Argentin. 1748, 2 vol. in-4°.
6) Venet. 1737, 2 vol. in-fol.; Paris. 1775, 9 vol. in-12°.
7) 4 vol. in-fol.

---

1) Paris. 1710, 2 vol. in-12°. — 2) 1752 in-8°.
3) 1722 in-4°; 1741, 4 vol. in-12°.
4) 1711 in-4°. — 5) 1737, 3 vol. in-12°.
6) 1728 in-4°. — 7) Argentin. 1719, in-4°.
8) Paris. 1747, in-12°.
9) Ibid. 1744, in 8°.
10) Avenion. 1747, in-4°, et Heidelberg. 1793
11) 1741, 3 vol. in-4°.

Historiam ecclesiasticam pertractavit Iacobus Laderchi, presbyter Oratorii Romani, qui Annales Baroniano-Raynaldianos ab an. 1566 usque ad 1572 tribus vol. in folio continuavit; Acta Ssrum Christi martyrum vindicavit[1], aliaque varia scripsit. Insuper, Claudius Fleury, prior Argentoliensis, acad. Parisiensis socius, plura ingenii sui monumenta reliquit, inter quae habentur historia ecclesiastica usque ad ann. 1414[2]; mores Israëlitarum et Christianorum; institutiones iuris ecclesiastici, et catechismus historicus, ambo in quibusdam castiganda. Natalis Alexander, supra laudatus, auctor est historiae ecclesiasticae V. et N. Testamenti, passim non legenda sine notis et animadversionibus C. Roncaglia et D. Mansi. Ignatius Hyacinthus Amat de Graveson, Ord. Praed., praeter opuscula de gratia efficaci, de praedestinatione, de vita et mysteriis D. N. Iesu Christi, dedit historiam V. Testamenti[3] et historiam ecclesiasticam variis colloquiis digestam[4]. Franciscus Timoleon de Choisy, decanus ecclesiae cathedralis Baiocensis, scripsit historiam ecclesiasticam, quae tamen parvi ducitur[5]. Cardinalis Orsi, supra laudatus, auctor est Historiae ecclesiasticae, perductae usque ad an. 600[6], a quo eam prosecutus est P. A. Becchetti. Iacobus Longueval, S. I., scribere coepit historiam ecclesiae Gallicanae, quam continuarunt socii eius, Fontenay, Brumoy et Berthier[7]. Franciscus Ignatius Dunod scripsit Historiam archiepiscopatus Vesuntini; Cornelius Van Gestel historiam archiepiscopatus Mechliniensis; Philippus Andreas Grandidier gesta ecclesiarum Argentinensis et Alsatiensis; Ioannes Franc. Foppens tractavit de ecclesiis Antwerpiensi et Sylvaeducensi, de Chronologia episcoporum Belgii ab an. 1561 usque ad 1761, deque Bibliotheca belgica; Corn. Paulus Hoynck Van Papendrecht concinnavit historiam Ecclesiae Vltraiectinae, Epistolas 6 de haeresi et schismate aliquot presbyterorum Vltraiectensium, tractatum historicum de Capitulo cathedrali ecclesiae metropolitanae Vltraiectinae, et analecta belgica. Ioannes Bertholet scripsit Historiam ecclesiasticam et civilem ducatus Limburgici et comitatus Chiniensis, atque historiam festi Corporis Christi. Dionysius Sammarthanus, Congr. s. Mauri, praeter tractatum de confessione auriculari et alia, edidit 3 prima volumina Galliae Christianae, post mortem eius auctae usque ad 13 in folio. Iacobus Villotte, S. I., edidit Armeniam christianam[1]. Inter huius saeculi ecclesiasticos historicos etiam adnumerantur: Michaël le-Quien, Bononiensis, Ord. Praed., cui debentur *Oriens christianus* in quatuor patriarchatus digestus[2], Panoplia contra schisma Graecorum, defensio textus hebraei contra Pezronium, et Tractatus de ordinationibus Anglicanis adversus P. F. Courrayer. Eusebius Renaudot, cuius opera supra indicavimus. Petrus Charlevoix, S. I., exaravit historias Iaponiae[3], Paraguariae[4], Insulae s. Dominici[5], et Novae Franciae[6]. Franciscus Bianchini, Veronensis, vitas RR. Pontificum Anastasii bibliothecarii, seu Pontificale, notis et prolegomenis auxit[7]; scripsit etiam de calendario et cyclo Caesaris atque de Paschali canone s. Hyppolyti martyris dissertationes duas[8]. Antonius Sandini, professor in seminario Patavino, praeter historias Familiae sacrae et Apostolorum, edidit Vitas RR. Pontificum et disputationes 20 ex Historia ecclesiastica. Stephanus Baluzius, Tutelensis, collegit Vitas RR. Pontificum qui Avenione morati sunt[9]; multa etiam veterum ecclesiasticorum scriptorum opera et capitularia regum Francorum auctiora et emendatiora edidit. Georgius Iosephus Eggs auctor est Pontificii docti et Purpurae doctae seu biographiae episcoporum et cardinalium[10]. Hilarius Dumas, D.r Sorbonicus, dedit Historiam quinque propositionum Iansenii[11]. Petrus Franc. Lafitau episcopus Sistaricensis, praeter alia

---

1) Romae 1723, 2 vol. in 4°.
2) 20 vol. in-12°, et 12 vel 13 in-4°. Cum historia ecclesiastica Fleurii, qui in R. Pontificis dignitatem irreverentem se praebuit, conferendae sunt Observationes, quas ad eius audaciam refutandam scripserunt Honoratus a s. Maria, Balduinus Housta, Muzzarelli et Marchetti.
3) Bassan. 1791, in-4°.
4) Ibid. cum notis et continuatione D. Mansi 1793, 3 vol. in-4°.
5) 11 vol. in-4° et in-12°.
6) 20 vol. in-4° et in-8°.
7) Nismes 1781, 18 vol. in-8.°

---

1) Romae 1714 in-fol.
2) Paris 1740, 3 vol. in-fol.
3) 6 vol. in-12°, et 2 vol. in-4°.
4) 6 vol. in-12°.
5) 2 vol. in-4° et 4 in-12°.
6) 4 vol. in-12°.
7) Romae 1718, 4 vol. in-fol.
8) Ibid. 1703, in-fol.
9) 2 vol. in-4°. Opus insertum Indici librorum prohibitorum.
10) Monachii 1714, 4 vol. in-fol.
11) Trevolt. 1702, 3 vol. in-12°.

scripsit vitam Clementis Pp. XI et historiam constitutionis *Vnigenitus:* Carol. de-Decker, canonicus Mechliniensis, dedit historias breves Baianismi et Iansenismi. Carolus du-Plessis d'Argentré, doctor Sorbonicus et episcopus Tutelensis, collegit iudicia de novis erroribus, qui ab initio saec. XII usque ad annum 1725 in Ecclesia proscripti et notati sunt [1]. Hippolytus Helyot, Parisiensis, Ord. s. Francisci, concinnavit historiam prolixam omnium Ordinum monasticorum, religiosorum, equestrium [2]. Iosephus Jouvency, Parisiensis Iesuita, continuavit historiam Societatis Iesu. Carolus Ludovicus Hugo, Lotharenus, Ord. Praemonstratensis et episcopus Ptolemaidis, collegit annales sui Ordinis [3], et sacrae antiquitatis monumenta historico-dogmatica [4]. Iosephus Bourgoin de Villefore, Parisiensis, collegit Vitas ss. Patrum deserti Orientis et Occidentis. Marcus Battaglini, Arminiensis, ex episcopo Nocerensi Caesenensis, dedit historiam universalem Conciliorum [5], et Annales sacerdotii et imperii saec. XVII [6]. Ioannes Harduinus, Corisopitensis, S. I., vir magni ingenii, sed in multis singularis, curavit novam Conciliorum editionem [7], variaque scripta reliquit. Iosephus Hartzeim, Coloniensis, S. I., praeter alia plura dedit collectionem Conciliorum Germaniae, deinde ab aliis auctam et continuatam. Edmundus Marthene, Congr. s. Mauri, edidit collectionem amplissimam veterum scriptorum et monumentorum [8]; Thesaurum novum anecdotorum [9], tractatus de antiquis monachorum ritibus, de antiquis Ecclesiae ritibus in re sacramentaria et in celebrandis divinis officiis; commentarium in regulam s. Benedicti. Bernardus de Montfaucon, Congr. s. Mauri, edidit Analecta graeca [10]; monumenta veterum Graecorum [11]; palaeographiam graecam [12]; hexaplorum Origenis fragmenta [13]; diarium Italicum [14]; bibliothecam bibliothecarum manuscriptorum novam [15]; monumenta monarchiae Francicae [16]. Ludovicus Antonius Muratori, primo Ambrosianae Mediolanensi, dein Atestinorum principum bibliothecae praefectus, vir magnae eruditionis et foecundi ingenii, inter cuius opera eminent anecdota latina [1], greca [2]; collectio scriptorum rerum Italicarum [3]; Antiquitates Italicae medii aevi [4]; Annales Italiae ab initio aerae vulgaris usque ad annum 1500 [5]; Thesaurus novus veterum inscriptionum [6]; liturgia Romana vetus [7]; alia plura. Ludovicus Ellies Dupin, Parisiensis, sacrae Facultatis doctor, multa scripsit, at non omnia recte: plura enim ab Apostolica Sede notata sunt, propterea quod auctor nimis studiosus novitatis et intemperantis criticae sectator fuerit. Praeter alia composuit bibliothecam scriptorum ecclesiasticorum; dissertationes de antiqua Ecclesiae disciplina; tractatus de potestate ecclesiastica et civili; criticen historiae Apollonii Tyanaei; tractatum historicum de excommunicationibus; methodum studii theologici; alia. Nicolaus le-Nourry, Deppensis, Congr. s. Mauri, redegit apparatum ad bibliothecam Patrum et dissertationem in librum *De mortibus persecutorum*. P. le-Brun, Brignoniensis, presbyter Oratorii Gallicani, dedit historiam criticam usuum superstitiosorum et explicationem Missae atque liturgiarum ecclesiasticarum. I. Grancolas, Parisiensis, doctor Sorbonicus, publicavit tractatum liturgicum; vetus sacramentarium ecclesiasticum; commentarium in Breviarium romanum; aliaque. Ioannes M. Tommasi, R. E. cardinalis, anno 1803 a Pio Pp. VII inter Venerabiles relatus, praeter alia edidit codices Sacramentorum, nongentis annis vetustiores; antiquos libros missarum R. E.; sacrorum Bibliorum titulos; institutiones theologicas antiquorum Patrum.

Iurisprudentiam excoluerunt supra commemorati Claudius Fleury et Vitus Pichler. Zegherus Bernardus Van Espen, Lovaniensis, sectae iansenianae addictus, in lucem dedit ius ecclesiasticum universum. Ioannes Petrus Gibert, doctor Aquensis, praeter observationes in ius ecclesiasticum Van Espen, reliquit Institutiones ecclesiasticas et beneficiales; corpus iuris canonici; consultationes canonicas de Sacramentis; traditionem Ecclesiae circa Sacramentum matrimonii. Ignatius Sch-

[1]) Paris. 1728, 3 vol. in-fol.
[2]) Paris. 1714, 8 vol. in-4°.
[3]) Nancaei 1736, 2 vol. in-fol.
[4]) 1725, 2 vol. in-fol.
[5]) 1686 in-fol.
[6]) 1701, 4 vol. in-fol.
[7]) 1715, 12 vol. in-fol.
[8]) Paris. 9 vol. in-fol.
[9]) 1717, 5 vol. in-fol. — [10]) 1688, in-4°.
[11]) 1706, 2 vol. in-fol. — [12]) 1708, in-fol.
[13]) 1713, 2 vol. in-fol. — [14]) 1702, in-4°.
[15]) 1739, 2 vol. in-fol.
[16]) 1729, 5 vol. in-fol.

[1]) Mediolan. 1697, 2 vol. in-4°.
[2]) Patav. 1709, 3 vol. in-4°.
[3]) 1723, 27 vol. in-fol.
[5]) 12 vol. in 4°.
[4]) 1738, 6 vol. in-fol.
[6]) Mediolan. 1739, 6 vol. in-fol.
[7]) Venet. 1748, 2 vol.

wartz, Suevus, S. I., concinnavit institutiones et collegia historica, atque institutiones iuris publici universalis naturae et gentium. Anacletus Reiffenstuel, Germanus, Ord. Min., praeter tractatum de probabilismo, reliquit ius canonicum universum cum tractatu de regulis iuris et repertorio generali [1]. Ioannes B. Rigantius, Neapolitanus, composuit commentarium in regulas Cancellariae apostolicae.

Brevitatis studio praetermittimus concionatores et ascetícos scriptores, quorum numerus adeo hoc saeculo excrevit, ut paucis referri nequeat.

56. *Benedictus XIV, Pontifex* (*an.* 1740). Anno porro 1740 postridie nonas februarii vita excessit Clemens Pp. XII. Post eius obitum Apostolica Sedes vacavit 6 mensibus, quibus elapsis, XVI calendas septembris electus fuit Benedictus XIV, Bononiensis, antea appellatus Prosper Lambertini cardinalis archiepiscopus Bononiensis: quem singularis sacrae theologiae, sacrorum canonum et historiae ecclesiasticae peritia, necnon res praeclare gestae tanto honore dignum reddebant. Pontificis huius eruditionem praeclara scripta ostendunt, maxime egregium opus *De Servorum Dei Beatificatione et Beatorum Canonizatione*, atque alia *De Festis D. N. Iesu Christi, et Beatae Mariae Virginis*, *De sacrificio Missae*, et *De Sanctis, qui divino Officio Bononiae coluntur* ante Pontificatum in lucem editum; item adornatae postmodum lucubrationes *De Synodo Dioecesana, Institutiones ecclesiasticae, Epistolae Encyclicae, Constitutiones* et *Brevia;* quae omnia efficiunt multa et magna volumina [2]. Nihil est in christiana ethica, in iure canonico, in disciplina ecclesiastica tam arduum, tam controversum, tam reconditum, quod non eruditissime explanarit ac definierit; adeo ut ex eius libris antistites, theologi, canonistae et ecclesiastici singuli rerum agendarum regulas percipere queant.

Initio pontificatus sui Iubilaeum indixit, totusque inde in Ecclesiae regimen et curam intentus, vix dici potest, quanta aggressus sit perfeceritque. Tribunalia curiae romanae reformavit, iudicumque auctoritatem et singulorum iurisdictionem definivit. Congregationem particularem instituit super promovendis ad episcopatum, ut quantum fieri posset, non nisi viri, morum integritate, sacra doctrina et vero salutis animarum studio praediti, ad regendas ecclesias assumerentur. Iurisdictionem episcoporum, quoad ecclesias parochiales regularium, et ad personas, curam animarum subditorum saecularium in iis exercentes, spectat, stabilivit. Plura sancivit de appellationibus concedendis vel denegandis, deque concursu et examine pro collatione ecclesiarum parochialium. Alia constituit contra confessarios sollicitantes, absolventes complicem, aut inquirentes nomen complicis. Abusus, qui in observantiam ieiunii Quadragesimalis irrepserant, sustulit. Praescripsit, coram quibus, quo ordine ac forma causarum matrimonialium iudicia sint peragenda; exposuit, quibus, quomodo, quibusque cautelis matrimonia occulta permitti queant; de dubiis propositis circa matrimonia, in Hollandia et Belgio contracta et contrahenda, declarationem dedit; episcopos Polonos graviter admonuit, ut in admittendis coniugiorum dissolutionibus caute procederent. Clausuram monasteriorum mulierum et virorum optimis legibus firmavit. Anno 1750 alterum Iubilaeum indixit, qua occasione celeberrimam dedit Epistolam encyclicam de operibus ad lucrandum Iubilaeum iniunctis, de facultatibus confessariis concessis, earumque usu. Pluras alias de diversis capitibus exortas controversias luculenter ac perspicue explanavit.

Decreta de ritibus Graecorum Melchitarum patriarchatus Antiocheni, de iurisdictione patriarchae et episcoporum eiusdem nationis, de disciplina monachorum et monialium, aliaque de pluribus disciplinae capitibus pro incolis regni Serviae et finitimarum regionum in unum collecta, promulgavit. Nationalem synodum Maronitarum, anno 1736 in monte Libano habitam, confirmavit; eorum episcopis certas sedes assignavit, et patriarchae annuum caritativum subsidium attribuit, abrogata consuetudine colligendi praestationes pecuniarias in distributione sacrorum oleorum. Iurisdictionem in Ægyptios et alios ad ritos Copticos pertinentes, atque ad Ecclesiam catholicam conversos, cuiuscumque essent dioecesis, confirmavit episcopo Hierosolymitano eiusdem ritus; super dubiis ad ritus ecclesiae et nationis Coptorum pertinentibus praeclaram constitutionem publicavit, et pro Coptis catholicis indultum concessit recipiendi sacramentum confirmationis a presbytero, missionis praefecto. Fratri ex Ordine Minorum de Observantia, dicto *Guardiano*, qui pro tempore regeret familiam s. Sepulcri, facultatem

[1] 6 vol. in fol.
[2] Venet. 1767, 19 vol. in-fol.

dedit, ut, absentibus episcopis ritus latini, conferre posset sacramentum Confirmationis cum oleo et chrismate ab Episcopo catholico benedictis. In regnum Batganum magni Tibeti, postulante ipso rege, apostolicos missionarios destinavit. Controversias circa regimen missionum in regno Cochinchinae existentium, harumque limites diremit. Litibus de ritibus Sinensibus et Malabaricis finem constituit, ut supra vidimus [1]. A Syriacis et Armeniis, in ecclesiis Latinorum sacra peragentibus, proprium ritum servari praecepit; monuitque missionarios, ut in convertendis populis Orientalibus hos ab errore et schismate revocarent, ritus vero eorum probatos permitterent. Ecclesiasticis ritus slavo-latini mandavit, ut in missis et officiis divinis litterale idioma slavum cum characteribus Hieronymianis retinerent, uterenturque missalibus et breviariis, typis Congregationis de Propaganda Fide editis. Presbyteris ritus latini, in Russia Polonica degentibus, permisit in Ruthenorum unitorum ecclesiis, deficientibus altaribus lapideis seu tabulis consecratis et calicibus aureis sive argenteis, missarum sacrificia celebrare super Ruthenorum antimensiis et cum calicibus e stanno. Vnionem omnium monasteriorum Ordinis s. Basilii in Lithuania et Russia in unam Congregationem, e duabus provinciis compositam, confirmavit. Vicariis apostolicis et missionariis, saecularibus ac regularibus, regulas, in missionibus Anglicanis observandas, praescripsit, litemque, iamdudum agitatam inter missionarios regulares et vicarios apostolicos, a quorum auctoritate illi se vi privilegiorum, a Sede Apostolica acceptorum, exemptos contendebant, diremit. Patriarchatum Aquileiensem, propter lites inter domum Austriae et rempublicam Venetiarum de iure nominandi patriarcham, quae decessores suos fatigaverant, suppressit, eiusque loco duas substituit sedes archiepiscopales, Vtinensem et Goritiensem.

Idem Pontifex de omnibus officii sui partibus sollicitus, plura incredulorum huius temporis scripta damnavit, regulasque prudentia et sapientia refertas librorum censoribus praescripsit. Societates occultas, iam a decessore suo prohibitas, nova constitutione proscripsit. Latas adversus singularia certamina seu duella leges renovavit, earum rigorem auxit, et quinque propositiones, duellorum furori faventes, condemnavit. Electiones Ioannis Petri Meindarts in archiepiscopum Vltraiectinum, Hieronymi de Bock et Ioannis Van Stiphout in episcopos Harlemienses atque Ioannis Pyeveld in Daventriensem schismaticas nullasque esse pronuntiavit. Publicis et notoriis refractariis constitutioni *Vnigenitus* sacrum viaticum iure denegari declaravit, datis ad Galliae episcopos litteris.

De praecedentibus Pontificibus verba facientes diximus, nonnullos principes saeculares pontificiae potestatis exercitium in regnis suis limitare, aut certa iura sacra sibi arrogare conatos esse: unde grandes saepius inter eos et Romanam curiam discordiae secutae sunt. Eiusmodi lites RR. Pontifices, pro virili parte, componere conati sunt initis concordatis seu conventionibus cum summis imperantibus. Benedictus XIV pacis studiosissimus, cum variis imperantibus civilibus huiusmodi conventionibus iniit, nimirum anno 1740 cum Ioanne V, rege Lusitaniae, cui ius concessit nominandi ad omnes episcopatus et abbatias terrarum suarum; anno 1741 cum Carolo, rege utriusque Siciliae, cui 26 episcopatus conferendos dedit; praeterea inter utrumque convenit, ut tribunal erigeretur e praeside clerico et 4 assessoribus, 2 clericis a Pontifice et 2 laicis a rege designandis, compositum, quod certas aliquot causas definiret, et observationi eorum, de quibus convenerat inter partes, invigilaret; eodem anno cum Carolo Emmanuele, rege Sardiniae, cui ius nominandi ad episcopatus, aliaque beneficia, et omnia feuda pontificia, in terris eius sita, nomine vicariatus Sedis Apostolicae concessit ea conditione, ut rex quotannis calicem aureum, 1,000 aureos appendentem, ad Cameram apostolicam mitteret; anno 1753 cum Ferdinando VI, rege Hispaniae, cui ius, quo RR. Pontifices per 8 menses ad beneficia, episcopatibus minora, nominabant et vacantium episcopatuum fructus percipiebant, cessit ea lege, ut isti fructus dispensarentur secundum canonum statuta, sibi tamen 52 beneficia reservavit; et rex ad resarcienda detrimenta, quae inde patiebatur curia Romana, ei certam pecuniae summam asseruit. Sed cum republica Venetiana grave certamen habuit. Ea quippe anno 1754 vetuit, ne litterae pontificiae effectui darentur, nisi prius a regimine civili cognitae, neque in posterum indulgentiae, privilegia altarium, variique generis dispensationes et concessiones a Pontifice peterentur aut acciperentur, nisi sub certis conditionibus. Benedictus XIV rempubli-

---

[1]) Vid. p. 134.

cam gravibus monitis permovere conatus est ad decreta ista revocanda. Senatus Venetianus licet contestatus sit, sibi minime in animo fuisse auctoritatem pontificiam suae subiicere, decreta tamen non revocavit. Quapropter Pontifex omnes conventiones commerciales inter suos et reipublicae subditos sustulit, et mercibus venetianis maiora vectigalia constituit. Clemens vero XIII, eius successor, natione Venetus, a republica impetravit, ut decreta ista revocaret.

Praeterea Benedictus XIV Elisabetham Aragoniae, Ioannam Franciscam Fremiot de Chântal, institutricem Monialium a Visitatione s. Mariae,—Alexandrum Saulium, Hieronymum Æmilianum Patritium Venetum fundatorem Congregationis Somaschae, Iosephum a Matre Dei fundatorem Scholarum Piarum, Iosephum a Cupertino Sacerdotem ex Ordine Conventualium retulit in Beatos; Fidelem a Sigmaringa, Camillum de Lellis aliosque inter Sanctos retulit. Confirmavit indulgentias a Benedicto XIII concessas iis, qui antiphonam *Angelus Domini* mane, meridie ac vespere recitarent, simulque praecepit, ut diebus Dominicis stando dicerent; tempore autem Paschali singulis diebus etiam stando recitarent pro illa aliam, quae incipit *Regina Coeli* cum versiculo et propria oratione. — Martyrologium auctius edendum curavit, Pontificale correxit, et de emendando Breviario serio cogitavit.—Diem natalem ss. Apostolorum Petri et Pauli per totam octavam sollemniter celebrari mandavit, ordinemque et modum in diversis Vrbis ecclesiis celebrandi praescripsit Constitutione *Admirabili Sapientiae*. S. Leonis I cognomento *Magni* Officium Missamque ritu Doctorum celebrari iussit; s. Franciscum Xaverium in omnibus Indiarum regionibus principem patronum haberi voluit. Regulas et constitutiones admisit Clericorum Discalceatorum Iesu Christi; militiamque s. Ianuarii confirmavit ab utriusque Siciliae Rege institutam. Vetustissimam ss. Marcellini et Petri aedem a fundamentis restituit, Lauretanae B. Mariae domui turrim marmoream addidit, porticumque ampliavit. Salutaria multa decrevit ad rectam totius Pontificiae ditionis gubernationem, amplificato commercio, iudiciisque rectius ordinatis. Carolum Borbonium utriusque Siciliae Regem Veletris, quo in oppido belli causa diu fuerat, anno 1744 Romam ex improviso profectum, pedibus suis oscula figere cupientem paterna omnino benevolentia excepit, et quanta maxima potuit per id horarum, quibus in Vrbe mansit, liberalitate prosequutus est. Lusitano Regi Ioanni V de Catholica Religione, et Apostolica Sede praeclare merito, et successoribus eius *Fidelissimi* titulum concessit. Quos italice *Liberi-Muratori* vocant, Ecclesiae civilisque societatis hostes teterrimos, nova constitutione proscripsit.—Ad fovenda studia plures aut erexit aut instauravit academias, seminaria construxit, litteratorum societates adamavit, aedes capitolinas signis, anaglyphis, aliisque antiquitatis monumentis locupletavit, musaeum ad christianas antiquitates servandas aptissimum Bibliothecae Vaticanae adiunxit, publicam delineandi scholam instituit et largo censu ditavit.—Romanum Archigymnasium, *Sapientiam* nuncupatum, novis Cathedris amplificat vit. Summi Pontificatus onere minime passus doctrinae studia haud intermisit, et singulis lunae diebus conventum apud se celebraba, virorum eruditorum, in quo de Catholicae Ecclesiae historia, Conciliis, ac rebus Liturgicis disputationes habebantur.—Quibus aliisque praeclare gestis, an. 1758 naturae concessit [1]. —Eius laudes ipsi protestantes cecinere, inter quos Matthaeus Pfaffius doctrinae praestantiam admiratus, eum uti talem virum celebrat, *quo per multa saecula non sedit eruditior alter*.

57. *Religionis status in Sinis, Indiis et Insulis* — Postquam Benedictus XIV dissidia de ritibus Sinensibus diremisset et concordiam inter missionarios restituisset [2], persecutio, iam contra christianos in imperio Sinensi coepta, aucta est. Qui enim illos oderant, eosdem accusabant, quod ritus legesque imperii contemnerent. In provincia Fokiensi 5 missionarii Dominicani, quorum unus, I. M. Sanz, Hispanus, erat episcopus et vicarius apostolicus an. 1747 post quaestiones, tormenta et carceres occisi fuerunt. Anno sequenti 3 Iesuitae eamdem sortem experti sunt. Non in solos missionarios, sed etiam in christianos saevitum est, qui ad quaestionem vocati, tormentis subiecti, verberibus affecti, bonis spoliati, in carcerem coniecti aut in exilium relegati sunt; ecclesiae in multis provinciis destructae; pastores ad fugam compulsi. Anno 1750 persecutio vehementius exarsit; plures quam 70 missionarii in carceres coniecti, et christiani quam plurimi bonis ip-

---

[1]) Vitam huius Pontificis exaravit, sed calamo leviori de Cararrioli, Paris 1783 in-1 °. Cf Natal. Alexand. *Hist. eccl.* Supplem. t. II.

[2]) Vid. p. 231

*

saque vita privati fuerunt. Multi quidem tormentorum vi Fidei renunciarunt, sed multi etiam egregia christianae constantiae exempla dederunt. Anno demum 1753 legatus a rege Lusitaniae ad imperatorem et mandarinos cum muneribus missus, christianis pacem impetravit, iam eorum numero per neces atque defectiones imminuto. Tunc plerique eorum, qui durante persecutione Fide defecerant, veniam postularunt et crimen suum per poenitentiam expiarunt. Missionarii mala Religioni illata repararunt, ecclesias restituerunt, novoque ardore propagandae Fidei adlaborarunt. Quum autem exurgentibus hic illic persecutionibus obnoxii prae caeteris essent missionarii europaei, tum in Sinis tum in seminario Siamensi adlaboratum est formandis missionariis indigenis.

Pax, quam rex Lusitaniae sua intercessione christianis Sinensibus impetrarat, hoc ipso saeculo saepe interrupta est ob persecutiones in variis locis motas. Anno 1770 nova contra eos persecutio exarsit, quae aliquandiu post sopita, an. 1784 vehementius saeviit. Ea durante christiani multi crudeliter torti et post tormenta relegati aut servituti mancipati sunt; multi missionarii, inter quos 3 episcopi, in carceres coniecti, in quibus maiorpars eorum periit. Anno 1787 persecutione sopita, missionarii superstites apostolicos labores ea, qua opus erat, prudentia, resumpserunt, et illata Religioni detrimenta restaurare conati sunt.

Quod attinet ad caeteras terras in ditione imperii Sinensis positas, vel ab eo dependentes, anno 1712 Clemens Pp. XI 12 Capuccinos e Marca Anconitana in regnum Tibetanum ad praedicandum Evangelium ablegavit; qui accepta ab utroque regni capite, politico et religioso, licentia, munere suo apostolico functi sunt eo successu, ut in metropoli Lasta et in aliis locis plurimi, imo ex ipsis sacerdotibus seu lamis haud pauci baptismum reciperent. Anno 1744 Benedictus XIV iterum 12 Capuccinos in Tibetum destinavit, qui opus ab antecessoribus coeptum successu non minus prospero continuarunt. In peninsulam Coream posterioribus huius saeculi annis Religio catholica illata est a iuveni quodam Coreensi, nomine Ly, qui Pekini a Iesuitis sacris christianis institutus et in patriam redux, suo exemplo et sermone atque librorum, quos a missionariis Pekinensibus acceperat, distributione, multos, tum e proceribus tum e plebe, ad fidem christianam et baptismum perduxit. Hi veluti totidem missionarii seu catechistae, alios ad eamdem fidem alliciebant, adeo ut intra 5 annorum spatium circiter 4,000 Coreenses in Christum crederent. Novae Religionis propagatio persecutioni ansam dedit; anno 1791 duo fratres christiani capitis damnati sunt, pluresque alii deprehensi in carceres coniecti. Hac tempestate post biennium sopita, Govea, episcopus Pekinensis, in Coream misit Iacobum Velloz, presbyterum Sinensem, qui christianorum numerum illic plurimum auxit, non obstantibus persecutionibus, quibus saepius erant subiecti.

In regnis Indiarum orientalium, Madurensi, Mayssurensi, Carnatensi et Tanschaurensi, Religio catholica saeculo praecedenti laete floruerat et continua fere incrementa ceperat; hoc vero saeculo, tum persecutionibus hinc inde exortis, tum dissensionibus missionariorum de ritibus dictis Malabaricis, nonnulla decrementa subiit. Anno 1701 in regno Tanschaurensi omnes christiani, qui ad religionem patriam reverti recusabant, vel verberibus affecti et in carceres coniecti, vel regno exire coacti sunt, eorum ecclesiae destructae omneque Religionis christianae exercitium interdictum. Annis huius saeculi sexagesimis et deinceps missio Carnatensis, cuius principalis sedes erat Pondicherium, etiam decrevit revolutionibus ibidem exortis, et bello Anglos inter et Gallos de Pondicherio excitato. In regno Mayssurensi Tipuzahebus, qui illic ab anno 1787 usque ad 1799 praefuit, multa christianorum millia vario mortis genere sustulit; in alienis etiam provinciis, quas invasit, contra illos saeviit, multas ecclesias, seminaria, domosque missionariorum destruxit. Post eius mortem christianis pax rediit; ecclesiae restitutae et credentium numerus mox auctus est. In littore Malabarico missionarii numerum christianorum continuo augebant. In regno Travancorensi res christianae prospera sorte fruebantur; ibidem Paulinus missionarius Ramavarmerum regem ita Religioni catholicae conciliavit, ut huius sectatores variis beneficiis ornaverit et epistolas aliquot cum Clemente XIV et Pio VI pontificibus communicarit.

In Tongkino, in quo Religio saeculo praecedenti plurimum propagata fuerat [1], hoc saeculo novae eaeque graves persecutiones contra christianos excitatae sunt, praesertim an. 1721 et 1736, quibus eorum numerus

---

[1]) Vid. p. 210.

haud parum minutus est, multae ecclesiae destructae, varii missionarii capitis damnati, christiani multi in carceres coniecti, verberibus atque suppliciis affecti. Posteriori vero tempore, pace christianis concessa, eorum numerus continuo fere crevit.

In Cochinchina Religio christiana a posterioribus saeculi praecedentis annis valde propagabatur, quum anno 1700 gravis persecutio contra illius sectatores exardesceret. Post paucos annos tranquillitate parta, Religio maiora incrementa cepit, praesertim ab anno 1739, quo Iesuitae, mathesis et artis medicae periti, familiarem ad aulam accessum nacti sunt. Verumtamen anno 1748 rex eiusque ministri pravam contra fidelitatem christianorum suspicionem admiserunt, et persecutionem contra eos excitarunt, in qua missionarii relegati et ecclesiae destructae sunt. Perduravit persecutio usque ad annum 1774, quo rex, mitioribus erga christianos consiliis conceptis, servituti aut captivitati mancipatos libertati restituit, eisque liberum Religionis exercitium concessit; quo facto, 30 Iesuitae in hoc regnum venerunt et Evangelium prospero cum successu propagarunt.

In regno Siamensi extranei, Lusitani et Cochinchinenses, Religionem christianam libere profitebantur. Ibidem, ut supra dictum est, Vicarii apostolici seminarium et collegium erexerunt ad formandum clerum indigenam pro Siamo, Tongkino et Cochinchina [1]. In convertendis vero indigenis magna missionariis opus erat prudentia, quum id non semel edictis regiis fuisset prohibitum. Post annum autem sexagesimum huius saeculi Religio ibidem haud exiguum decrementum subiit per Birmannos Peguenses, qui Siamum saepius invaserunt, dire vastarunt, magnamque eius partem sibi subiecerunt. Tranquillitate restituta, Religio christiana paulatim refloruit; rex, qui post revolutionem, anno 1780 effectam, thronum conscendit , ei favit, episcopum in metropolim vocavit, et missionariis facultatem praedicandi ubique Evangelium dedit.

Quod attinet ad insulas, Sinam et Indiam circumiacentes, in Iaponia summa cum severitate excludebantur et amovebantur omnia, quae vel minimum Religionis christianae vestigium prodebant. In insulis Philippinis, quas inde ab anno 1564 occuparunt Hispani, Religio catholica dominabatur; ecclesiae ibidem ex archiepiscopo, qui sedebat Manilae, episcopis et reliquo clero, perinde ac in Europa, formatae erant; Dominicani, Franciscani, Augustiniani, Carmelitae, Iesuitae illic domicilia seu monasteria excitarant. In insulis Marianis ab anno 1665, quo Iesuitae in eas ab Hispanis destinati sunt, Evangelium late propagatum est, et christianorum numerus continuo auctus. In insulam Formosam Dominicani, Franciscani aliique ecclesiastici viri Fidem intulerant; sed deinde Batavorum in catholicos odio, horum res imminutae ac pene deletae fuerunt. In insulis vero Iava, Malaca, Ceylano, Maldivis, Moluccis aliisque, in quibus prius Hispani et Lusitani, deinde Batavi et Angli dominati sunt, saeculo XVI missionarii catholici, protegentibus eos Hispanis et Lusitanis, longe lateque Evangelium propagarunt; sed ex quo tempore in illis insulis dominium nacti sunt Batavi et Angli, res catholicae ibidem declinarunt, et in multis interierunt. Non solum obstacula multifaria catholicis missionibus a Batavis et Anglis suscitata sunt, sed etiam ministri acatholici insulares ad sua sacra pertrahere studuerunt, eumque in finem Biblia sua, catechismos aliosque libros religiosos, in linguas asiaticas versos, inter illos divulgarunt, scholas ad instruendos parvulos, et seminaria ad formandos concionatores instituerunt. Eosdem conversionis modos ministri acatholici tentarunt in terris Indiae anterioris, Danorum et Anglorum dominio subiectis [1].

58. *Religionis status in America* — In America prosper ecclesiarum ac missionum status perdurabat [2]. In America septentrionali Religio catholica dominabatur in coloniis, quas illic Hispani et Galli creaverant. Plures praeterea inter ipsos indigenas institutae fuerunt a religiosis viris missiones, inter quas celebris erat Californiensis. Hanc anno 1697 inceperunt Iesuitae, qui ad peninsulae huius populos huc illuc dispersos et sine fixis sedibus vagantes progressi, impigro labore et non absque multis periculis eos ad christianam Religionem simulque ad vitam civicam adduxerunt eo cum successu, ut an. 1745 indigenae conversi 43 reductiones seu pagos efficerent.

---

[1]) Vid. p. 210.

[1]) *Lettres édifiantes et curieuses; Nouvelles des missions orientales; Auzüge aus originalbriefen von den apostolischen vicarien und missionarien in China, Tonkin, Cochinchina* etc., Wien 1811; *Relazione del principio e stato presente della missione del vasto regno Tibet*, Roma 1742; Paulinus a s. Bartholomaeo, *India orientalis christiana*.

[2]) Vid. p. 189.

Praeter Hispanos et Gallos, etiam Angli inde a saeculo praecedenti colonias plures in America septentrionali condiderunt, a quibus hodiernae provinciae confoederatae seu *Status-Vniti* originem ducunt. Tales fuerunt Virginia, Nova-Anglia, Marilandia, Novum-Eboracum, Pensilvania, Carolina, aliae. Hae coloniae coaluerunt ex Anglis, Batavis et Germanis, maxima parte acatholicis. Ministri, qui sacris in his coloniis praeerant, praesertim herrenhuthani, et methodistae, etiam indigenas ad putatam suam reformationem convertere studebant. In plerisque tamen coloniis etiam catholici tolerabantur, quorum multi, ex Anglia et Hibernia oriundi, sedes fixerant in Marilandia; hos in spiritualibus dirigebant Iesuitae Angli, quorum primus Andreas Withe illuc transiit an. 1607. Post annos 13 alter Iesuita Grayton missionem instituit in Pensilvania. Quamdiu provinciae confoederatae seu Status-Vniti Anglis paruere, catholicorum in iis conditio multifariis vexationibus fuit obnoxia; mitior illa reddita fuit ex quo tempore Status-Vniti suam nacti sunt libertatem (*independentiam*), quam an. 1783 Angli ratam habuerunt [1].

59. *Iansenistarum curiarum in Gallia turbae* — In Gallia autem a dimidio huius saeculi factio quesnelliano-iansenistica seu potius curiae ei faventes turbas novas excitarunt. Quum enim appellantes seu adversarii Bullae *Vnigenitus* inter clericos saeculares et regulares, inter monachos et moniales, inter doctores et laicos, in occulto perdurarent, episcopi parochis mandarant, ut priusquam aegrotis, quos Bullae adversantes novissent, vel suspectos hac in re haberent, sacramenta administrarent, ab iisdem testimonium confessionis exigerent, quo de eorum fide constaret. Iansenistae parochos, episcoporum suorum mandatis obedientes, accusarunt apud curias saeculares, quae hanc ansam immiscendi se rebus sacris et deprimendi auctoritatem ecclesiasticam arripientes, in parochos, qui aegrotis confessionis testimonium exhibere recusantibus sacrum viaticum denegaverant, variis poenis, praesertim pecuniae mulctis, animadvertere coeperunt, non obstantibus contrariis regis declarationibus, iussis et minis. Anno 1752 curia seu senatus Parisiensis decretum edidit, quo vetabatur, ne cui sacramenta denegarentur, propterea quod testimonium confessionis exhibere aut nomen confessarii sui indicare aut Bullam *Vnigenitus* acceptare recusaret. Hoc ipsum decretum pleraeque curiae in provinciis adoptarunt.

De tanta curiarum saecularium audacia episcopi datis ad Ludovicum regem XV litteris iuste conquesti sunt, eorumque plures, praesertim Christophorus de-Beaumont, archiepiscopus Parisiensis, litteras pastorales ediderunt, in quibus Ecclesiae auctoritatem et iura, maxime in iis, quae fidei doctrinam et sacramentorum administrationem spectant, contra curiarum usurpationes defenderunt. Curiae vero his omnibus posthabitis in episcopos et obedientes eis clericos variis poenis animadverterunt, eorum litteras pastorales et reclamationes suppresserunt, alios, inter quos fuere de-Beaumont Parisiensis et de-Brancas Aquensis archiepiscopi, relegarunt, alios custodiae manciparunt, alios bonis suis, beneficiis et functionibus privarunt. Rex quidem curiarum audaciae restitit, earumque acta saepius rescidit, sed carebat ea constantia et auctoritate, quas temporum adiuncta postulabant.

Quum igitur dissensiones et turbae augerentur, Benedictus Pp. XIV, a clero Gallicano interpellatus, anno 1756 litteras in forma Brevis, *Ex omnibus*, ad cardinales, archiepiscopos et episcopos regni Galliae in comitiis congregatos dedit, in quibus declaravit, tantam esse in Ecclesia Dei auctoritatem Constitutionis apostolicae *Vnigenitus*, ut nemo fidelium possit absque salutis aeternae discrimine a debita erga eam subiectione se subducere aut eidem ullo modo refragari; proinde publicis et notoriis praedictae Constitutioni refractariis SS. Corporis Christi Viaticum esse denegandum secundum communem regulam, quae vetat publicum atque notorium peccatorem ad Eucharistiae participationem admitti, sive eam publice sive privatim requirat. Deinde exposuit, qui tanquam publici et notorii refractarii essent habendi, regulasque in hac re observandas praescripsit. Contra has Pontificis litteras, quamvis magna moderatione conceptas, haeretici et nonnullae curiae quidem reclamarunt, sed rex constantius eorum audaciam repressit.

Quanto autem detrimento haec dissidia fuerint non modo ecclesiasticae, sed etiam regiae auctoritati, patet vel a solis confessionibus et declarationibus Francisci Damiens, qui anno 1757 regis necem meditatus Ludovico XV vulnus, non tamen lethale, inflixit, scelerisque sui poenas luit. Is enim multis interro-

[1] *Lettres édifiantes*, etc.

gationibus pressus, constanter asseruit, consilium necandi regem sibi venisse ex accusationibus et conviciis, quae saepius in curia contra regem, ceu oppressorem curiarum et populi atque fautorem episcoporum ac sacerdotum, qui populo sacramenta denegabant, proferri audivisset; seque nunquam in hunc propositum iterum fuisse, si curiam non frequentasset. Et tamen non obstantibus eiusmodi declarationibus, infensi Iesuitarum hostes crimen Francisci Damiens in hos referre ausi sunt, asserentes eum fuisse quondam in eorum domo, ex qua iam a 20 annis fuerat eiectus [1].

60. *Irreligiositas in Gallia*— Sub eadem tempora in Gallia crevit incredulorum, qui se philosophos dicebant, numerus ac audacia. Eorum antesignanus fuit Petrus Bayle, qui saeculo praecedenti in scriptis suis tolerantiam religiosam, indifferentismum et scepticismum propugnavit [2]. Ei suppar fuit Henricus comes de-Boulainvilliers, qui Parisiis obiit anno 1722, scripsitque refutationem Spinozae, sed infirmam, qua huius sententiae potius propagabantur, quam confutabantur; edidit etiam vitam Mahomethis cum annotationibus, quibus lectores ad religionem mahomethanam christianae praeferendam facile seduci possent. Praeterea plura Anglorum incredulorum scripta clam inter Gallos fuerant disseminata. Accessit, quod inde a principatu Ludovici XIV morum corruptela in regno Galliae invaluerat. Quibus omnibus animorum ad incredulitatem propensio praeparata est.

Inter irreligiosos scriptores Gallos primum locum occupat F. M. Arouet de-Voltaire, qui anno 1694 Parisiis natus, ab adolescentia magnam morum licentiam, impietatem et vindictae in sibi contradicentes cupidinem prae se tulit. Ingenii sui et eloquentiae praestantia, scribendi arte, lepore et elegantia magnam nominis celebritatem, fautores plurimos et patronos sibi comparavit. At mox in scriptis suis et Religioni et Clero insultans, an. 1727 ne vinculis traderetur, fugit in Angliam. Illic amplam irreligiosorum librorum cognitionem adeptus, ita in impietate obfirmatus est, ut tota vita sua destruendae Religioni christianae operam impenderit. Quum propter irreligiosa ac inhonesta scripta, quae ab hoc tempore emittebat, neque Parisiis neque in aliis Galliae urbibus toleraretur, prope Genevam praedium sibi comparavit, in quo irreligiosis scriptis otium insumpsit usque ad annum 1778, quo ope patronorum, quos plurimos et potentissimos habebat, facultatem Parisios revertendi impetravit, sed paulo post ibidem animam exhalavit. Is incredulorum scriptorum seu pseudo-philosophorum patriarcha merito vocatur, caeterosque omnes impietate, obscoenitate et maledicentia superavit.

Eius discipulus et in pseudo-sophiae patriarchatu successor fuit Ioannes le-Rond d'Alembert, natus Parisiis an. 1717, et extinctus an. 1783. Hic reliquos astutia et dexteritate impugnandi Religionem et propagandi impietatem vicit: usus est enim prae ceteris simulatione et technis. Praecipua ei cura fuit, ut academias et procerum domos institutoribus, philosophismi placitis imbutis, impleret.

Alios, qui ad destruendam inter Gallos Religionem dictis et scriptis quam plurimum contulit, fuit Dionysius Diderot, Lingonensis, natus an. 1712. Is propter irreligiosa scripta, in quibus scepticismum, materialismum et atheismum professus est, primo carceri mancipatus, deinde Galliam relinquere coactus, postea per patronos facultatem redeundi impetravit. Vivere desiit anno 1784.

Hi triumviri praecipui erant, qui in propaganda irreligione ac impietate laborabant. Brevi tempore haud paucos ad easdem sententias et ad idem studium evertendi Religionem perduxerunt. Quo efficacius finem suum persequerentur, cum aliquot aliis circa dimidium huius saeculi conspirationem anti-christianam iniverunt. Talem reipsa inter eos obtinuisse, sufficienter ostendunt mutuae eorum epistolae, ipsis mortuis collectae et in lucem editae, e quibus apparet, eos ad evertendam Religionem christianam consilia, methodos, factos progressus, obstacula et modos ea superandi, sibi mutuo communicasse, falsa nomina, quibus se tegerent, assumpsisse, et communem tesseram, verba nempe adhortatoria, a de-Voltaire suggesta, *Infamem conterite* (*Écrasez l'infâme!*) habuisse.

Isti porro et qui cum iis consentiebant, atque a patriarcha suo Voltairiani dici possunt, omnem religionem oppugnabant; quamvis enim aliquando naturalem aut aliam quamdam religionem probare viderentur, generatim tamen in scepticismum et atheismum propendebant; animae immortalitatem et vitam futu-

---

[1]) *Pièces originales et procédures du procès fait à Damiens*, Paris 1757; De Saint-Victor, *Tableau de Paris*, t. IV, part. 2.

[2]) Vid. p. 219.

ram passim negabant; Religionem christianam summo odio persequebantur; eius propagatores Apostolos, ipsumque Christum Dominum impostores appellabant; illius institutiones, ministros et sectatores calumniis, conviciis et cavillationibus prosequebantur.

Accesserunt alii christianae Religionis adversarii, qui Rousseauvii sententias circa Religionem et societatem amplexi sunt, et proinde Rousseauviani appellari possunt. Ioannes Iacobus Rousseau natus Genevae an. 1712, post 16 annos relicta haeresi, Religionem catholicam professus est, a qua postea rursus ad religionem patriam descivit. Anno 1741 venit Parisios, ubi incredulorum consortia frequentavit. Vir fuit animi depravati, superbus, ingratus et inhumanus, phantasia exaltata et dictionis venustate pollens, sed disciplinis minime excultus: unde paradoxa multa, fanatica et sibi contradictoria in scriptis suis tradidit. Propter scripta sua, Religioni et societati adversa, an. 1762 e Gallia exire iussus, postea facultatem redeundi in eam accepit ea lege, ut a scribendo abstineret. Extinctus est anno 1778. Is universim deismum docuit, Religionem christianam, non sicut de-Voltaire, calumniis, conviciis et cavillationibus, sed potius cum Bayle sophismatibus et obiectionibus impugnavit; paradoxa plurima contra naturalem hominis destinationem et rectam societatis gubernationem conscripsit; continuo secum pugnans, nunc Christum et Evangelium summis laudibus extollit, nunc prophetias, miracula, aliaque explodit; subinde atheos et philosophos exagitat, mox Dei existentiam dubiam reddit, et philosophiam commendat; modo virtutem et morum honestatem laudat, modo vitiis adulatur et crimina excusat.

Praeterea scriptoribus irreligiosis adnumerandi sunt hi qui sequuntur: Iulianus Offray de-la-Mettrie, Macloviensis, scriptor mordacissimus, materialista et epicureus; e Gallia et Batavia profugus, a Friderico II, rege Borussiae, susceptus et Academiae Berolinensis socius creatus fuit. Dicitur ante mortem, quae contigit anno 1751, poenitentiae signa dedisse. Ioannes Bapt. de-Boyer marchio d'Argens, Aquensis, qui primum militiam professus, deinde relicta Gallia transiit in Bataviam, hincque Berolinum, ubi diu Friderico II a cubiculis et Berolinensis academiae in re litteraria director fuit. Postea in patriam redux, obiit anno 1771. Is orationem Iuliani apostatae contra Religionem christianam in linguam gallicam vertit, et inter alia dedit epistolas iudaicas, sinicas, et cabalisticas, in quibus scepticorum more et satyrica ratione Christianismum eiusque ministros proscidit. Verumtamen priusquam moreretur, poenitentiae signa dedit et Ecclesiae sacramenta postulavit. Franc. Vincentius Toussaint, Parisiensis, in Berolinensi nobilium Academia eloquentiae professor, qui in libro de moribus, revelationem, dogmata et miracula reiiciens, ethicen naturalem et indifferentiam in religionis negotio adstruxit. Et hunc etiam ante mortem probrosi libri puduisse fertur; obiit anno 1772. Claudius Adrianus Helvetius, Parisiensis, mortuus an. 1771, in libro de spiritu, et in alio posthumo de homine, materialismum et epicureismum docuit, contendens, hominem sola corporis seu organorum constructione a brutis distingui, eum sola cupiditate duci, omnesque actiones ex se esse indifferentes. Paulus Thiry baro de-Holbach, natus Heidelsheimii in Palatinatu inferiori anno 1723, mortuus Parisiis, ubi ab adolescentia domicilium elegerat, anno 1789. Is pseudo-sophiae, atheismi et materialismi propugnator acerrimus, plura scripta vulgavit, sententiis maxime impiis, calumniis et conviciis in Religionem christianam plenissima; non tantum revelationem et Christianismum, sed omnem Dei cultum, ipsam Dei existentiam, animae spiritualitatem, vitam futuram, regulas morales evertere sibi proposuit. Alios plures, his impietatis propagatoribus suppares, commemorare omittimus, ne brevitatis institutum excedamus.

Eorum agmini se sociavit Ioannes Martinus de-Prades, presbyter dioecesis Montis-Albani et baccalaureus Sorbonae; qui Dionysio Diderot aliisque huius generis philosophis familiariter usus, eorumque consilio excitatus, an. 1751 in ipsa Sorbona thesim defendendam suscepit, deistarum et materialistarum sententias redolentem. Thesis eius, quam syndicus et praeses sine praevia inspectione et discussione admiserant, multis stomachum movit; periculi seu disputationis actus suspensus fuit; curia Parisiensis, Facultas theologica et archiepiscopus Parisiensis de-Beaumont thesim proscripserunt, et Benedictus Pp. XIV, xi° calendas aprilis 1752, eamdem declaravit impiam, deistarum et materialistarum doctrinis faventem. De-Prades e Sorbonicorum albo expunctus, confugit ad Fridericum II, regem Borussiae, qui eum suscepit et an. 1754 canonicum Capituli Vrati-

slaviensis designavit. Tunc de-Prades episcopi Vratislaviensis consilio ad meliorem mentem rediit; eodem anno thesim suam secundum praescriptam a Benedicto XIV formulam reprobavit, decreto pontificio anni 1752 se submisit et propositiones in eo damnatas detestatus est.

Porro ad propagandam impietatem illius coryphaei omnes, qui sibi praesto erant, modos tentabant. Primum verbis sententias suas aliis persuadere, et in communi conversatione, in compitis et conviviis, ubi simul famuli ministrantes dicta excipiebant, disseminare conabantur. Ad easdem latius propagandas libris potissimum utebantur, quos diversissimi generis, serios et ludicros, philosophicos, historicos, poëticos, itineraria, fabulas dictas romanenses, aliosque, principiis suis et sententiis refertos, maximo numero sine intermissione in lucem edebant. In his, sicut in colloquiis, Religionem diversis modis impetebant; nunc aperte eam impugnabant; nunc historiam eius et doctrinam in invidiosam lucem collocabant; modo de statu corrupto Religionis et morum conquerebantur, et personam reformatorum induebant; modo in ritus sacros, pontifices, sacerdotes iocis, cavillationibus, calumniis invehebantur. Praeterea tum in colloquiis tum in scriptis captiosa nomina philosophorum, spirituum fortium, hominum sine praeconceptis opinionibus sibi asserebant et venditabant, quibus vani ac semidocti, praesertim illi, qui se inter homines cultiores referebant, alliciebantur ad easdem sententias amplectendas, quatenus ex agmine imbecillium elevati viderentur supra vulgus superstitiosum.

Opus autem principale, omnia, quae contra Religionem proferri poterant, quasi collecta exhibens, erat *Encyclopaedia*, in qua ordine alphabetico omnia argumenta pertractabantur, quae ad litteras, artes, theologiam, philosophiam, historiam, iurisprudentiam, politiam spectabant. Hoc opus inde ab anno 1750 sub summa directione Diderot et d'Alembert in lucem emitti coepit. Propter genium, Religioni et potestati regiae inimicum, qui iam in primis operis voluminibus dominabatur, eius continuatio iterato a regimine civili prohibita fuit. Verumtamen directores ope patronorum suorum facultatem illud ad finem perducendi impetrarunt. In hoc opere Religio omni ex parte impugnatur, et quamvis hic illic nonnulla reperiantur, quae ei favere videntur, ea in aliis locis abunde confutantur; morum principia et regia auctoritas aeque ac Religio vellicantur. Quum autem auctores omni occasione, dictis et scriptis, hoc opus extollerent, a quo utilia quaepiam non absunt; cumque faveret genio eorum, qui incredulitatem, morum licentiam et ab omni iugo libertatem quaerebant, latissime propagatum est.

Praeterea ad librorum impiorum effectus certius latiusque propagandos sophistarum complures, inter alios d'Alembert, Diderot, Damilaville, Turgot, Condorcet, anno 1764 Parisiis, hortante de-Voltaire, societatem constituerunt, cuius sedes erat domus, quam d'Holbach Parisiis habebat. Ne autem a regimine politico coërcerentur, se non nisi ad discutiendas materias eruditas, praesertim ad oeconomiam pertinentes, convenire dicebant. In his conventibus scripta discutiebant et pro rerum adiunctis adornabant, de libris edendis et propagandis, de adminiculis ad finem suum promovendum facientibus, de impedimentis tollendis et adversariis debellandis deliberabant, et cum asseclis extraneis mutuas litteras communicabant. Aliud adminiculum, quo sophistae ad promovenda consilia sua usi sunt, in eo consistebat, ut dictaturam in republica litteraria sibi vindicarent, ut ipsi et sententiis suis addicti in academias reciperentur: quare libros principiis suis consentaneos commendabant, contrarios vero vituperabant. Magnam etiam operam dabant, ut adolescentes, praecipue iuvenes e scholis egredientes, doctrinis suis imbuerent, et quos sibi addictos noverant, tanquam paedagogos et professores commendabant. Denique omni occasione tolerantiam in Religionis negotio laudabant, tum ut ipsi sub eius alis securi forent, tum ut catholicos, praesertim clericos, ceu libertatis hostes et fanaticos omnibus invisos redderent; interim nemo ipsis erat intolerantior erga omnes, qui eorum placitis consentire et Religionem abiicere detrectabant. His aliisque modis sophistae progressu temporis magnum asseclarum numerum inter diversas hominum classes nacti sunt.

Caeterum eorum finis, non in sola Religionis eversione, sed etiam in destructione regiae potestatis et introductione maximae libertatis, imo licentiae moralis ac politicae consistebat. Id abunde testantur liber Rousseauvii de *Contractu sociali*, aliaque Holbachii et ei aequalium scripta, et notum illud Diderоti dictum: « Nationes non prius fore beatas, quam ultimus regum intestinis ultimi sacerdotis esset suffocatus ».

Ad cohibendam impietatis propagationem et impedienda ingentia mala, quae inde oriebantur, variae rationes tum a viris privatis tum ab auctoritate publica initae sunt. Plures viri eruditi, quorum iam supra aliquos indicavimus [1], alios infra commemorabimus, egregia scripta ediderunt, in quibus causam Religionis defenderunt, sophistarum sententias confutarunt, et mala, ex iis oritura, ob oculos posuerunt. Episcopi et sacerdotes in Instructionibus pastoralibus et concionibus sacris calamitates, ex diffusa irreligione in utriusque reipublicae, ecclesiasticae et civilis, detrimentum prodituras praenuntiarunt. RR. Pontifices irreligiosa et noxia scripta damnarunt. Magistratus civilis eadem saepius proscripsit. Verumtamen his modis incredulitatis progressus non fuit cohibitus; deferbuerat et apud multos perierat observantia erga auctoritatem ecclesiasticam, tot antea Ianseniano-quesnellistarum et curiarum saecularium clamoribus, contentionibus et decretis labefactatam; multorum animi iam ad incredulitatem propendebant; scripta irreligiosa avidius quam apologetica legebantur; deerat Ludovico regi XV, eiusque successori Ludovico XVI, intelligentia, fortitudo et constantia sufficiens; praeterea in ipsa aula, regio concilio et curiis sophistae suos asseclas et patronos habebant [2].

61. *Irreligiositas in Germania* — Paulo serius quam in Gallia irreligio invalescere coepit in Germania, maxime in terris protestanticis. Ad hoc animos non parum praeparарunt Pietistae, qui magis practicam quam theoreticam religionem curantes, viam ad indifferentiam dogmaticam aperiebant. Accesserunt continuae inter ipsos protestantes dissensiones religiosae. Nec defuerunt iam saeculo praecedenti inter Germanos protestantes viri, qui scripta, Religioni christianae adversa, in lucem emiserunt. Prioribus huius saeculi annis inter eos studium discendi linguas gallicam et anglicam magis magisque crevit, quo simul factum est, ut multa scripta irreligiosa in illis linguis exarata cognoscerentur, germanice verterentur, et sententiae in iis propositae a multis susciperentur. Mox nonnulli principia Christianismo, imo omni religioni adversa, scriptis tradere coeperunt. Horum primipilus fuit Christianus Edelmann, natus Weissenfelsii in Thuringia an. 1698, et mortuus Berolini an. 1767. Qui in scriptis suis, non tantum libros utriusque Testamenti supposititios, Iesum merum hominem, Divinam Trinitatem fabulam, creationem e nihilo, lapsum protoparentum, angelos et diabolos figmenta, Religionem superstitionem esse contendit, sed etiam pantheismum aperte professus est. Cum stylo populari scriberet, et suis commentis iocos et cavillationes admisceret, eaque etiam ore aliis persuadere studeret, multi, praesertim inter inferiores hominum classes, inter officiales civiles et militares, ei assensum praebuerunt.

Animis ita praeparatis, anno 1740 Fridericus II solium Borussiae conscendit. Is scripta irreligiosa sophistarum Gallicanorum, quae propter facetias, leporesque et dictionis elegantiam genio eius arridebant, adamabat; incredulos scriptores, e Gallia profugos, suscipiebat, honoribus et beneficiis prosequebatur; cum de-Voltaire, d' Alembert aliisque sophistarum coryphaeis litteras mutuas communicabat et familiaritem colebat. Isti vero hac rerum opportunitate utebantur ad sententias suas in terris Borussicis, ubi iam libros irreligiosos typis mandare licebat, disseminandas. Praeterea rex universalem religionum tolerantiam in ditione sua introduxit. Quibus omnibus effectum est, ut brevi in urbibus maioribus, praesertim Berolini, plurimi ex hominibus sic dictis cultioribus, Christianismum abiicerent et ad deismum, indifferentismum vel etiam atheismum deflecterent.

E Borussia irreligiosus genius in reliquas Germaniae protestanticae terras penetravit. Illius propagationem promoverunt posteriori huius saeculi dimidio multi scriptores e protestantibus, qui libros Christianismo vel saltem characteristicis eius doctrinis adversos ediderunt. Inter eos praeter supra commemoratum Edelmann, notatu digniores sunt hi qui sequuntur: C. A. Gebhardi, qui in scriptis, inde ab anno 1743 editis, miracula et divinam Religionis christianae ac s. Scripturae originem negavit. I. M. de-Loen et C. T. Damm, qui Religionem mere naturalem commendarunt. I. B. Basedow, qui in multis libris omnes positivas seu mysteriosas Christianismi doctrinas reiecit. G. A. Teller, qui primo divinitatem Filii et Spiritus S., pec-

[1]) Vid. p. 252-253.

[2]) De Feller, *Dictionnaire historique*; Barruel, *Mèmoires du Jacobinisme*; I. F. La Harpe, *Du fanatisme dans la langue révolutionnaire, ou de la persècution suscitèe contre la religion chrètienne et ses ministres*; L. B. Proyart, *Louis XVI détrôné avant d' être roi*; item, *Louis XVI et ses vertus aux prises avec la perversité de son siècle.*

catum originale, aliaque praecipua dogmata christiana in sacris Litteris fundata esse negavit; deinde Religionem naturalem christiana perfectiorem, et in morum doctrina potissimum consistentem, laudavit. I. S. Semler, qui inde ab anno 1760 plura scripta, Religioni christianae opposita, ex aliis linguis in germanicam vertit; in aliis a se exaratis potissimum criticae et historiae abusu omnes fere doctrinas positivas Christianismi impetiit; plures libros Biblicos totos et aliorum partes e canone expunxit. H. Samuel, Reimarus, in gymnasio Hamburgensi philosophiae professor, qui plura conscripsit opuscula, revelationi et Libris sacris inimica, Christo et Apostolis maxime iniuriosa. His aequales fuerunt G. S. Steinbart, philosophiae et theologiae professor Francofordii ad Viadrum ; C. F. Bahrdt, Misniensis, primum praedicator Lipsiensis, deinde pluribus in locis professor, postea director Institutorum paedagogicorum; I. Mauvillon, informator scholae militaris Brunswicensis; I. H. Schulz, aliique, quos brevitatis causa commemorare omittimus.

Praeter hos, qui particulares libros, Christianismo contrarios, scripserunt, ad illum labefactandum plurimum contulit opus grande, quod sub titulo *Vniversalis Bibliothecae Germanicae* inde ab anno 1765 edere cepit et usque ad annum 1792 tomis 107 continuavit C. F. Nicolai, bibliopola Berolinensis. In eo opere libri ex omni scientiarum genere recensebantur. Nicolai eiusque cooperatores, praeter alios, hunc quoque finem sibi proposuisse, ut Christianismum ad deismum reducerent, ex ipso opere manifestum est. Haec *Bibliotheca* inter Germanos maiora detrimenta Religioni christianae intulit, quam *Encyclopaedia* inter Gallos. Accessit praeterea, quod professores in scholis publicis, etiam theologicis, principia naturalistica et rationalistica discipulis suis instillarent; praeterea consiliarii consistoriales, sententiis antichristianis passim infecti, concionatores constituebant Christianismo puro, ut dicebant, seu naturalismo addictos. Quibus omnibus effectum est, ut Christianismus inter omnes hominum classes apud protestantes ingens subierit decrementum.

In ipsas etiam catholicas Germaniae terras irreligiosa lues serius penetravit. In eas quippe irreligiosa scripta tum e Gallia tum e Germania protestantica clam illata sunt, atque a multis suscepta et lecta. Praeterea ea quae nonnulli principes catholici reformationis praetextu in sacris constituerunt, Religioni multum nocuerunt. Denique temporis progressu genius saeculi, educatio ei conformata, aliaque religiosis sententiis inter catholicos grave detrimentum intulerunt.

62. *Clemens XIII, Pontifex* (*an.* 1758)— Interim Benedictus Pp. XIV vita excessit V nonas maii 1758. Post eius obitum Apostolica Sedes vacavit usque ad pridie nonas iulii, quo electus est Clemens XIII, patricius Venetus, antea Carolus Rezzonicus, cardinalis episcopus Patavinus. Virtutes, quae hunc Pontificem antea commendabant, ad novum cum eo splendoris decus evectae sunt. Supra caeteras eminens fuit eius erga pauperes liberalitas. Defendendae ac conservandae Fidei studio excitatus Lexicon encyclopaedicum, aliaque scripta catholicae doctrinae adversa damnavit. Acta pseudo-Synodi Vltraiectinae, anno 1763 a I. Meindarts celebratae, rescidit, irritavit et electionem G. M. Van Nieuwenhuyse, in locum praefati Meindarts suffecti, condemnavit. Proscripsit etiam librum Iustini Febronii seu Ioannis Nicolai de-Hontheim de praesenti Ecclesiae statu et legitima potestate. Ad vindicandum ab incredulorum iniuriis ss. Trinitatis mysterium praescripsit, ut singulis dominicis in missis, propriam non habentibus, diceretur praefatio de ss. Trinitate. Ad confovendam in Christianorum animis divinae caritatis memoriam, festum ss. Cordis Iesu approbavit [1]. Societatem Iesu

---

[1]) SS. Cordis Iesu cultui propagando saeculo praecedenti adlaborarunt venerabilis Margarita Maria Alacoque, ex Ordine Visitationis, (a Pio IX Beatarum Virginum albo adscripta), et C. de la Colombière, e S. I. — Brevi temporis spatio pius devotionis exercitium in Gallia, assentientibus episcopis, propagatum est. Subinde eadem devotio in finitimas regiones translata fuit. Nonnullis, maxime Iansenistis, ex odio in patres Iesuitas, devotionis huius defensores, cultum SS. Cordis Iesu ceu novum et erroneum oppugnantibus, res Romam delata est. Anno autem 1765 Clemens Pp. XIII e S. Rituum Congreg. sententia festum SS. Cordis Iesu approbavit. Ex quo tempore cultus SS. Cordis per omnem orbem catholicum propagatus est. Non quieverunt tamen adversarii ab oppugnanda hac devotione ; sed eorum obtrectationes confutarunt plures viri eruditi. An. 1786 famosus Scipio Ricci, episcopus Pistoriensis, in synodo sua eamdem devotionem proscribere ausus est ; sed Pius Pp. VI in celebri sua Bulla, *Auctorem fidei*, acta istius synodi condemnavit, cultumque SS. Cordis vindicavit. Cf M. Languet, *Vie de Marie Alacoque*, Paris 1729, in-4° ; I. Galifet, *De cultu sacrosancti Cordis Iesu*, Romae 1726, in-4° : A. Muzzarelli, *Dissertatio de devotione et cultu SS. Cordis I. C.*,

contra incredulorum et Iansenii asseclarum in eam coniurationem fortiter tuitus est, ut infra dicemus. Plures in Beatorum et Ssrum numerum retulit. Optimus Pontifex variorum principum oppositionem et gravitatem expertus est.

In primis postquam Corsi iugum reipublicae Genuensis abiecissent, seque ab ea independentes constituissent, Paschalis Paoli, eorum dux, a Pontifice Visitatorem apostolicum petiit, qui res ecclesiasticas, intestinis discordiis turbatas, absentibus episcopis componeret. Clemens XIII requisito frustra senatus Genuensis consensu, episcopum Visitatoris apostolici munere fungentem in Corsicam ablegavit, qui ecclesias insulae visitaret, episcopatus rectoribus destitutos administraret, monachos reformaret, invigilaretque, ne quid detrimenti res christiana caperet. Senatus Genuensis publico decreto praemium constituit illis, qui episcopum Visitatorem interciperent sibique traderent, simul duas naves in eumdem finem instruxit, sed frustra; ille enim in Corsicam feliciter pervenit, suoque munere in ea plures annos functus est. Pontifex senatus decretum, tanquam libertati ecclesiasticae et episcoporum dignitati summe iniuriosum, rescidit, et graviter de eodem ad senatum expostulavit. Senatus vero suam agendi rationem defendere conatus est, nec nisi egresso e Corsica Visitatore pacatus fuit.

Eidem Pontifici negotium facessivit Iosephus I, rex Lusitaniae, qui, cum nuntius apostolicus in aula Olissipponensi aeque ac Torreggianus, primarius Pontificis minister, Iesuitarum e Lusitania expulsionem improbaret, a Pontifice petiit, ut nuntium revocaret, et Torreggiano in negotiis Lusitaniae non uteretur. Quum vero Clemens XIII procaci regi non assentiret, hic anno 1760 nuntium apostolicum per milites e regno eduxit, legatum suum cum omnibus subditis suis Roma avocavit, subditos pontificios e Lusitania amovit; merces e ditione Romana in regnum suum invehi prohibuit; denique omnibus clericis et laicis interdixit, ne sine licentia primarii ministri dispensationes aut concessiones ullas ab aula pontificia peterent vel pecuniam in territorium Romanum mitterent. Non nisi sub Clemente Pp. XIV discordia sublata est anno 1770, quo rex novum nuntium admisit et communicationem cum Apostolica Sede restituit. Huius et aliarum dissensionum auctor fuit Carvalho de-Pombal, primarius regis minister, quo post mortem Iosephi I (1777) a Maria Francisca regina amoto, concordia inter aulam Lusitanicam et Apostolicam Sedem integrata est.

Ipse dux Parmensis, quamvis R. Pontifici, ut supremo Parmae domino, subditus Clementem XIII graviter offendit. Ille anno 1764 vetuit, ne ecclesiis aut monasteriis plus quam vigesima totius haereditatis pars testamento legaretur; praecepit, ut quivis ante professionem religiosam omnibus bonis temporalibus scripto renuntiaret; statuitque, ut fundi antea tributis subiecti iisdem, etiam a clero acquisiti subessent. Postquam Pontifex ducem ad revocanda ea decreta frustra fuisset hortatus, editis anno 1768 litteris, illa temeraria et irrita declaravit, Parmenses ab obedientia iisdem praestanda absolvit, ducem et omnes, qui ad condenda ista decreta cooperati fuissent, excommunicationi, in diversis decretalibus, praesertim in Bulla *Coenæ Domini* latae, obnoxios pronuntiavit. Nihilominus dux, aularum Borbonicarum, quibus sanguine iungebatur, auxilio fretus, decretis suis institit; aula Gallicana Avenionem, Neapolitana Beneventum et Pontem-Curvum occupavit.

Has inter aliasque simultates Clemens XIII, animi potius moerore, quam corporis morbo, extinctus est anno 1769.

63. *Status schismatis Vltraiectensis* — In Batavia autem seu Hollandia Iansenistae schisma suum omni e parte corroborare conabantur [1]. Ioannes Meindarts, pseudo-archiepiscopus Vltraiectinus, post mortem sacrilegi consecratoris I. Varletii metuens, ne post obitum suum schismatica ecclesia episcopo orbata maneret, sedes episcopales Harlemiensem et Daventriensem, dudum extinctas, propria auctoritate excitavit, et ad priorem Hieronymum de-Bock, ad posteriorem Ioannem Beyveld ordinavit episcopos. Beyveld a Daventriensibus reiectus, sine ecclesia, clero et grege domicilium fixit Roterodami. Benedictus Pp. XIV omnes istas electiones nullas, sacrilegas et schismaticas declaravit. Idem Pontifex ad tentandam schismaticorum conversionem anno 1748 in Bataviam ablegavit Nicolinum presbyterum; sed cum schismatici prae caeteris postularent, ne ad acceptandam Constitutionem *Vnigenitus* cogerentur, tentamen istud effectu caruit.

———

Romae 1806, in-12.°—Tandem Pius Pp. IX decreto 28 augusti 1856, motus precibus universi Galliarum Episcopatus, Festum SS. Cordis Iesu in universa Ecclesia quotannis celebrari mandavit.

[1]) Cf p. 243.

Anno 1763 Ioannes Meindarts celebravit synodum, quam secundam provincialem Vltraiectinam appellarunt. Cogendae synodo ansam dedit Petrus Clericus, seu Leclerc, subdiaconus Rothomagensis, iansenista fanaticus, Amstelodamum profugus, qui caeteris longius progressus contendebat, 5 famosas propositiones continere sanam doctrinam de gratia et praedestinatione; praeterea sententias multas, Ecclesiae auctoritati, traditioni catholicae, R. Pontificis primatui, hierarchiae ecclesiasticae adversas, conscripsit; contendit etiam, ecclesiam Graecam neque schismaticam neque haereticam esse. Quum sic in Vltraiectino schismate nova schismata excitaret, Meindarts e consilio appellantium Gallicanorum, qui schismaticos Vltraiectinos consiliis suis ac pecunia adiuvabant, an. 1763 cum pseudoepiscopis, Ioanne Van Stiphout Harlemiensi, et Ioanne Beyveld Daventriensi, et cum nonnullis pseudo-canonicis et parochis Vltraiecti synodum habuit. In ea sententiae Petri Leclero proscriptae sunt, alia contra doctrinas patrum Iesuitarum, Harduin, Berruyer et Pichon, et contra laxiores casuistas decreta, et 21 canones conditi de disciplina. Quibus actis cum pseudo-episcopis subscripserunt alii, eadem hac formula usi: *Ego... iudicans subscripsi.* His peractis, decreta synodi suae Romam miserunt, eorumdem confirmationem a Pontifice postulantes. Verum Clemens Pp. XIII, re cum cardinalibus diligenter discussa, pridie calendas maias 1765, istam synodum, sine legitima auctoritate coactam et celebratam, nullam, illegitimam et attentatam pronuntiavit; eius acta rescidit atque irritavit; librum inscriptum: *Acta et decreta secundae synodi provincialis Vltraiectinae* proscripsit tanquam habentem propositiones falsas, calumniosas, scandalosas, subversivas hierarchiae ecclesiasticae et iniuriosas s. Sedi; omnesque fideles monuit, ne cum huiusmodi hominibus, utpote qui declarati essent excommunicati vitandi, ullam communionem, praesertim in spiritualibus, haberent, aut ullum fomentum deplorando huic schismati praeberent.

Schismatici in sua contra Apostolicam Sedem rebellione perseverarunt. Maximi solliciti de conservandis suis episcopis, post unius obitum continuo novum eligebant. RR. Pontifices, quibus illi acta sua semper significabant, eorum confirmationem petentes, in eis reiiciendis, electisque excommunicandis usque ad nostros dies perrexerunt; a quorum sententiis atque censuris schismatici continuo ad generale concilium provocarunt. Caeterum schismaticorum numerus, comparatus cum catholicis Bataviae, exiguus semper fuit; iam anno 1779 ad 6,000 constrictus, deinceps multum decrevit [1].

64. *De-Hontheim seu Febronius* — Interea tristem nominis famam sibi procreavit Ioannes Nicolaus de-Hontheim, episcopus Myriophitanus et archiepiscopi electoris Trevirensis coadiutor, qui Iansenistarum et Richeristarum doctrinis imbutus, anno 1763 Francofordii ad Moenum sub ficto nomine Iustini Febronii librum in lucem dedit, cui titulus: *De praesenti Ecclesiae statu et legitima Romani Pontificis potestate liber singularis.* In hoc libro, tot contradictionibus referto, ut auctoris sententiae vix dignoscantur, praetextu corrigendi abusus, qui in Ecclesia invaluissent, et reducendi RR. Pontificum potestatem ad iustos limites, divinam Ecclesiae Constitutionem et R. Pontificis primatum convellit. Contendit quippe, potestatem clavium a Christo fuisse collatam toti Ecclesiae seu fidelium universitati, quae eam per suos ministros exerceret; inter ministros ecclesiasticos primarium, seu praesidem esse episcopum Romanum, ita tamen, ut Ecclesia etiam cum alio episcopatu quam Romano primatum coniungere possit; episcopos, etiam eorum primatem, aliosque ministros universitati Ecclesiae esse subordinatos; primatum non consistere in iurisdictione, sed in solo praesidio unitatis ecclesiasticae; primatem seu Pontificem nec in fidei nec in disciplinae materia praescribere posse leges, universam Ecclesiam obligantes; doctrinas ab eo condemnatas, etiam a provincialibus synodis denuo cognosci seu examinari posse; et alia. Quaecumque alia iura RR. Pontifices exercuerint, et exercerent, praecipue causarum maiorum reservationes, abusus vocabat, et partim ex usu, partim e Pontificum arrogantia, praesertim vero e pseudo-Isidori decretalibus orta dicebat. Proinde in fine libri sui nationes christianas provocabat ad limitandam Pontificis potestatem, et modos quibus id efficiendum erat, indicavit: scilicet auxilium imperantium civilium, examen litterarum pontificiarum antequam admitterentur, appellationes ab abusu, oppositionem contra arrogationes pontificias. Episcopos etiam provocabat ad revocanda sua prisca iura, Romanae curiae usurpationibus, ut dicebat, mediis saeculis deperdita.

[1]) L. Mozzi, *Histoire des révolutions de l'Église d'Vtrecht.*

Vt infelix liber in lucem prodiit, a quibusdam ut antidotus contra despoticum Romanae curiae regimen laudatus, a ceteris ut prava Protestantium, Richeristarum et Iansenistarum proles denuntiatus atque damnatus fuit. Clemens Pp. XIII decreto, dato IV calendas martii 1764, eumdem condemnavit atque prohibuit; et in litteris, in forma Brevis eodem anno pridie idus eiusdem mensis martii ad Clementem episcopum Ratisbonensem datis, de auctore infausti libri praeter alia dixit haec: « Omnia ex haereticorum et S. Sedi infensissimorum hominum libris conquisivit, absurdissima quaevis de suo adiecit ». Post R. Pontificem Vniversitas Coloniensis eumdem librum censura, publice edita idibus septembris 1765, notavit. Plures etiam episcopi, inter quos Ratisbonensis, Coloniensis, Leodiensis, Constantiensis, librum execrati sunt, eiusque lectionem prohibuerunt. Varii viri eruditi, inter quos fratres Ballerini, A. Zaccaria et F. Zech e S. I., M. Mamachi Ord. Praedicatorum, eumdem librum doctissimis scriptis confutarunt.

De-Hontheim seu Febronius his haud cedens, librum suum novis scriptis defendit, atque 3 tomis auxit, in quibus principia in primo libro proposita uberius evolvit, multasque novas sententias protulit, quae novas Apostolicae Sedis censuras meruerunt. Denique anno 1778 Pii Pp. VI, Clementis archiepiscopi Trevirensis, aliorumque monitis et consiliis ad meliorem mentem rediit, et retractationis libellum ad Pontificem misit. At cum in eo non nisi generalibus vocabulis ea, quae in R. Ecclesiae contumeliam scripserat, improbaret, Pius VI ad eum misit formulam assertiones retractandas continentem. Paruit De-Hontheim, novamque retractationem secundum Pontificis praescriptum Romam misit, quam Pius VI laetus excepit et cum cardinalibus in sollemni consistorio communicavit. De-Hontheim autem datis ad omnes dioecesis Trevirensis ecclesias litteris pastoralibus, suam retractationem publicavit confirmavitque. Sed in commentario, post 3 annos in suam retractationem edito, ita hanc explicavit, ut suspicionem de sua sinceritate moverit. Interim archiepiscopus Trevirensis apud Pium VI egit, ut cum homine, mobili magis quam pertinaci, indulgentia uteretur [1].

[1]) Zaccaria, *Anti-Febronius vindicatus*, diss. I, c. 1; card. Gerdil, *In commentarium a I. Febronio in suam retractationem editum Animadversiones*, Romae 1792, in-4°.

Caeterum pessimos fructus infelix Febronii liber proferre non destitit; nam principia in eo tradita, non solum a multis theologiae et canonum sciolis vel potius imperitis, praesertim in Germania variisque Italiae locis adoptata ampliusque evoluta, in scholis et libris tradita latius propagata sunt; sed etiam imperantes civiles in suis ad R. Pontificem et Ecclesiam relationibus passim secundum ea egerunt, dispensationes, beneficiorum reservationes, appellationes ad Apostolicam Sedem, monachorum exemptiones, aliaque vel admodum limitarunt vel penitus sustulerunt, litteras pontificias approbationi suae, seu sic dicto *placet* regio, subiecerunt, negotiis sacris se immiscuerunt, pluraque, aut immunitati aut libertati ecclesiasticae adversa, decreverunt.

65. *Societates occultae*— Ad propagandam vero irreligionem et praeparandam generalem conflagrationem, quae posterioribus huius saeculi annis excitata est, plurimum contulerunt societates occultae, quorum socii appellati sunt *Liberi Coementatores* (gall. *Francs-Maçons*). Hae societates cum ipso incredulitatis genio natae ex Anglia in Galliam penetrarunt, quum dux Aurelianensis, pro Ludovico XV adhuc impubere, regimini praeesset. Primum eorum conventum (gallice *loge*) anno 1725 Parisiis instituisse dicuntur Dervent-Water et aliquot socii Angli. Brevi tempore eorum numerus multorum fratrum accessione auctus est. Subinde alii conventus in aliis locis instituti sunt, quorum magnus magister fuit primo Dervent-Water, deinde d'Harnouester. Anno 1738 dignitas magni magistri collata fuit duci Antinensi. Eodem anno Clemens Pp. XII conventicula eorum damnavit, et sub poena excommunicationis, ipso facto incurrendae, compescuit Bulla *In eminenti*, data IV calendas maias, in qua speciatim reprobavit iuramentum, ab initiandis praestandum, et occulta atque suspecta initiatorum molimina. Gubernium Gallicanum eorumdem secreta consilia habens suspecta, conventicula prohibuit, et aliquot socios, qui, non obstante hac prohibitione, convenerant, intercipi iussit.

Iam inde ab anno 1735 in Hollandia occultae societates ab Ordinibus publicis fuerant proscriptae. In Helvetia easdem anno 1748 proscripsit gubernium Bernense. In Gallia autem hi pessimi Coementatores, ut potentius contra obstacula auxilium sibi compararent, an. 1741 dignitatem magni magistri contulerunt comiti Claromontano, regii sanguinis princi-

pi; ex quo tempore eorum conventus ibidem una cum irreligionis genio, quocum in Anglia adoleverant, propagati sunt. Quapropter Benedictus Pp. XIV constitutionem Clementis XII innovavit, et illas societates iterum damnavit atque prohibuit Bulla *Provvidas*, data XV calendas aprilis 1751, in qua peculiariter notavit earum arcana mysteria, occultos congressus, suspecta quibusvis bonis consilia, contraria auctoritati publicae, a qua in variis terris fuerant interdicta molimina.

De harum societatum cum degeneri Templariorum equitum ordine et Manichaeorum sectis affinitate, deque earum infensis christianae Religioni et regiae potestati consiliis legesis Scriptores infra indicatos [1]. Certum est, eas una cum irreligionis genio adolevisse, quosvis Religionis et regiae potestatis hostes, incredulos huius saeculi scriptores, praesertim eos, qui nullam de Religione curam habendam asserunt, eisdem favisse suaque nomina dedisse; eos vero qui christianae Religioni sincera mente addicti sunt, ab illis semper fuisse alienos. Praeterea harum societatum scopum aperte indicant atque suspectum reddunt terrificum iuramentum servandi arcana, ab initiandis praestandum, occulti congressus, secretae loquendi formulae, symbola mysteriosa, variaque documenta, ex ipsorum sociorum revelationibus, litteris, libellisque collecta. Nec quemquam moveat, his societatibus adscriptos fuisse et viros principes, reges et alios, ab iniquis in Religionem et regiam potestatem machinationibus alienos; constat enim, inter initiatos esse varios gradus, et secretiora consilia non nisi summa prudentia et probatioribus communicari: neque praetermittenda illa est animadversio, coriphaeos huius immundi agminis ex industria cooptasse in illud magni nominis viros, ut horum patrocinio tutius celeriusque propositum sibi finem assequerentur. Addendum est, posterioribus huius saeculi annis plerosque Liberorum Coementariorum conventus in Germania et Gallia societatem iniisse cum iis, quos *Illuminatos* vocant.

Hanc societatem Ingolstadii in Bavaria anno 1776 fundavit Adamus Weishaupt, in Vniversitate istius urbis iuris professor, vir inquietus, turbulentus, Religionis et omnis iugi impatiens. Operam ei tulit Adolphus de Knigge, nobilis Hannoveranus, ingenio et astutia praeditus. Vltimus huius societatis finis erat Religionis et regiminis civilis abrogatio, in quorum locum dictamina rationis et regimen domesticum, quod patriarchale appellabant, ponerentur. Hic finis socios latebat, et iis tantum patebat, qui per inferiores gradus probati ad supremos pervenissent. Illuminati, ut nefariam suam conspirationem citius latiusque propagarent, arcana sua consilia in societates Liberorum Coementariorum, quae tunc temporis multae in Germania et Gallia erant, inferre nisi sunt, eumque in finem tres consuetos illorum gradus tanquam infimos suis arcanis praemiserunt. Quo factum est, ut post paucos annos non paucas Coementariorum societates, praeter eas a se institutas, in Germania ad sua consilia admittenda perducerent. Praeterea summopere solliciti erant, ut viros, muneribus publicis fungentes, in suam societatem pertraherent, munera publica suis fautoribus conferrentur, libros, suis consiliis et sententiis congruos propagarent. Anno 1784 perniciosa eorum conspiratio a regimine Bavarico detecta est et funesta statuta atque consilia intercepta. Ideo eorum societates ex omni Bavaria proscriptae, socii muneribus publicis privati, nonnulli carceri mancipati fuerunt. Weishaupt cum aliis e Bavaria fugit. Theodorus, elector Bavariae, iniqua Illuminatorum consilia cum aliis imperantibus civilibus communicavit; sed cum plerique horum ea minus curarent, illorum conventicula in reliquis Germaniae terris non solum perdurarunt, sed exinde nova incrementa ceperunt, maxime Berolini et in Germania occidentali. Anno 1786 Illuminati legatos miserunt Parisios, ut societates Gallicas Liberorum Coementariorum ad sua consilia pertraherent. Id eo citius effectum est, quo illae iam tum per incredulos sophistas, qui in eas admissi erant, tum per caeterorum scripta in eadem consilia descenderint. In Gallia societates occultae ita auctae erant, ut anno 1787 computarentur 282 civitates, conventibus (*loge*) instructae, quorum regimen apud unum residebat, a quo ceteri ad scelera impellerentur [1].

In tot diversis Religionis christianae periculis Pontifices et episcopi commissos sibi populos monere non omiserunt, ut sibi a le-

[1]) A. Barruel, *Mèmoires pour servir à l'Histoire du Jacobinisme*, Londres 1796, 5 vol. in-8°; Le Franc, *Le voile levé, ou Histoire de la Franc-Maçonnerie*, Liége 1826 in-8°; Henrion, *Continuation de l'Histoire de l'Église*, an. 1749-51; *Mèmorial catholique*, t. I, p. 37.

[1]) Cf scriptores citt.

gendis incredulorum libris, a frequentandis eorum consortiis et suscipiendis doctrinis caverent; in profitenda fide catholica et conservandis Religionis christianae praeceptis constanter perseverarent. Inter alios antistites de-Beaumont, archiepiscopus Parisiensis, et de-Fumel, episcopus Luteranus, instructiones pastorales doctissimas pro defensione Religionis contra sophistarum et incredulorum studia ediderunt. Multi etiam apologistae, quos postea indicabimus, scriptis doctissimis Religionem christianam eiusque dogmata, disciplinam, historiam, ministros vindicarunt, adversarios incredulos, eorumque consilia, sententias, sophismata, convicia exagitarunt et confutarunt.

66. *Clemens XIV, Pontifex* (*an.* 1769) — Clemens Pp. XIII angoribus pressus, quos plures imperantes civiles, seu perversi eorum ministri, ei variis de causis praesertim in negotio Societatis Iesu, ut mox videbimus, suscitarunt, postridie idus februarii 1769 vita excessit. Cardinales ad eligendum novum Pontificem vix conclave ingressi, in duas partes scissi sunt: aliis volentibus Pontificem, qui Clementis vestigia secutus, et nil veritus iniquitatem potentium, Ecclesiae gubernacula per incompositos tumentesque fluctus manu forti dirigeret; aliis contra eligendum consentibus, qui cunctando et quantum fieri posset cedendo, simultates componere, concordiamque restitueret. Etiam aulae Borbonicae omnia apud Cardinales tentarunt, ut Pontificem suis conatibus, praesertim in destruenda Societate Iesu, faventem eligerent. Tandem XIV calendas iunii electus fuit Laurentius Ganganelli Ariminensis, Ord. Minorum Conventualium et R. E. cardinalis, qui sub Clementis XIV nomine Ecclesiam rexit 5 annis et 4 mensibus.

Hic Pontifex in primis adlaboravit componendis discordiis, inter Romanam curiam et Borbonicas aulas exortis. Nuntium misit in Lusitaniam, et ad captandam benevolentiam famosi marchionis de-Pombal, ministri regii, penes quem illic summa erat rerum, fratrem eius creavit cardinalem; sed hic, priusquam hanc dignitatem acciperet, vita functus erat. Ab annua publicatione Bullae *In Coena Domini* primus abstinuit. Quibus aliisque concessionibus Imperantium civilium expostulationes placavit, et Avenionem[1], Beneventum et Pontem-Curvum recuperavit. Magno gaudio affectus est litteris Marci Simonis, patriarchae Nestorianorum seu Chaldaeorum Armeniae, qui abiectis erroribus, ad unionem cum R. Ecclesia et obsequium Apostolicae Sedis rediit; quod laetum nuncium cum Cardinalium collegio communicans, significavit episcopos 7 cum ingenti suorum subditorum numero ad imitandum patriarchae exemplum esse dispositos. Plures libros incredulorum scriptorum condemnavit. Franciscum Caracciolo, Fundatorem Clericorum regularium Minorum, et Paulum Burali, ex episcopo Placentino archiepiscopum Neapolitanum, inter Beatos retulit. Cultum quoque ab immemorabili tempore Ss. Martyribus Hydruntinis exhibitum ratum fecit. Ad publicae rei prosperitatem et litterarum cultum in collegio Romano publicum gymnasium, adscitis praestantissimis omnium disciplinarum professoribus, instituit et annuo censu instruxit; in aede Vaticana musaeum, quod ab eo Clementinum dicitur, erexit, et eruditorum commodo egregiis monumentis ditavit. A regibus et principibus lacessitus, anno 1773 Societatem Iesu suppressit, ut iam conspecturi sumus.

67. *Societatis Iesu suppressio* — Notissimum est, patres Iesuitas ab ipsa Societatis origine et deinceps de Religionis defensione Fideique in remotissimis et incultis orbis terris propagatione, de haeresum et irreligionis expugnatione, de animarum salute, de studiosae iuventutis institutione, deque litterarum et scientiarum incrementis praeclarissime meruisse. Quapropter mirum non est, illos odio fuisse omnibus novatoribus, Protestantibus, Iansenistis, maxime vero sophistis seu incredulis huius temporis. Noverant incredulitatis coryphaei, ad perficiendum impium suum contra Religionem certamen, in primis deiiciendos esse praecipuos illius defensores; hinc undique in destructionem Societatis Iesu conspirarunt. Ipsi reges et principes catholici, a perversis suis ministris et consiliariis fascinati, hostium consilia iuverunt, neque a proposito destiterunt, nisi Religionem hoc validissimo propugnaculo in suis regnis nudarent.

Suppressionis initium factum est in Lusitania. Illic marchio de-Pombal, primarius regis administer, vir audax et ambitiosus, Iosephum I, principem debilem et pavidum, ita ad arbitrium suum flexit, ut omnia pro nutu suo agerentur, et universa Lusitania sub tyrannica eius manu gemeret. Animo a Religione catholica alienus in destructionem Societatis Iesu totus incubuit. In hunc finem libellos in publicum disseminandos curavit, in quibus

Iesuitae pessimae doctrinae tum contra mores tum contra personam regiam, ambitionis, et affectatae dominationis seu imperii in insulis Lusitanicis accusabantur. Effecit, ut Iesuitae lusitani e Maragnonia, Brasiliae provincia, in qua ad convertendos feros indigenas missionem habebant, expellerentur; ii, qui familiae regiae et aulicorum conscientias moderabantur, hoc munere privarentur; regisque nomine an. 1758 apud Benedictum Pp. XIV ageretur de reformanda in terris Lusitanicis Societate Iesu, ac si a primigenio suo Instituto defecisset. At hic Pontifex eodem anno obiit, eiusque successor Clemens XIII peculiaris Societatis protector fuit. Paulo post Iosephus rex, cum noctu e metropoli in arcem suam vicinam reveheretur, a sicario impetitus et vulneratus est. Quis autem huius facinoris auctor fuerit, nondum publice innotuit; sed de Pombal hanc nactus occasionem coniurationem effinxit, atque asseruit Iesuitas et proceres, quos pari studio oderat, vitam regis attentasse. Plures Iesuitae intercepti et in tetros carceres, in quibus plerique perierunt, coniecti sunt, et 7 proceres capitis damnati. Tum horum tum illorum innocentiam aula Lusitanica postea in litteris publicis professa est. Interim de Pombal Iesuitas omnibus scholis expulit, et episcopis imperavit, ut eos sacris functionibus interdicerent. Denique an. 1759 edictum publicatum est, quo Iesuitae ceu seditiosi, proditores, inimici regis et aliorum criminum rei, relegabantur, eorumque bona fisco addicebantur. Mox edictum executioni mandatum est. Ex universo regno Iesuitae, omni subsidio destituti, in territorium pontificium navibus deportati sunt. Parem sortem subierunt Iesuitae, qui in Brasilia aliisque possessionibus Lusitanorum sacris missionibus fungebantur, quorum multi iniuriis et inedia perierunt, alii in oras Italiae transvecti sunt.

Quod de Pombal in Lusitania, id dux de Choiseul, minister Ludovici XV in Gallia, et comes de Aranda, primarius administer Caroli III in Hispania, efficiendum susceperunt. Destructio Societatis Iesu in Lusitania effecta, eius hostibus in Gallia animum addidit. Ansam praebuit causa, ab aliquot creditoribus contra Iesuitas Gallos ad curiam Parisiensem delata ad recuperandam pecuniam, mutuatam de-Lavaletto, Iesuitarum in Antillis Francicis procuratori. Curia Parisiensis, cuius maior pars e sophistis et Iansenistis, Societati Iesu aeque infensis, constabat, non solum Iesuitas Gallos, quibus nulla pars erat in negotio de-Lavaletti, in solidum condemnavit, sed an. 1761 ipsam Societatem in ius vocavit, ceu civitati summe periculosam, eiusque constitutiones a se cognoscendas edixit. Paulo post curia omnes congregationes, quas Iesuitae ad fovendam pietatem et exercenda bona opera dirigebant, suppressit. Senatores a curia ad cognoscendas Societatis constitutiones delegati, eas regiminis civilis, Ecclesiae, Sedis Apostolicae et Conciliorum auctoritati oppositas pronuntiarunt. Curia plura scripta Iesuitarum, ceu doctrinas seditiosas, vitae principum et civium periculosas et ethicae christianae destructivas continentia, per manum carnificis comburi iussit, vetuitque, ne quis deinceps Societatem ingrederetur.

Ludovicus XV se saepius curiae actis opposuit, et causae continuationem contra Iesuitarum Institutum suspendit; at dux de Choiseul senatores clam excitabat, ne coeptis desisterent. Rex et sapientiores eius consiliarii, in praesenti negotio ecclesiasticos praesules audiendos esse recte iudicantes, eos Parisios convocarunt. Convenerunt pridie calendas decembris 1761 praesules 51, inter quos 4 cardinales, 9 archiepiscopi et 38 episcopi. Postulata fuit eorum sententia de 4 capitibus: An Iesuitarum Institutum in Gallia utile esset, et an damna quaequae ex eo forent metuenda? Quae esset Iesuitarum doctrina, sive theoretica sive practica? Quae eorum agendi ratio erga episcopos, et an in sacris functionibus aliorum iura usurparent? An et quae reformatio Instituto conveniret? Post plures congregationes, in quibus Instituti constitutiones diligenter fuerunt discussae, et post audita plurium virorum doctorum consilia, 41 e 51 praesulibus in favorem Iesuitarum responderunt, eorum Societatem ut utilem imo necessariam laudarunt, et ab adversariorum dicteriis vindicarunt. Solus de Fitz-James, episcopus Suessionensis, iansenianis partibus addictus, eorum suppressionem postulavit. Cardinalis de Choiseul, archiepiscopus Vesuntinus, cum 4 episcopis dixit, Iesuitarum Institutum in Gallia esse conservandum, sed in quibusdam reformandum. Rex mense martio 1762 edictum dedit, quo secundum posteriorum praesulum sententiam Iesuitarum Institutum in Gallia conservabatur, additis quibusdam temperamentis quoad agendi rationem et regiminis formam. Verum curia Parisiensis, destructionem Societatis expetens, regis edictum recipere noluit; et ipse rex consilio ducis de Choiseul illud brevi post revocavit.

Interim libelli calumniis in Iesuitas plenissimi vulgabantur. Calendis aprilis 1762 curia Parisiensis decrevit, ut omnia Iesuitarum collegia clauderentur. Clerus Gallicanus mense maio Parisiis in comitiis congregatus, regi enixe supplicavit pro Iesuitarum in Gallia conservatione. In eumdem finem litteras ad regem iterato scripsit Clemens Pp. XIII. Verum curia Parisiensis, protectione ducis de-Choiseul freta, postridie nonas augusti 1762 decretum dedit, quo Institutum Iesuitarum, ceu iuri naturali, Ecclesiae atque civitatis auctoritati ac bono adversum, in Gallia abolitum, Iesuitae a votis suis soluti, eorum bona confiscata declarabantur; vetabatur, ne communem agerent vitam, habitum Societatis gestarent, regulas observarent, cum extraneis sociis communicarent, ulloque munere fungerentur, priusquam huic decreto assensum iurassent. Parisiensis curiae audaciam pleraeque provinciales secutae sunt; sed in comitatu Burgundiae, in Alsatia, in Flandria, in comitatu Atrebatensi et in Lotharingia nihil a curiis contra Iesuitas eorumve Institutum tentatum est.

Quum sic in plerisque provinciis Iesuitae e domibus suis pellerentur, Clemens Pp. XIII litteras in forma Brevis dedit ad Cardinales Gallos, quibus omnia, a curiis contra Societatem Iesu acta, declaravit irrita. Plerique praesules Galli contra eiusdem Societatis proscriptionem reclamarunt; prae aliis de Beaumont, archiepiscopus Parisiensis, V calendas novembris 1763, celeberrimam Instructionem pastoralem, quae est Societatis apologia, edidit. Curia vero Parisiensis Instructionem istam per carnificem cremari iussit, et IX calendas martii 1764 praescripsit, ut Iesuitae vel Institutum abiurarent vel regno exirent. Idem praescripserunt curiae Tolosana, Rothomagensis et Palensis. Iesuitae exilium praetulerunt apostasiae. Mense novembri rex ipse consilio ducis de-Choiseul edictum dedit, quo Societas Iesuitarum supprimebatur, eisque in regno vita privata sub inspectione superiorum Ordinariorum concedebatur. Ita Societatis Iesu suppressio in Gallia consummata est.

Clemens Pp. XIII, litteris episcoporum ex omnibus christiani orbis partibus ad vindicandam Societatem Iesu, et ipsam Religionem, quae in eadem impetebatur, interpellatus, VII idus ianuarii 1765 promulgavit Bullam, *Apostolicum*, qua Institutum s. Ignatii ab adversariorum calumniis alienum pronuntiavit, illudque de novo ex certa scientia et proprio motu confirmavit. Verum Pontificis Bulla tum a Gallicano tum a Lusitanico gubernio abiecta fuit.

Abolitam iam in Lusitania et Gallia Societatem, in Hispania destruendam effecit comes de Aranda, primarius Caroli regis III minister. Occasionem praebuit seditio popularis, Matriti excitata. Confestim de Aranda Iesuitas tanquam illius auctores ad regem detulit; ad corroborandam accusationem vulgares contra eos calumniae adhibitae sunt; epistolae etiam sub eorum nomine confictae, quae erant Carolo regi iniuriosae. Rex ira percitus, Iesuitarum expulsionem ex omnibus suis terris decrevit. An. 1767 litterae secretae datae sunt ad omnes provinciarum in Hispania, America et Indiis, Hispanorum imperio subiectis, praefectos et civitatum magistratus, quibus sub poena mortis mandabatur, ut stata die omnes ubique Iesuitae interciperentur et in oras regionis pontificiae deportarentur. Edictum magna cum barbarie executioni mandatum est; nam una eademque nocte omnia domicilia Iesuitarum, nil quidquam suspicantium, a militibus occupata sunt, bona eorum confiscata, iique sine discrimine, iuniores, senes, infirmi, veredariis ad littora maris ducti, navibus impositi et ad territorium pontificium transvecti sunt. Clemens Pp. XIII summo dolore oppressus, omni modo regem a male coeptis reducere conatus est; hic vero petulantibus litteris dolorem Pontificis auxit.

Eodem modo Iesuitae hoc ipso anno ex utraque Sicilia, et anno sequenti e ducatu Parmensi et insula Melita eiecti sunt. Magister equitum Melitensium a rege Siciliae tanquam patrono dependebat; Ferdinandus IV rex Siciliae erat filius Caroli regis Hispaniae, et Ferdinandus dux Parmensis eiusdem regis frater; omnes tres ad eiiciendos e terris Iesuitas a gubernio Hispanico excitati sunt.

Iesuitarum hostes non quieti, quamdiu illorum Institutum alibi existeret, omnes vires suas in id intenderunt, ut istud decreto pontificio ubique abrogaretur; sed eorum consiliis et comminationibus constanter restitit Clemens XIII. Quum huic Pontifici paulo post (1769) defuncto, successisset Clemens XIV, aulae Borbonicae omni via, precibus, promissis, comminationibus eum ad supprimendam ubique Societatem compellere studuerunt. Contra in Austria, Hungaria, Bohemia, Italia et Belgio Iesuitarum Institutum protegebat imperatrix Maria Theresia, et pro eius con-

servatione litteras dedit ad Clementem Papam. Polonia etiam, rex Sardiniae, civitas Venetiarum, respublica Genuensis, principes electores Trevirensis, Coloniensis, Moguntinus, Palatinus et Bavaricus, Helvetici pagi Lucernicus, Friburgicus et Salodurus, sollicitudinem et desiderium suum pro conservando Iesuitarum Instituto Pontifici significarunt. Fridericus II, rex Borussiae, non solum Iesuitas in Silesia protexit, sed etiam pro eorum conservatione ad Pontificem scripsit. Horum principum vota commode aderant Clementi XIV ad resistendum aularum Borbonicarum instantiis. Ast Carolus III rex Hispaniae nil omisit, ut caeteros principes, praesertim Mariam Theresiam, in partes suas pertraheret. Reipsa augustissimae imperatricis firmitas instantiis filii sui Iosephi II, et filiae suae, reginae utriusque Siciliae, victa est. Tunc cessit Clemens XIV, et xii° calendas sextilis an. 1773 Breve dedit, *Dominus ac Redemptor noster*, quo Societatem Iesu, quae a data a Paulo Pp. III confirmatoria Bulla, 233 annis viguerat, et hoc tempore ultra 20,000 socios habuerct, cum omnibus suis privilegiis, officiis et ministeriis in quavis provincia, regno et ditione suppressam extinctamque declaravit. Caeterum sociis concessit, ut ad alios religiosos Ordines transire possent, vel tanquam clerici saeculares sacras functiones peragere aut iuventuti instituendae operam navare sub auctoritate Ordinariorum, in quorum dioecesibus domicilium elegerint.

Iesuitae raro obedientiae exemplo se Pontificis sententiae submiserunt. Mirum est, eiusdem Societatis, cuius suppressionem principes catholici a Pontifice extorserunt, patrocinium suscepisse duos principes acatholicos, nimirum Fridericum II, regem Borussiae, et Catharinam II, imperatricem Russiae. Etenim in Silesia et Russia alba, quarum prior ad Bohemiam, posterior ad Poloniam ante pertinuerat, Iesuitae plura collegia domosque habebant. Ambo praefati principes publicationi Brevis pontificii, *Dominus ac Redemptor noster*, et Iesuitarum suppressioni contradixerunt; cum Clemente Pp. XIV et Pio VI, eius successore, pro illorum conservatione egerunt. Pius VI Friderico II indulsit, ut Iesuitae in Silesia, deposito Ordinis habitu, convivereut, et in tradendis litteris ac dirigendis Collegiis pergerent. Ex eiusdem Pontificis indulgentia et Catharinae II protectione in Russia alba Iesuitae in domibus suis, collegiis et missionibus secundum priscum suum Institutum perdurarunt; et accepta an. 1778 facultate suscipiendi novitios, atque an. 1782 obtenta potestate eligendi sibi Vicarium generalem, plurimum aucti sunt, atque in diversis Russiae civitatibus domos instituerunt [1].

68. *Pius VI, Pontifex* (*an.* 1775) — Clemens Pp. XIV a suppressa Societate Iesu viribus destitui coepit. Anno 1774 Iubilaeum indixit, sed aperire non potuit, morte praeventus X calendas octobris. Quare plura, quae in Ecclesiasticae et publicae rei bonum animo volvebat, opere complere haud potuit. Eum veneno fuisse extinctum, calumnia est R. P. Marzoni Ord. S. F., qui moribundo constanter adstitit, et Salicetti aliorumque medicorum testimoniis confutata. De hoc Pontifice varii varia scripserunt; quidam, maxime suspectae fidei homines, summis laudibus extulerunt; alii nimia libertate depresserunt. Vitam eius et Epistolas edidit marchio Caraccioli, sed Epistolas istas, magna saltem parte, esse confictas, vitamque fabulis et calumniis refertam, consentiunt eruditi. Post Clementis obitum Sedes Apostolica vacavit usque ad XV calendas martii 1775. Etenim in hoc conclavi non minor ac in praecedenti dissensio fuit; alii, a Galliae et Hispaniae curiis excitati, cupiebant Pontificem, qui decretum defuncti contra Societatem Iesuitarum confirmaret; alii volebant talem, qui, si illud non revocaret, saltem eius executionem non urgeret. Tandem cardinalis Pallavicini, in quem priorum vota conspirabant, cernens dolensque, Ecclesiam sui causa diutius pastore privari, declaravit fixum sibi esse pontificatum recusare, omniumque suffragia convertit in cardinalem Ioannem Angelum Braschi, Caesenatem, qui sub nomine Pii VI Ecclesiam rexit 24 annis, 6 mensibus et 14 diebus.

Pius VI sacra tiara fuit dignissimus, Religionis studio ardens, doctrina ac prudentia clarus, indefessi laboris patiens, legum vindex discretus, pro Ecclesiae et statuum suorum bono assidue vigilans, in pauperes misericors, omnibus affabilis, cunctas officii sui partes explevit. Iubilaeum, a decessore suo indictum, an. 1775 celebravit. Eodem anno exeunte Iubilaei gratiam ad universum orbem

---

[1]) *Pombal, Choiseul et Aranda: ou l' intrigue des trois Cabinets*; De Saint-Victor, *Tableau de Paris*, t. IV, part. 2; Crètineau-Joly, *Histoire religieuse, politique et Littèraire de la Compagnie de Jesus*, t. V, c. 3-7, Bruxell. 1845.

*

catholicum extendit, deditque VIII calendas ianuarii 1776 celeberrimam ad patriarchas, primates, archiepiscopos et episcopos epistolam encyclicam, *Inscrutabile divinae Sapientiae consilium*, in qua, quasi praedicens terribilem catastrophem toti Europae imminentem, magno verborum pondere praesules ecclesiarum officii sui admonuit, et cohortatus est, ut pervigiles caverent, ne commissae sibi oves inficerentur irreligionis lue, quae e pestilentissimis libris pseudo-philosophorum in Religionis perniciem conspirantium iam eruperat; illos excitavit, ut coniunctis viribus contra perversos errores, quibus sacerdotii et imperii auctoritas convellebatur, divini verbi gladio gregem suum munire non intermitterent [1]. Erga Iesuitas paternum gerebat affectum; iam diximus quae iis in Borussia et Russia indulserit; maxima tamen prudentia usus est, ne Gallicani et Hispanici gubernii iracundias in Apostolicam Sedem concitaret; coeptum sub decessore suo iudicium contra generalem Societatis praepositum L. Ricci eiusque assistentes, in arce s. Angeli custoditos, deseri noluit, ne innocentiae viam praecluderet aut calumniae locum daret; sed post mortem L. Ricci [2], reliquos concaptivos ex arce dimisit. Schismaticas electiones I. I. Van Rhyn in archiepiscopum Vltraiectinum, A. Broeckman in episcopum Harlemiensem, et N. Nelleman in Daventriensem, damnavit. An. 1779 damnavit librum Ioannis Laurentii Isenbiehl, presbyteri et in Vniversitate Moguntina professoris exegeseos, qui inscriptus erat: *Novum tentamen in prophetiam Emmanuelis* [3]. Contendebat is, verba Isaiae (VII, 64) non de B. V. Maria et Messia, sed de virgine alia, regi Achaz nota, esse intelligenda. Librum istum, iam a variis Vniversitatibus Germanicis et Parisiensi notatum, Pius VI damnavit ut exponentem doctrinas et propositiones respective falsas, temerarias, scandalosas, perniciosas, haeresi faventes et haereticas. Isenbiehl iudicium Pontificis eodem anno et ore et calamo approbavit. An. 1786 Pius VI damnavit libellum inscriptum: *Quid est Papa* [4]; cuius auctor Iosephus Valentinus Eybel, Viennae iuris canonici professor, Richeristarum et Febronianorum more Ecclesiae Constitutionem et R. Pontificis primatum oppugnabat. Pontifex praedictum libellum damnavit tanquam continentem propositiones respective falsas, scandalosas, temerarias, iniuriosas, schismaticas, erroneas, inducentes in haeresim, haereticas et alias ab Ecclesia damnatas [1]. Musaeum Clementinum antiquitatis monumentis undique magno studio conquisitis auxit, et ditavit. Alia negotia gravissima, quibus idem Pontifex distentus fuit, suis locis referemus.

69. *Ordinum religiosorum status* — Narrata sunt conamina, quibus Religionis hostes effecerint, ut Iesuitarum Institutum aboleretur. Iidem ad reliquos etiam Ordines religiosos minuendos aut plane extinguendos studia contulerunt. In hunc finem, tum in colloquiis tum in scriptis, vitam monachorum ut otiosam, inutilem, superstitiosam traducebant; detrimenta multa e Coenobiorum multitudine reipublicae civili obvenire dicebant, eaque exaggerabant; imperantibus civilibus persuadebant, ut exhausta aeraria suppressorum monasteriorum bonis restaurarent. Quum autem in plerisque aulis ministri essent sophistarum doctrinis imbuti, publica decreta impetrata sunt, quibus membra singulorum monasteriorum ad certum numerum, donationes et legata iis facienda ad definitum modum reducebantur, variae reformationes in coenobiis praescribebantur, nonnulla monasteria vel integri Ordines supprimebantur.

In Lusitania Iosephus I consilio primarii sui ministri de-Pombal plures religiosas Congregationes suppressit. Dicta sunt, quae a duce Parmensi fuerint decreta [2]. In Gallia Ludovicus XV, pravis administrorum suorum consiliis excitatus, an. 1766 quinque regni consiliarios totidemque episcopos constituit, qui omnia monasteria Galliae visitarent, eorum statum cognoscerent, et modum eadem reformandi proponerent. Commissarii, inter quos erat archiepiscopus Tolosanus, sophistarum principiis infectus et monasticis Institutis oppositus, praeter alia decreta inutilia, proposuerunt plura, lentae monasteriorum extinctioni propria. In primis plura monialium monasteria in *canonias* mutata sunt, in quibus feminae, praesertim nobili genere natae, commode viverent; postea minorum conventuum et abbatiarum, in quibus saltem 15 religiosi non degerent, abolitio decreta; statutum etiam, ut idem Ordo non nisi unam in

---

1) *Collectio Brevium atque Instructionum Pii VI.*

2) Obiit XII calendas decembris 1775.

3) *Neuer versuch über die weissagung von Emmanuel.*

4) *Was ist der Pabst?*

1) *Collect. Brevium Pii VI.* — 2) Vid. p. 268.

eadem civitate domum haberet. Iidem commissarii clam discordias inter monachos disseminabant, et immorigeris ac disciplinae impatientibus patrocinium praestabant. Quo factum est, ut coenobia diffamarentur, et iam ante revolutionis initia plus quam 1,000 forent suppressa. An. 1767 etiam Venetiarum senatus Cleri sui Regularis reformationem et reductionem aggressus est, et ex consilio eorum, quibus monasticae rei cognitionem in universa republica commiserat, praeter alia plura decrevit, ut monasteria minoribus redditibus instructa abolerentur; quibus postea etiam maiora quaedam addita sunt. Eodem tempore ab augustissima imperatrice Maria Theresia decreta impetrata sunt, quibus minor dos pro novitiorum susceptione et maior aetas pro eorum professione praescribebantur; numerus monachorum pro singulis coenobiis secundum locorum indigentias definiebatur; et praepositi in visitatione monasteriorum sibi subditorum, atque in omnibus fere suis negotiis et actibus a consensu regiminis civilis dependentes reddebantur. Iosephus II, Mariae Theresiae filius et an. 1780 successor, plurima utriusque sexus monasteria in omnibus terris, sibi subiectis, abolevit, praesertim ea, quorum incolae non nisi vitae contemplativae dedicati erant, et sanctimonialium, exceptis Vrsulinis, Salesianis, Angelicis et Sororibus misericordiae seu Elisabethinis. Numerus monasteriorum a Iosepho II sublatorum 400 excessit, e quorum bonis sic dicti *Fundi Religionis* et *Scholarum* formati sunt. Praeterea monasteriis non sublatis ad tempus indefinitum interdicta fuit novitiorum susceptio, multaque circa eorum constitutionem et vivendi rationem innovata, v. g. exemptiones abrogatae, omnis nexus cum extraneis sublatus, collectiones stipis et missiones prohibitae, gradus honoris velut magistri et definitoris abrogati, novus modus eligendi superiores praescriptus, horumque in subditos potestas limitata. Similes monasteriorum reformationes introduxit, eaque etiam ad minorem numerum restrinxit Iosephi II frater Leopoldus, magnus dux Hetruriae. Illorum exemplum secutus est Ferdinandus IV, rex utriusque Siciliae, qui communione Regularium regni sui cum extraneis prohibita, constitui curavit vicarios generales, a praepositis generalibus Romae residentibus quidem approbatos, sed ab eis independentes. Caeterum sub eo monasteria pauca in regno Neapolis, nulla vero in Sicilia sublata sunt.

70. *SS. Redemptoris Congregatio* — Novam autem Religiosorum Congregationem hoc saeculo instituit s. Alphonsus M. de Ligorio Neapolitanus; qui an. 1696 Neapoli nobilibus parentibus natus, a puero mira pietatis et ingenii specimina dedit. Vix 16 annis natus, in patria universitate utriusque iuris lauream consecutus est. Tum in forum cum magna laude descendit; sed pericula eius expertus clericali militiae nomen dedit. Sacerdos factus tanto zelo in vitia irruit, ut apostolico munere fungens huc illuc pervolans, ingentem perditorum hominum numerum ad meliorem vitam converteret. Pauperum praesertim et ruricolarum miseratus, an. 1732 e consensu Clementis XII Scalae instituit Congregationem presbyterorum ss. Redemptoris, qui non solum regulari vita propriae perfectioni studerent, sed ad exemplum Salvatoris per agros, pagos et castella pauperibus evangelizarent, ignorantes et rudes in Religione instituerent, perditos in viam salutis reducerent, ex episcoporum consensu animarum curatoribus in praedicando divino verbo aliisque functionibus spiritualibus opitularentur. Benedictus Pp. XIV an. 1749 hanc Congregationem sollemniter approbavit, quae saeculo sequenti etiam extra Italiam propagata est. Anno 1762 Alphonsus, cuius nominis celebritas longe lateque erat diffusa, a Clemente XIII, quamvis invitus, ad Episcopatum s. Agathae Gothorum vocatus fuit. Eo in munere egregia argumenta pastoralis sollicitudinis, effusissimae in pauperes liberalitatis, suique contemptus dedit. Erga Deiparam Virginem et ss. Eucharistiae Sacramentum singulari prorsus devotionis affectu tenebatur, eorumque cultum mirifice propagavit. Demum cum se episcopatu abdicasset, Nuceriam Paganorum ad domum suorum alumnorum secessit, ubi anno 1787 obiit. Virtutibus et miraculis clarus, a Pio Pp. VII in Beatorum et a Gregorio XVI in Ssrum album relatus est [1]. Pius Pp. IX ipsum universae Ecclesiæ Doctorem renuntiavit.

Alphonsus ingenio et doctrina aeque ac vitae sanctitate claruit. Scripsit Theologiam moralem, Hominem apostolicum ad audiendas confessiones institutum, Directorium Ordinandorum, Praxim confessarii, historiam Haeresum, conciones morales quamplures, alia plura tum ad res theologicas illustrandas, tum ad fovendam et acuendam pietatem, quae omnia saepius et diversis in locis edita sunt.

---

[1]) Vitam eius scripserunt Giattini, Tannoia, Jeancard.

71. *Scriptores ecclesiastici*—Praeter s. Alphonsum de Ligorio posterioris huius saeculi dimidio floruerunt scriptores quam plurimi, qui diversas scientiarum sacrarum partes docte tractarunt.

Rem Biblicam tractarunt hi: Carolus Franciscus Houbigant, presbyter Oratorii Parisiensis, qui edidit Lexicon hebraico-gallicum, Prolegomena in s. Scripturam, Biblia hebraica (V. T.) cum notis criticis et versione latina. Ioannes Bernardus de-Rossi, theologiae doctor et in Vniversitate Parmensi linguarum orientalium professor; textum hebraicum in lucem dedit sub titulo: Variae lectiones Veteris Testamenti ex immensa manuscriptorum editorumque codicum congerie haustae, et ad Samaritanum textum, ad vetustissimas versiones, ad accuratiores sacrae criticae fontes et leges examinatae. Hermannus Goldhagen, S. I., theologiae professor in Vniversitate Moguntina; edidit Introductionem in V. et N. T. Scripturam, et N. Testamenti textum originalem cum variis lectionibus, quibus Vulgata versio confirmatur. Ignatius Weitenauer, S. I., theologiae professor in Vniversitate OEnipontana; composuit Lexicon biblicum, in quo vocabula et phrases Vulgatae explicantur. Gabriel Fabricy, Provincialis Ordinis Praedicatorum; edidit gallice Considerationes criticas de puritate et integritate textus originalis V. Testamenti. Ioannes Bapt. Ladvocat, doctor et professor Sorbonicus; composuit grammaticam hebraicam, dissertationes latinas in Pentateuchum, in Iob et in Psalmos. Wilhelmus Smits et Petrus Van Hove, Minoritae Belgae, edendam susceperunt Bibliorum versionem flandricam cum dissertationibus notisque grammaticalibus et criticis, sed post editos Pentateuchum, Tobiam, Iudith, Esther, Iob, Psalmos et Sapientiales libros opus interruptum est. Ioannes Iosephus Guyaux, doctor Lovaniensis; reliquit commentarium in Apocalypsim, et praelectiones ineditas de Evangelio, de Actis et Epistolis Apostolorum. Ioannes Dominicus Mansi, archiepiscopus Lucensis; scripsit prolegomena et dissertationes in Libros sacros, in latinum vertit dictionarium et commentarios A. Calmet in s. Scripturam, atque disciplinam ecclesiasticam L. Thomassini; edidit praeterea collectionem Conciliorum cum supplemento, Annales Baronii, Historias ecclesiasticas Natalis Alexandri et Amat de-Graveson cum notis.—Ioan Martianaeus scripsit Vindicias textus hebraici ac sacrae Chronologiae secundum Vulgatam adversus Pezronium, et Isaacum Vossium. Alexius Symmachus Mazochius ex Decano Metropolitanae Ecclesiae Campanae Canonicus Neapolitanus, ac in Neapolitana Vniversitate s. Scripturae interpres, omnigena praeditus doctrina, praeter alia scripsit Spicilegium Biblicum in Libros V. ac N. T.

Eruditione theologica claruerunt: Martinus Gerbert, Ord. s. Benedicti, abbas s. Blasii in Silva Nigra; ipse edidit Apparatum ad eruditionem theologicam; principia theologiae exegeticae, dogmaticae, symbolicae, mysticae, moralis, canonicae, sacramentalis, liturgicae; scripsit etiam de recto et perverso usu theologiae scholasticae, de ratione exercitiorum scholasticorum, de re liturgica; reliquit praeterea plura scripta polemica contra haereticos, contra Gallicanos, Iansenianos, Febronianos, pseudopoliticos et incredulos. Ioannes Laurentius Berti, Hetruscus Ord. s. Augustini; scripsit theologiam historico-dogmatico-scholasticam, seu libros 37 de theologicis disciplinis. Petrus M. Gazzaniga, Ord. Praed., in Vniversitate Vindebonensi theologiae professor; exaravit Praelectiones theologicas. Ioannes Bapt. Gener, Hispanus, S. I.; composuit theologiam dogmaticam, illustratam dissertationibus historicis et monumentis antiquis. Thomas ex Charmes, Ord. Capuccinorum; reliquit Cursum s. Theologiae. Petrus Collet, Vendocinensis, presbyter Congregationis Missionis; edidit theologiam moralem universam, Institutiones theologicas ad usum Seminariorum: scripsit praeterea gallice de sacris mysteriis, de officio divino, de dispensationibus, de Indulgentiis, exorcismis, aliisque. Edmundus Voit, S. I., concinnavit theologiam moralem. Ioannes Vincentius Patuzzi, Veronensis, Ord. Praed.; elaboravit ethicam christianam sive theologiam moralem, pluresque diversi generis tractatus theologicos. Vincentius Card. Petra, Neapolitanus, edidit erudita Commentaria ad Constitutiones Apostolicas, 5 voluminibus, et Tractatum de Sacra Poenitentiaria Apostolica. Petrus Dens, in Vniversitate Lovaniensi s. Theologiae licentiatus, seminarii Mechliniensis praeses, reliquit theologiam ad usum Seminariorum. Eusebius Amort, Canonicus Regularis Ord. s. Augustini, Pollingae in Bavaria philosophiae ac theologiae inter suos professor; dedit Supplementum ad Lexicon Casuum Conscientiae I. Pontas, Tractatum historico-theologicum de Indulgentiis, regulas de revelationibus, visionibus

et apparitionibus privatis. Iosephus Maugis, Namurcensis, Ord. s. Augustini, in Vniversitate Lovaniensi theologiae professor; reliquit plures dissertationes editas et tractatus theologicos ineditos.-Ioseph Simioli Neapolitanae Eccles. Canonicus, et in Regia studiorum Vniversitate primum Theologiae, postea historiae Conciliorum professor, edidit Institutiones Theologicas 5 voluminibus, nec non perbrevem historiam Conciliorum.

Inter polemicos et apologistas, qui contra haereticos, dictos Protestantes, contra Iansenistas, Febronianos et incredulos scripserunt, praenotandi sunt: M. Gerbert iam laudatus. Hubertus Hayer, Lotharenus, Ord. Minorum; scripsit gallice plures Tractatus, nimirum de Regula Fidei contra calumnias Protestantium, de apostolicitate Romanae Ecclesiae, de utilitate temporali Religionis christianae, de existentia Dei, de spiritualitate et immortalitate animae, de nundinatitia incredulorum sapientiae iactantia; maximam quoque partem habuit in opere periodico cui titulus: Religio vindicata. Philippus Vicaire, doctor Cadomensis, dedit gallice expositionem fidelem et demonstrationem solidam doctrinae catholicae ad Protestantes. Guilielmus Bachuisen, e ianseniano catholicus et postea canonicus Brugensis; scripsit Apologiam suae secessionis a schismate, acta Z. B. Van Espen, Quesnelli et Erkelii. Petrus Govaërts, Vicarius apostolicus Buscoducensis; scripsit Opuscula adversus eumdem Van Espen et iudices saeculares eius fautores. Petrus Camillus Almici, Bresciensis, presbyter Oratorii; reliquit Considerationes criticas in librum Iustini Febronii. Petrus et Hieronymus fratres Ballerini, Veronenses, scripserunt de vi et ratione primatus R. Pontificum et Conciliorum generalium adversus Iustinum Febronium; ediderunt sermones s. Zenonis Veronensis Episcopi, s. Antonini, et Raymundi de Pennafort Theologicas Summas et novam operum s. Leonis editionem adornaverunt. Veronensi editioni operum Card. Norisii vitam auctoris addiderunt; et egregios tractatus de doctrina catholica circa usuras composuerunt. Franciscus Antonius Zaccaria, Mediolanensis, S. I.; dedit Anti-Febronium, Anti-Febronium vindicatum adversus Febronium eiusque vindicem Theodorum a Palude; defensiones Benedicti XIII, Benedicti XIV, Clementis XIII et synodi Romanae, an. 1725 habitae, contra P. F. Viatorem; opuscula varia et dissertationes; continuationem episcoporum Cremonensium et alia. Thomas M. Mamachi, Ord. Praed. et sacri Palatii Magister; in lucem dedit libros 2 Epistolarum ad Iustinum Febronium de legitima R. Pontificis auctoritate; iactatam philosophiam recentiorum incredulorum examinatam et discussam; libros 20 Originum et Antiquitatum christianarum; Annales Ordinis Praedicatorum; scripsit praeterea de animabus iustorum in sinu Abrahae ante Christi mortem, de oraculis ethnicorum, de Chronologia evangelica, de visione crucis habita a Constantino M., de moribus et usibus primorum christianorum, de iure Ecclesiae acquirendi et possidendi bona temporalia. Ioannes Pey, canonicus Parisiensis, gallice scripsit opus eruditum de auctoritate utriusque potestatis; item veritatem Religionis christianae probatam contra deistas; philosophum catechistam et christianum; legem naturalem evangelica explicatam; tolerantiam christianam philosophicae oppositam. I. G. Le-Franc de-Pompignan, ex episcopo Podiensi archiepiscopus Viennensis, scripsit gallice, aeque ac qui sequuntur, quaestiones diversas de incredulitate; incredulitatem convictam per prophetias; Religionem vindicatam ab incredulitate per ipsam incredulitatem. Abraham Iosephus de-Chaumaix, Aurelianensis, scripsit contra lexicon encyclopaedicum, et librum, cui titulus: Iudicium ignoti de oraculo novorum philosophorum. Ioannes Saas, canonicus Rothomagensis, dedit litteras de eodem lexico. C. I. de-Saint-Cyr, canonicus Turonensis, scripsit catechismum ad usum Cacopolis contra sophistas. Claudius M. Guyon, presbyter Oratorii, scripsit oracula novorum philosophorum contra errores Voltairii. Claudius Adrianus Nonotte, Vesuntinus, S. I., exagitavit errores Voltairii, atque in lexico philosophico universa Religionis capita contra incredulos vindicavit. Amatus Henricus Paulian, Nemausensis, S. I., concinnavit lexicon philosophico-theologicum contra incredulos. Ioannes Franciscus de-la-Mare, S. I., scripsit Fidem vindicatam ab omni nota contradictionis cum ratione. Guilielmus Franc. Berthier, S. I., confutavit contractum socialem Ioannis Iacob. Rousseauvii, et Encyclopaedistas exagitavit in ephemeridibus Trivoltianis. Laurentius Veith, eiusdem Societatis, s. Scripturam contra incredulos propugnavit; R. Pontificis primatum et infallibilitatem strenue defendit, confutavitque systema Richerii de ecclesiastica ac politica potestate, et doctrinam Iansenii de gemina delectatione.

L. François, Sequanus, cuius extant probationes Religionis a Christo institutae; examen catechismi viri honesti; responsa ad difficultates contra Religionem christianam, a I. I. Rousseau propositas. Gabriel Gauchat, Burgundus, S. T. doctor, reliquit praeter alia epistolas criticas seu analysin et confutationem variorum scriptorum contra Religionem; concordiam generalem Christianismi cum ratione. Nicolaus Jamin, Ord. s. Benedicti e Congr. s. Mauri, in lucem dedit cogitationes theologicas contra vigentes errores. Ioannes Bapt. Bullet, Vniversitatis Vesuntinae decanus, cuius extant existentia Dei demonstrata ex natura; responsa ad incredulorum difficultates circa Libros sacros; historia propagationis Christianismi, e solis scriptoribus iudaeis et paganis deprompta. Ludovicus Berton de Crillon, Avenionensis, in commentariis philosophicis systemata novorum philosophorum exagitavit, et in libro, cui titulus: Homo moralis, virtutum honestatem morumque principia defendit. N. S. Bergier, Lotharenus, canonicus Parisiensis, dedit Deismum refutatum per se ipsum; certitudinem Religionis christianae; apologiam eiusdem Religionis; examen materialismi; responsum ad consilia rationabilia contra Voltairii sophismata; tractatum historico-dogmaticum verae Religionis; dictionarium theologicum, in quo sunt quaedam scripta ab eo post initam cum Encyclopaedistis societatem. Gaston de Partz de-Pressy, episcopus Boloniensis, pluribus instructionibus pastoralibus et dissertationibus theologicis Religionem christianam eiusque mysteria defendit, et incredulitatem exagitavit. Claudius Franc. Regnier, Arvernus, presbyter Congreg. s. Sulpitii, cuius extant certitudo principiorum Religionis contra novos incredulorum conatus, et tractatus latine scriptus de Ecclesia. Antoninus Valsecchi, Veronensis, Ord. Praedicat., scripsit italice de fundamentis Religionis et causis impietatis, atque in aureo opere: *La Religione Vincitrice* veritatem Religionis catholico-romanae omni argumentorum genere demonstravit. Antonius Guénée, canonicus Ambianensis, scripsit epistolas quorumdam Iudaeorum ad Voltairium, epistolas Quakerorum ad fratrem suum Voltairium, et commentaria de fertilitate Iudaeae.

Antiquitatis et historiae ecclesiasticae studio claruerunt Thomas M. Mamachi et I. D. Mansi, de quibus supra diximus. Ioannes L. Berti, iam laudatus, reliquit historiam ecclesiasticam sive dissertationes, et breviarium historiae ecclesiasticae, iussu episcopi Gandavensis an. 1831 correctum, expurgatum et auctum. A. H. Berault Bercastel, canonicus Noviodunensis, scripsit gallice historiam ecclesiasticam, in iis quae spectant Curiam Romanam, caute legendam. Gabriel M. Ducreux, canonicus Aurelianensis, dedit gallice saecula christiana seu historiam Religionis christianae. Carolus Franc. Lhomond, professor in academia Parisiensi, exaravit gallice epitomen historiae sacrae, item ecclesiasticae. Clemens Becker, iuris professor in academia Monasteriensi, reliquit historiam ecclesiasticam practicam, quae explicit cum saeculo XV. Franciscus Foscari, senator Venetus, publicavit Thesaurum antiquitatum sacrarum. Franc. Xaverius Manhart, OEnipontanus, S. I., edidit antiquitates Christianorum, et dissertationes theologicas de indole, ortu, progressu et fontibus sacrae doctrinae. Nicolaus Antonelli, Vrbinensis, R. E. cardinalis, edidit dissertationem de titulis, quos s. Evaristus Pp. presbyteris in Vrbe distribuit, et vetus missale romanum praefationibus notisque illustratum. Marcus Heinsitz, Iesuita Germanus, auctor est Germaniae sacrae. Sigismundus Galles, collegit annales ecclesiasticos Germaniae. Daniel Farlatti, e Bononiensi Patavinus professor, auctor est Illirici sacri. Franc. Adrianus Pluquet, canonicus Cameracensis, edidit gallice dictionarium haeresum, errorum et schismatum. Marius Guarnacci, pontificius praelatus domesticus, concinnavit vitas Pontificum et Cardinalium ab an. 1670 usque ad 1730. Albanus Butler, Anglus, collegit Vitas Ssrum, quas in gallicum vertit sermonem, notisque illustravit Ioannes Franc. Godescard, canonicus s. Honorati Parisiis. Michaël Angelus Marin, Massiliensis, Ord. Minimorum, edidit, praeter alia, acta Martyrum, et vitas eremitarum Orientis. Antonius Touron, Ord. Praed., publicavit gallice historiam virorum illustrium sui Ordinis, vitas s. Dominici et s. Thomae Aquinatis, aliaque. Ioannes Benedictus Mittarelli, Venetus, Camaldulensis, una cum I. D. Castadoni collegit Annales sui Ordinis. Renatus Massuetus Ebroicensis ex O. S. B. obsolutissimam Operum s. Irenaei editionem adornavit; Librum etiam scripsit, cui titulus: Augustinus Graecus, in quo s. Ioannem Chrysostomum ab Augustini de Gratia doctrina minime dissentire demonstrat. Bessinius, e Congregatione s. Mauri, episto-

las s. Gregorii M. in ordinem digessit ac eruditis notis illustravit. Scripsit animadversiones in novum sistema a Bernardo Lamio Oratorii presbytero excogitatum de ultimo Paschate a I. C. Servatore celebrato. Franciscus Bianchini, Veronensis, praeter egregia opera ad philologiam, et astronomiam pertinentia, elucubravit dissertationes de Calendario et cyclo, et de Paschali Canone s. Hippolyti Martyris; Anastasii quoque Bibliothecarii de vitis Romanorum Pontificum ad Gregorium usque Magnum 3 voluminibus edidit cum prolegomenis et notis, quas magno in pretio iure habent eruditi. Carolus Iosephus Maiellus, primum Neapolitanae Ecclesiae canonicus, dein Vaticanae Bibliothecae praefectus, ac denum archiepiscopus Emissenus, elucubravit Tractatum de Probabilismo, Apologeticum Christianum, opus inscriptum: Regni Neapolitani erga Petri Cathedram religio, Ephemer ides Marianas, seu carmina graeca, latina, hetrusca in Deiparae laudem; scripsit etiam alia opuscula enumerata ab Evodio Assemano in eius vita praefixa Actis ss. Martyrum Orientalium. Alexius Symachus Mazochius, iam memoratus, permultas edidit elucubrationes, inter quas eminent Commentarius in vetus Marmoreum s. Neapolitanae Ecclesiae Calendarium, Dissertatio de Sanctorum eiusdem Ecclesiae Episcoporum cultu, eruditissimum commentarium in Tabulas Heracleenses, Actorum Bononiensium s. Ianuarii et sociorum Martyrum Vindiciae repetitae. Ioannes Stilting S. I. edidit acta eiusdem s. Ianuarii Episcopi et sociorum martyrum, qua in re gravem cum Mazochio habuit litem, ostenditque vera et genuina huius martyris Acta esse non quae Bononiae, sed quae Romae in Bibliotheca Vaticana asservata sunt. Aloisius Sabbatini, Neapolitanus, et Aquilae episcopus praeter plura opuscula scripsit commentarium in vetus calendarium marmoreum a Mazochio etiam illustratum, uti mox notavimus. Ioseph Simioli, iam laudatus, conscripsit historiam Conciliorum. Iosephus Simonius Assemanus, s. Petri canonicus, et Vaticanae Bibliothecae praefectus, qui praeter alia plura edidit Calendaria Ecclesiae universae, in quibus Sanctorum nomina, imagines, festi dies Ecclesiarum Orientis et Occidentis, praemissis uniuscuiusque Ecclesiae originibus, recensentur, describuntur, et notis illustrantur. Iosephus Ludovicus Assemanus, qui praeter pöema de Astronomia vulgavit Commentarium Theologico-Canonico-Criticum de Ecclesiis, earumque reverentia et asylo, atque concordia Sacerdotii et Imperii, opus de Patriarchis Caldaeorum et Nestorianorum, Missale Alexandrinum s. Marci, in quo Liturgiae omnes antiquae ac recentes Ægyptiae, Graecae, Copticae, Arabicae et Syriacae exhibentur. Stephanus Evodius Assemanus, Episcopus Apamiensis, Simonii Assemani nepos, qui inter alia edidit Acta ss. Martyrum Orientis, et Bibliothecam Mediceam, Laurentianam et Palatinam. Ioannes Antonius Bianchi edidit opus inscriptum *Della Podestà e Politia della Chiesa* adversus Petrum Iannonium. Laurentius Selvaggi Neapolitanus evulgavit Antiquitatum Christianarum institutiones. Scipio marchio Maffei, Veronensis, a Tourneminio Doctor universalis appellatus, praeter plura egregia opera in re philosophica et historica, ob quae amplissimum apud omnes eruditos nomen est assecutus, praeclaras scripsit epistolas de Fragmentis s. Irenaei a Pfaffio vulgatis; vulgavit quoque s. Io. Chrysostomi ad Caesarium epistolam eruditis animadversionibus illustratam; Veronensi editioni operum s. Hilarii praefationem praefixit; composuit Historiam Theologicam de Gratia; denique Cassiodori Complexiones in Acta Apostolorum, Epistolas et Apocalypsim; necnon Passionem ss. Firmi et Rustici ex optimae notae codicibus edidit. Petrus Franciscus Foggini egregium composuit opus De Romano Divi Petri itinere et Episcopatu.

72. *Catholicorum status in Anglia* — Interim posterioribus huius saeculi annis catholici in terris haereticorum mitiorem conditionem maioremque tolerantiam nacti sunt. Quamvis per pacem, an. 1763 Versaliae inter gallicanum et anglicanum gubernia confectam, Canada seu Nova-Francia et Granata Americae septentrionalis, in quibus Religio catholica dominabatur, fuerint concessae Anglis, catholici tamen iisdem ac antea ibi iuribus potiti sunt. In Anglia an. 1778, supplicantibus catholicis, praesertim Hibernis, Camerae, ut appellantur, *communium* et *procerum* leges iniquas, a Guilielmo rege III contra illos latas, abrogarunt, eisque ius haereditatis et emptionis restituerunt: quae decreta confirmavit Georgius rex III. Hac concessione exasperati catholicorum hostes, in pluribus civitatibus contra Papismi, ut dicebant, progressum societatem inierunt, et populares violentias in catholicos excitarunt. Verumtamen honestiores inter ipsos dissiden-

tes, multique ex utraque camera et concilio regio istas violentias reprobabant, et de mitiganda catholicorum conditione consentiebant. Catholicis continuo Religionis libertatem iuriumque civilium usum petentibus, an. 1791 decreto utriusque Camerae concessum est, ut aedes sacras ad celebranda divina officia et scholas ad instituendam iuventutem erigere possent. An. 1793 Hibernis catholicis etiam concessa est vox activa in electionibus civilibus et admissio ad munera publica, exceptis triginta supremis. Quum ultimis huius saeculi annis causa persecutionis, in Gallia contra Religionem excitatae, ingens episcoporum et sacerdotum multitudo e Gallia confugisset in Angliam, non tantum catholici, sed etiam acatholici Angli, proceres, ipsumque gubernium illis magna cum liberalitate succurrerunt. Illi non tantum animum gratum sibi bene facientibus praebuerunt, sed sua pietate sanctaque vivendi ratione falsas Anglorum opiniones de Religione catholica emendarunt, varia sacella, scholas et xenodochia erexerunt, pluresque Anglos ab haeresi ad Ecclesiae sinum reduxerunt.

Borussia — In Borussia Fridericus rex II, quum, occupata Silesia, plura catholicorum millia sub sua potestate accepisset, non solum illis, sed etiam his, qui in caeteris suis terris et praesertim Berolini vivebant, liberum Religionis suae exercitium multaque iura civilia concessit.

Suecia — In Suecia etiam, ubi a duobus saeculis et amplius publicum Religionis catholicae exercitium fuerat proscriptum, hoc ipsum cum potestate erigendi ecclesias an. 1781 catholicis concessum est, sed cum magnis restrictionibus, inter quas hae erant, ut nullas scholas haberent, nullos libros, in quibus eorum Religio exponeretur, typis mandarent, quivis indigena, qui a lutherana religione deficeret, iure civitatis privatus in exilium mitteretur, nemo, a lutherana religione alienus, ad munus aliquod publicum vel inter regni ordines admitteretur. Tunc Pius P. VI vicarium apostolicum in Sueciam misit, qui spirituales catholicorum indigentias curaret. Plerique autem catholici in Suecia sunt vel peregrini vel posteri peregrinorum, et potissimum Holmae atque Gothenburgi et in eorum vicinia degunt.

Dania—In Dania catholici hac aetate nondum tolerabantur. Recentiori tamen tempore leges contra eos latae multum mitigatae sunt, liberumque Religionis exercitium iis Hafniae et in aliis quibusdam locis concessum.

Polonia — In Polonia Religionis catholicae prosperitas impedita fuit tum domesticis Polonorum dissidiis tum bellis, quibus Russi supremum suum dominium in Polonia stabilire moliti sunt. Anno vero 1772 et sequenti Catharina II, imperatrix Russiae, Maria Theresia augusta, seu potius filius eius Iosephus imperator II, et Fridericus II, rex Borussiae, regnum Poloniae ita diviserunt, ut domus Austriaca haberet magnam partem Russiae rubrae, nimirum palatinatus Leopolis et Belzae; Russi possiderent Livoniam polonicam, partem Volhiniae, magnamque partem Russiae albae in Lithuania; Borussi vero Prussiam polonicam, seu Pomeralliam, Mariaeburgum, Culmiam et Warmiam; reliquas provincias conservaret Stanislaus Augustus II, rex Poloniae. Has ipsas posteriores provincias eadem tria gubernia an. 1795 rursum inter se diviserunt, regnumque Polonicum aboleverunt. Interim in omnibus provinciis Polonicis, sive a Borussico et Russico sive ab Austriaco gubernio occupatis, catholicis liberum Religionis suae exercitium concessum est. Verumtamen Catharina II, quamvis catholicos ritus latini toleraret, Grecos unitos in Lithuania, Volhinia, Podolia, aliisque veteris Poloniae provinciis multimodis divexavit, eorum ritum sub poena exilii proscripsit, ecclesias sacerdotibus schismaticis tradidit, fideles ad frequentanda horum sacra compulit; quo effectum est, ut plura millia catholicorum ritus graeci fallacibus promissis, minis et violentiis cesserint atque ab unitate ad schisma defecerint, plurimi in Siberiam fuerint relegati, multi ad ritum latinum transierint.

73. *Iosephi II innovationes* — Iosephus imperator II, qui abolendo Polonico regno operam contulit, an. 1765 patri suo, Francisco I, in imperio, et an. 1780 matri suae, Mariae Theresiae, in Hungariae et Bohemiae regnis aliisque domus Austriacae statibus successerat. Princeps inquietus, turbulentus et novitatum amans ad innovandam rem ecclesiasticam edicta edictis cumulavit. Vt aliqua e multis commemoremus: liberam episcoporum cum Apostolica Sede relationem impedivit; *placet* regium pro omnibus Bullis, Brevibus aut rescriptis pontificiis praescripsit; episcopis prohibuit, ne deinceps facultates quinquennales a Pontifice peterent, mandans, ut ipsi dispensationes, per eas sibi indultas,

propria auctoritate concederent, eademque auctoritate a casibus, Pontifici reservatis, absolverent; rem matrimonialem propria lege definiens, plura canonica matrimonii impedimenta vel restrinxit vel abrogavit, alia nova constituit, iudiciumque de causis matrimonialibus, ecclesiastico foro ademptum, saeculari tradidit; immunitatem clericorum realem et personalem sustulit; permulta utriusque sexus monasteria suppressit; quamplurima circa bona ecclesiastica, clericorum munera, ordinem divini officii praescripsit; diversas processiones et peregrinationes sacras ac spirituales confraternitates abrogavit; ad formandos clericos seminaria, ab episcopis independentia, erexit, eorumque cathedras neotericis theologis et canonistis tradidit.

Plures quidem episcopi, cardinalis Migazzi archiepiscopus Viennensis, cardinalis Bathiani archiepiscopus Strigoniensis et primas Hungariae, cardinalis de Frankenberg archiepiscopus Mechliniensis, doctores Lovanienses, aliique contra noxias novitates libellos supplices ad imperatorem dederunt. Praelatorum expostulationibus suas addidit Nuntius apostolicus apud aulam Viennensem. Verum Iosephus praelatorum preces et monita sprevit, pluresque eorum dure redarguit.

Pius Pp. VI pluribus litteris Imperatorem ad meliorem mentem revocare frustra conatus, an. 1782 iter Viennam ad Imperatorem suscepit. Imperator Pontificem honorifice excepit. Pastore optimo cum lacrymis expostulante de malis Ecclesiae illatis, Iosephus decreta sua benignius interpretatus est, nonnulla temperavit, multa spopondit, et post familiaria unius mensis colloquia Pontificem honorifice dimisit.

Pius Pp. Viennam petens, illic commorans, et Romam revertens, tot tantisque populorum, catholicorum et acatholicorum, cuiuscumque conditionis, undique confluentium, venerationis et admirationis significationibus honoratus est, ut fidem pene superent. Romam redux, conceptam animo spem cum sacro Cardinalium collegio communicavit. Sed spes non fuit diuturna; Imperator enim, consiliis sophistarum, praesertim ministri sui de Kaunitz, obtemperans, innovationes suas persequi non destitit [1].

[1]) Blanchard, *Précis historique de la vie et du Pontificat de Pie VI*, item, *Histoire civile et religieuse de Pie VI, par un Français catholique romain*; De Gerlache, *Histoire du royaume des Pays-Bas*, Introduction.

74. *Lis de Nuntiaturis Germanicis* (*an.* 1785) — Iosephus II non tantum in suis statibus rem ecclesiasticam perturbavit, sed alios etiam principes ad innovationes, ecclesiarum iuribus, paci et prosperitati adversas, excitavit. In primis fovit protexitque dissidia inter quatuor metropolitanos Germaniae et Apostolicam Sedem exorta de Nuntiaturis. RR. Pontifices inde a temporibus confusionum et turbarum, quas haereses lutherana et calviniana in partibus Germaniae produxerant, nuntios constituere consueverant Coloniae, Bruxellis et Lucernae, instructos certis iuribus et privilegiis. Anno vero 1769 tres electores ecclesiastici, Coloniensis, Moguntinus et Trevirensis metropolitae, imperatori obtulerunt 30 gravamina contra Sedem Apostolicam, postulantes, ut nullae deinceps causae ad eam eiusve Nuntios deferrentur, quin imo nuntiaturae penitus abrogarentur. Cumque an. 1785, postulante Theodoro electore Bavarico, Pius Pp. VI novam nuntiaturam pro eius terris creasset Monachii, iidem tres electores metropolitae et metropolita Salisburgensis novas expostulationes contra Nuntiaturas ad imperatorem detulerunt. Hi quatuor metropolitae erant Maximilianus Coloniensis, frater Iosephi II, qui novitati deditus, in Vniversitate Bonnensi theologicas cathedras neotericis credidit; Fridericus d'Erthal Moguntinus, Maximiliano simillimus; Clemens Saxoniae Trevirensis, vir pius, sed aliorum consiliis excitatus; Hieronymus de Colloredo Salisburgensis, notissimus Instructione pastorali, quam an. 1782 contra Imagines aliosque christianos usus edidit.

Iosephus II, promulgato IV idus octobris 1785 edicto, nuntios apostolicos in Germania omnis iurisdictionis exercitio, quo circa casus ad Apostolicam Sedem spectantes constanter usi fuerant, interdixit, suumque auxilium quatuor praefatis metropolitanis promisit. Hi imperatoris rescriptum clericis suis significarunt, eisque prohibuerunt, ne cum Zolio, archiepiscopo Atheniensi, quem Pius VI Nuntium Monachii crearat, neque cum Bartholomaeo Pacca, archiepiscopo Damiatae et novo apud Coloniam Nuntio, communicarent, nec ullas litteras pontificias sine consensu vicariatus reciperent. Brevi post iidem metropolitae quatuor viros deputarunt ad aquas Emsenses, qui novam pro Germania ecclesiastici regiminis formam componerent.

Congressus Emsensis — Hi quatuor deputati mense augusto 1786 indicato loco con-

venerunt, et 23 articulos confecerunt, quibus pene totus hierarchicus Ecclesiae status, divinitus institutus, servatusque inde a s. Bonifacio in Germania ecclesiastici regiminis ordo convellebatur. In iis enim asserebatur, Christum Apostolis eorumque successoribus episcopis immediate concessisse illimitatam potestatem ligandi et solvendi, pro quocumque casu ac persona; proinde recursum ad Romanam Sedem esse abrogandum; episcopos propria auctoritate dispensare posse in omnibus casibus, quos usus Apostolicae Sedi reservarat, in impedimentis matrimonium dirimentibus, in votis sollemnibus; ideoque facultates quinquennales non amplius a Pontifice esse petendas; dispensationes quascumque ab episcopo ordinario esse concedendas; decreta pontificia sine episcopi consensu nec promulganda nec obligatoria habenda; nuntiaturas penitus abrogandas; abolendas etiam exemptiones monasteriorum, nisi ab imperatore confirmatas; abolendum quoque iuramentum, quod episcopi Pontifici praestant; in pluribus aliis punctis constitutionem ecclesiae Germanicae esse reformandam, vel nationali concilio vel imperiali provisione. Quos articulos quatuor metropolitae ratos habuerunt, et ad Imperatorem, ut eosdem confirmaret, miserunt. Rescripsit Imperator, se quidem ad praestandum eis auxilium esse paratum, sed articulos Emsenses executioni mandari non posse sine praevio consensu episcoporum suffraganeorum, exemptorum, et principum, in quorum territorio eorum dioeceses extendebantur. Iste consensus non fuit impetratus; episcopi suffraganei opinionibus suorum metropolitarum minime consenserunt, et in suis cum Apostolica Sede eiusque Nuntiis relationibus perseverarunt; elector Bavaricus nuntium Monachii conservavit.

Pridie calendas decembris 1786 archiepiscopus Damiatae et apostolicus Nuntius Coloniae, de mandato Pii VI ad omnes trium electoratuum parochos epistolam encyclicam dedit, qua nullas declaravit dispensationes, quas metropolitae in impedimentis matrimonium dirimentibus, propria auctoritate concedebant. Hanc declarationem confirmavit Pius Pp. VI, et temerarios ausus praedictorum metropolitarum graviter redarguit, omniaque, quae ad Apostolicas nuntiaturas spectant, solide et copiose tractavit in responsione ad eosdem metropolitas.

Tunc Clemens Trevirensis et Fridericus Moguntinus se Apostolicae Sedi submiserunt, articulis Emsensibus renunciarunt, et necessarias facultates a Pontifice petierunt. Maximilianus Coloniensis et Hieronymus Salisburgensis diutius in temerariis suis ausibus perstiterunt. Paulo post, tum motibus in Belgio excitatis et morte Iosephi imperatoris, tum generali rerum conflagratione in Galliis coepta, conceptae in congressu Emsensi innovationes evanuerunt. Quinimo iidem ipsi metropolitae electoratibus suis privati, sedibus suis eiecti, et in exilium acti sunt [1]. — Caeterum leges Iosephi II in Ecclesiae perniciem viguerunt in austriaco imperio usque ad annum 1855, quo Ecclesia a servitute ibi est vindicata, celebri illa conventione inter Pium Pp. IX, et Franciscum Iosephum II. Atamen sub tyrannico iugo *liberalium*, in praesenti, multi eiusdem conventionis articuli spernuntur.

75. *Leopoldi innovationes in Hetruria* — Multa etiam in rebus ecclesiasticis innovanda suscepit Leopoldus, magnus dux Hetruriae, fratris sui Iosephi II exemplo et Scipionis Ricci, episcopi Pistoriensis et Pratensis, consiliis excitatus. Is quoque causas matrimoniales litesque de beneficiis ecclesiasticis ad forum civile transtulit, incrementum bonorum ecclesiasticorum cohibuit, confraternitates spirituales sustulit, processiones et divini cultus ac caeremoniarum pompam depressit, multa monasteria suppressit, sublataque exemptione, reliquorum communicationem cum praepositis extraneis dissolvit, alia plura similia constituit. Deinde rem ecclesiasticam amplius reformaturus, an. 1785 synodos dioecesanas in singulis Hetruriae episcopatibus indixit, quae essent velut praeparationes ad futurum concilium nationale, in quo reformatio, a duce intenta, communibus episcoporum suffragiis decerneretur. Articulos 57 continentes res, in quibus reformationem desiderabat, ad singulos episcopos misit, ut de iis in synodis dioecesanis praevie deliberaretur. Articuli isti potissimum spectabant ad cultum divinum publicum, disciplinam clericorum et regimen ecclesiasticum.

Synodus Pistoriens. — Ducis mandato lubens paruit Scipio Ricci, episcopus Pistoriensis, et an. 1786 synodum Pistoriae ha-

[1]) *Responsio SS. Pp. Pii VI ad metropolitanos Moguntinum, Trevirensem, Coloniensem, et Salisburgensem super Nuntiaturis apostolicis*; *Memorie storiche di monsignor Bartolommeo Pacca*; De Feller, *Le vèritable ètat du differend entre le Nonce apostolique de Cologne et les trois électeurs ecclèsiastiques*; item, *Coup d'oeil sur le congrès d'Ems.*

buit, ad quam, de clero suo diffidens, plures extraneos, novitatis genio imbutos, vocavit. Convenerunt cum eo 234 parochi, sacerdotes et theologi. In ea non solum articuli, supra a principe propositi, approbati sunt, sed etiam plura decreta, tum Fidei tum disciplinae Ecclesiae contraria. Inter alia in iis asserebatur, postremis his temporibus veritates religiosas, quae sunt basis fidei christianae et moralis doctrinae, esse generaliter obscuratas ; potestatem a Deo datam esse Ecclesiae, communicandam pastoribus, qui sunt eius ministri; R. Pontificem esse caput ministeriale; episcopum a Christo accepisse omnia iura necessaria pro bono dioecesis suae regimine, eaque, si sibi per contrarias consuetudines, exemptiones, reservationes fuerint subtracta, recuperare debere; parochis in synodo dioecesana idem ac episcopo ius et votum decisivum competere; indulgentiis non nisi poenas canonicas remitti; reservationem casuum conscientiae esse abrogandam ; excommunicationem non habere nisi externum effectum; potestatem statuendi impedimenta matrimonium dirimentia esse apud imperantes civiles, et ex eorum indulgentia Ecclesiam illa hactenus esse usam; liturgiam in lingua vernacula et clara voce celebrandam. Alia plura, Baii, Iansenii, Febronii sententiis conformia, in eiusdem synodi decretis reperiuntur.

Conventus Florentinus (*an.* 1787) — Synodos etiam coëgerunt episcopi Collensis et Aretinus: sed hae strepitum non excitarunt aeque ac Pistoriensis. Caeteri episcopi Hetruriae 57 articulos, a Leopoldo duce propositos, privatim discusserunt, suasque sententias ad eum transmiserunt. Quum vero episcoporum sententiae inter se essent admodum diversae, Leopoldus dux an. 1787 omnes suos episcopos convocavit Florentiam. Convenerunt 3 archiepiscopi et 14 episcopi cum suis consiliariis. Illi in variis congregationibus tum articulos a duce propositos tum decreta Pistoriensia discusserunt ; in paucis consenserunt, in aliis dissenserunt ab invicem; multa diversimode mutarunt, alia reiecerunt. Leopoldus et Ricci spe sua frustrati, conventum dissolverunt; verumtamen conventus acta sub totius synodi nomine, cum sanioris et maioris eius partis contemptu, typis mandarunt, quae Sedes Apostolica in Indicem librorum prohibitorum retulit.

Non obstantibus R. Pontificis reclamationibus, Leopoldus varia pseudo-reformatoria decreta executioni mandabat. Quapropter Pius VI episcopis, a Leopoldo denominatis, canonicam institutionem negavit; hic vero legatum suum Roma avocavit, et nuntium apostolicum iurisdictionis suae exercitio interdixit. An. 1790 Leopoldus in locum fratris sui Iosephi II defuncti ad imperium et gubernacula monarchiae austriacae evocatus, ducatum Hetruriae cessit filio suo Ferdinando. Tunc concordia et pax in Hetruria sensim redierunt. Ricci Pistoria eiectus fuit. Pius VI acta conciliabuli Pistoriensis diligenter discuti iussit, deinde per Bullam sollemnem, *Auctorem fidei*, datam V calendas septembris 1794, ea ipsa acta et excerptas ex iis 85 propositiones, cuiusque indole designata, damnavit. Demum Ricci se episcopatu abdicavit, et anno 1805 Florentiae ad pedes Pii Pp. VII, e Gallia Romam redeuntis, provolutus errores suos detestatus est et Bullae *Auctorem fidei* assensit [1].

76. *Ecclesiae status in Sicilia* — Etiam in utraque Sicilia Tanucci, primarius Ferdinandi regis IV administer, multigenas et diuturnas RR. Pontificibus, Clementi XIII, Clementi XIV et Pio VI, vexationes suscitavit. In primis sub Clemente XIII ea in regione constitutum est, ut tam episcopatus quam caetera beneficia, fundis instructa, quae omnia hactenus a Pontifice conferebantur, in posterum a rege conferrentur. An. 1776 prohibitum est, ne quis concessiones et dispensationes, speciatim in re matrimoniali, a Sede Apostolica peteret, sed omnes eiusmodi dispensationes ab episcopis concederentur. An. 1779 proventus, qui *intercalares* dicuntur, beneficiorum vacantium Pontifici denegati sunt, et constituti administratores laici, qui istos proventus, deductis expensis, inter pauperes distribuerent. Anno 1788 etiam *asturco* et census vasalliticus tradi desierunt.

Pius Pp. VI, tum expostulationibus tum monitis et scriptis iurium suorum defensionibus, regis administros ad aequiorem mentem reducere tentavit, sed frustra. Praeterea episcopis, a rege denominatis, confirmationem negavit ; vice versa rex nominatos a Pontifice admittere noluit; quo factum est, ut progressu temporis ultra 50 episcopatus vacarent. Anno 1786 Pontifex legatis Neapolim missis, dissensiones tollere iterato, sed frustra, tentavit. Tandem an. 1790 cum aula Neapolitana erga Apostolicam Sedem aequiora con-

---

1) *Collectio Brevium Pii VI*;—*Histoire de Pie VI*: Blanchard, *Précis hist. de la vie* etc. *de Pie VI*.

silia admisisset, conventio inter utramque partem inita est, qua statutum, ut loco census vasallitici quivis rex regnum adiens B. Petro offerret 500,000 nummorum scutatorum; concessiones et dispensationes, ut antea, ab Apostolica Sede peterentur; Pontifex minora beneficia conferret, sed solis regi subditis, et ad episcopatus eligeret unum e tribus candidatis, a rege proponendis [1].

77. *Ecclesiae status in Lusitania* — In Lusitania administer de Pombal sub imbecilli rege Iosepho I rerum ecclesiasticarum statum susque deque vertit; varias Congregationes religiosas suppressit; episcopos arbitrio suo subdidit et obsistentes e sedibus pepulit; novarum doctrinarum propagationi favit, earumque magistris cathedras credidit; Apostolicae Sedi in omnibus adversatus est. Anno vero 1777. Iosepho rege mortuo, et de Pombal in exilium eiecto, sub Maria Francisca Elisabetha regina, Iosephi I filia, quae nupsit Petro III, ordo restitutus est, concordia cum Apostolica Sede integrata, nuntio apostolico et patriarchae Olyssiponensi prisca iura et privilegia reddita, pluresque Congregationes religiosae restitutae.

78. *Status rerum in Belgio* — Interea Iosephus Imperator II in Belgio perinde ac in aliis suis statibus, studium innovandi sacra et civica prosequebatur. Illic etiam edicta edictis addidit contra ecclesiasticas libertates et immunitates, contra Ordines religiosos, contra Belgarum iura ac privilegia. Cum vero Belgae patriis usibus et privilegiis, praesertim Religioni catholicae essent addictissimi, imperator suis innovationibus eos graviter offendit, et generales querelas excitavit. Nihilominus Iosephus in male coeptis pergens, postridie idus octobris 1786 decretum dedit, quo, suppressis episcoporum seminariis, pro toto Belgio generale seminarium creavit Lovanii, et episcopis atque monasteriorum superioribus districte prohibuit, ne deinceps quemquam ad Ordines sacros aut vota religiosa admitterent, nisi annis 5 in eo Seminario lectiones frequentasset. Haec res profecto episcoporum iuribus erat opposita; quorum formido iuste aucta est, ex quo cognoverunt professores ad cathedras seminarii generalis nominatos. Vix lectiones calendis decembris 1786 incoeptae erant, quum novae doctrinae, in iis explicatae, omnibus bonis timorem iniecerunt. Ipsi alumni, a magistrorum doctrinis abhorrentes, clamoribus, tumultu, minisque collegium repleverunt. XV calendas ianuarii 1787 tranquillitas militari manu restituta est; sed brevi post plerique alumni seminarium deseruerunt. Calendis eiusdem mensis ianuarii imperator aliud decretum dedit, quo in provinciis Belgicis et iudiciarius et administrativus ordines reformabantur.

Haec omnia non solum praelatorum ecclesiasticorum et statuum reclamationes, sed etiam populares querelas excitarunt. Provinciarum gubernator Muray rem ita componere conatus est, ut restituto prisco ordine, nova decreta suspenderentur. Verum imperator haec temperamenta reprobavit, gubernatorem revocavit et in eius locum misit comitem Trautmansdorf, cui mandata stricta dedit, ut decretorum suorum, maxime de seminario generali, executionem urgeret. Quapropter, non obstantibus cardinalis de Franckenberg, archiepiscopi Mechliniensis, et aliorum praesulum ad imperatorem commentariis, lectiones in seminario generali rursum incoeptae sunt, sed non sine tumultu. Cardinalis de Franckenberg Lovanium profectus, professorum doctrinam, praesertim de auctoritate Ecclesiae et iuribus Apostolicae Sedis, exploravit, eam declaravit non orthodoxam, et una cum episcopis Namurcensi, Antwerpiensi, Iprensi, et Brugensi contestatus est, se alumnos suos ad seminarium istud mittere non posse.

Quum vero Imperator nullam commentariorum et expostulationum praesulum et statuum seu ordinum rationem haberet, Belgae ad publicam resistentiam motusque proruperunt. His perterritus Iosephus, postridie idus augusti 1789, dioecesana seminaria restituit, clericisque haec vel Lovaniense adeundi optionem dedit. Verum serius reparandi mala consilium iniit. Belgae Iosephum imperandi sibi iure dilapsum declararunt, arma capessiverunt; status publici Bruxellis congregati sunt, et caesarei milites atque gubernatores provincias deserere coacti.

Eodem tempore Hungari, Lombardi et Tirolenses ad motus proruperunt. Turcae etiam bellum instaurarunt. Iosephus II ad angustias redactus, intercessum communis fidelium patris, Pii VI, cui tot antea molestias suscitarat, implorare coactus est. Pontifex iniuriarum immemor, X calendas februarii 1790 litteras dedit ad praelatos Belgii [1]. At inter bellorum strepitus vox patris ad excitatus

[1]) *Histoire de Pie VI*; Blanchard, loc. cit.

[1]) *Collect. Brevium*, in append. part. III.

Belgarum animos non penetravit. Paulo post, nempe X calendas martii, Iosephus II moerore confectus obiit. Ei successit Leopoldus II, frater eius, antea dux Hetruriae; qui pacem cum Turcis composuit, multa a fratre suo innovata correxit, et Belgas, iam inter se dissociatos, ad obsequium reduxit; sed calendis martii 1792 vita excessit. Hunc excepit Franciscus II, filius eius, sub quo seditiosi Franci provincias Belgicas occuparunt [1].

79. *Status rerum in Gallia* — In Gallia respublica ecclesiastica et civilis ad tristem statum erat redacta. Ludovico regi XV, an. 1774 defuncto, successit Ludovicus XVI, princeps optimus et melioribus temporibus dignus, qui toto regni sui tempore cum tempestatibus luctatus est ea moderatione, quae plerisque modum excedere visa est. Funestos suppressionis Societatis Iesu in Gallia exitus iam praesentiebant quique probi et religiosi; iuventus enim, quae antea in collegiis Iesuitarum christianis principiis et moribus, simul ac litteris bonisque artibus et disciplinis instituebatur, nunc commissa fuit praeceptoribus mercenariis et sophistis. Impietatis genius magis magisque propagabatur, societates secretae multiplicabantur, scripta irreligiosa disseminabantur. Clerus an. 1775 Parisiis consueta comitia celebrans, supplex monitorium regi obtulit contra impietatis progressus eiusque funestos tum Societati tum Religioni effectus; sed quum rex circumdatus esset a ministris, novis doctrinis magis quam Religioni deditis, cleri precibus annuere non potuit. Tunc clerus Instructionem dedit encyclicam ad omnes fideles, in qua salutares Religionis fructus et funestos impietatis effectus exposuit; eos, qui ab avita et divina hac Religione deflexerant, ad cordis conversionem, alios ad perseverantiam hortatus est. Praeterea varia incredulorum scripta proscripsit. An. 1780 Clerus rursus in comitiis de impediendis impiorum progressibus egit, novaque monita ad regem dedit, in quibus querebatur de licentia, qua perversa scripta propagabantur, de adempta episcopis celebrandi synodos libertate, de suppressione plurium Coenobiorum, de imminenti regiminis et Religionis subversione. Verum perversi consiliarii expostulationes Cleri ceu vanos timores habendos esse regi suaserunt.

Interim non religiosae tantum, sed etiam civilis libertatis genius, licentiae amor, novique regiminis cupido diversas hominum classes invaserant. Non solum religiosa pietas in multorum animis refriguerat, sed etiam hierarchicus regiminis publici ordo, unio et vincula magis magisque dissolvebantur. Tandem generalis rerum conflagratio, a multo iam tempore praeparata, erupit. Ab ea, quae malorum et calamitatum fuit feracissima, novam et ultimam Epocham auspicamur [1].

[1]) De Feller, *Recueil des représentations, protestations et réclamations*, 8 vol. in-8°; de Gerlache, *Histoire du royaume des Pays-Bas*, Introd.

[1]) De Saint-Victor, *Tableau hist. de Paris*, t. IV, part. 2; De la Mennais, *Reflexions sur l' ètat de l'Église pendant le XVIII siècle.*

HISTORIAE ECCLESIASTICAE

EPOCHA DECIMATERTIA

A PVBLICA RERVM IN GALLIIS SVBVERSIONE VSQVE AD PRAESENTEM AETATEM

PROOEMIVM

Narranda nunc est generalis rerum conflagratio, quae an. 1789 in Galliis orta, velut virga furoris Domini, propter populorum et principum peccata excitati universam Europam percussit. Tanta sub epochae huius initia tempestas contra Ecclesiam et societatem excitata est, ut saevior post hominum memoriam vix nota sit. Impietas sub specioso philosophiae nomine quaquaversum palmites suos extendit, depressoque Religionis imperio, disruptis societatis vinculis, laxatis licentiae habenis, longe lateque dominata est; respublica sacra et civilis persecutionibus saevis cruentata, factionibus sibi invicem infensis quassata, bellis teterrimis concussa. Tales fuerunt diabolicae philosophiae luctuosissima damna. Non tantum in Gallia, sed qua late anarchiae Francicae auctores et fautores victricia arma protulerunt, Religio fuit proscripta; ministri eius carceribus mancipati, necati vel in exilium eiecti; Ordines religiosi suppressi, eorumque bona nationi adiudicata; dies festi abrogati; veri Numinis cultus abolitus; sacrum humanae redemptionis signum deiectum; altaria eversa; templa spoliata, destructa, impio cultu profanata; ipse Christi in terris Vicarius, Pius Pp. VI, in se suisque Cardinalibus, praelatis et subditis, saturatus opprobriis, sede sua avulsus, in Hetruriam, deinde in Galliam abductus. Vno verbo, tanta tempestas in Ecclesiam saeviit, totque procellis navicula Petri fuit agitata, ut iam impii triumphos agerent, et Pium VI Paparum ultimum esse laetabundi occinerent.

Verum cum periculum ingravesceret, et iam mergenda videretur navicula, opem tulit qui semper Ecclesiae adest, Christus Dominus, increpatisque ventis, motos composuit fluctus. Pius VI in exilio moritur; sed Gallorum exercitu a Russis et Austriacis Italia eiecto, Pius VII cathedram Petri conscendit; ordo publicus in ipsa Gallia redit; Religionis exercitia restituuntur: mala Ecclesiae illata reparantur.

Attamen idem princeps, qui in Gallia restituendo Religionis exercitio operam contulerat, ut populi animos et summum imperium sibi conciliaret, firmato suo principatu, Ecclesiam eiusque Pontificem opprimere et vexare coepit; conventiones cum Apostolica Sede initas, arbitrariis interpretationibus violavit; leges Evangelii praeceptis oppositas sancivit; novis continuo immodicis et captiosis petitionibus Pontificem lacessivit; pontificiae ditionis civitates, ipsam Romam, occupavit; patrimonium R. Ecclesiae imperio Francico adiunxit; Pontificem his iniustitiis, ut muneris sui erat, resistentem, in Galliam captivum abduxit, et per lustrum integrum multigenis modis divexavit.

Quum sic rursum, Pontifice captivo, Cardinalibus dispersis, episcopis, qui pro domo Dei stabant firmi, eiectis, Ecclesia periclitaretur, adiutrix Dei providentia coronam de capite persecutoris deiecit. Pontifex libertate donatus, ingenti cum plausu et veluti universi orbis christiani manibus portatus, Romam rediit, et perturbatum Ecclesiarum statum composuit.

1. *Comitia generalia in Gallia* (*an.* 1789) — Ludovicus XVI, rex Galliae, contrariis sibi curiarum et congregatorum procerum studiis lacessitus, demum an. 1788 consensit, ut generales regni status seu comitia Versaliis congregarentur ad sublevandas publicas indigentias, seu componendas publicae oeconomiae rationes. Magni inde per provincias

motus excitati sunt in eligendis iis, qui ad comitia legarentur, magnique inter clerum, nobiles et tertium ordinem conflictus. Comitia inchoata sunt III nonas maii 1789. Convenerant e clero 47 episcopi, 35 abbates aut canonici, 208 parochi, ex ordine nobili 270 viri, et e tertio ordine 598. Ordo tertius iampridem contra cleri et nobilium Ordines excitatus, partes suas in eorum detrimentum augere studuit. In nobilium ordine non pauci erant pseudosophiae et innovationibus dediti. E clero etiam, praesertim secundi ordinis, plures, aut iansenianis principiis imbuti aut promissis fucatis decepti vel ambitionis vel novitatis animo excitati, ad comitia properarunt. Vnde coetus huius noxios effectus praesagiebant quique prudentiores.

Tertii Ordinis delegati, qui duos reliquos ordines numero superabant, brevi post effecerunt, ut comitia, sublatis Ordinum distinctione et privilegiis, in congregationem nationalem commutarentur, in qua decreta votorum pluralitate conderentur. Tunc sublata civium distinctione et abolitis cunctis privilegiis, decretum est, communem omnibus et singulis esse libertatem et iurium aequalitatem, summum autem ius esse apud nationem, cuius nomine se congregatos dicebant. Mox seditiosas rebellium in congregatione nationali orationes secuti sunt seditiosi in urbibus moti. Rebellionis signum datum est Parisiis, ubi varia loca a tumultuante plebe occupata sunt, domus depraedatae, nonnulli magistratus et milites occisi. Pridie nonas octobris seditiosi, congregationis nationalis patrocinio freti et consiliis excitati, necatis palatii regii custodibus, Ludovicum XVI Versaliis abduxerunt Parisios, quo etiam congregatio nationalis se transtulit. Eodem tempore in provinciis seditionis motus contra legitimam auctoritatem instaurati sunt.

Interim sic dicti nationis deputati, probioribus inde discedentibus, tum contra regiam auctoritatem tum contra Religionem decreta iniqua promulgabant. Cultuum libertas et omnibus sine Religionis discrimine eadem iura civilia ac politica fuerunt declarata, decimae abolitae, omnia bona ecclesiastica nationi adiudicata, magnaque ex parte vendita, omnes in toto Francorum territorio Ordines religiosi suppressi, vota monastica, veluti nativae libertati contraria, reprobata, religiosi utriusque sexus e coenobiis pulsi, eorumque bona nationi addicta. Contra quae aliaque decreta plures quidem deputati, praesertim ex episcopis, reclamarunt, at seditiosi et numero et audacia praevalebant.

2. *Constitutio Cleri* (*an.* 1790) — Eadem ratione an. 1790 decreta est sic dicta *Constitutio civilis Cleri*, quae ecclesiae Gallicanae cum Romana communio rumpebatur, illaque in tetrum schisma coniiciebatur. Ista constitutione, destructis 135 sedibus episcopalibus, quae in Gallia erant, secundum praefecturarum numerum et circumscriptionem novae 85 episcopales sedes, inter quas 10 metropolitanae, creabantur; declarabantur hae sedes ab omni auctoritate extranea independentes; ecclesiae cathedrales, suppressis Capitulis et beneficiis, commutabantur in paroecias, quibus praeessent episcopi cum certo vicariorum numero; praescribebatur nova parochiarum circumscriptio; episcoporum et parochorum electiones committebantur iis ipsis, quibus ius erat eligendi magistratus civiles, eademque ac pro his praescribebatur electionis forma; episcoporum electorum confirmatio seu institutio postulanda erat a metropolita vel seniore episcopo. Vacante sede episcopali, iurisdictio deferebatur primario vicario episcopali; parochis ius fiebat eligendi suos vicarios e presbyteris dioeceseos sine ulla episcoporum approbatione; episcopi electi ante suam consecrationem iureiurando promittere cogebantur fidem nationi et legi, et adhaesionem ad Constitutionem a congregatione nationali decretam et a rege acceptatam; idem iuramentum praescribebatur parochis electis. Alia plura, tum doctrinae tum disciplinae Ecclesiae contraria in eadem Constitutione statuebantur. Ludovicus XVI, quamvis invitus, IX calendas septembris 1790 Constitutionem civilem cleri approbavit; et congregatio nationalis V calendas decembris decrevit, ut omnes episcopi, parochi et presbyteri intra statos dies supra memoratum iuramentum, sic dictum civicum, praestarent vel a muneribus suis abstinerent; qui vero contra facerent, tanquam perturbatores status publici punirentur, iuribusque civilibus privarentur. Ex 290 ecclesiasticis viris, qui in congregatione nationali sedebant, circiter 70, inter quos duo episcopi, Talleyrand Augustodunensis, et Gobel Lyddensis *in partibus*, iuramentum civicum praestiterunt; caeteri, non obstantibus saevis clamoribus et minis, praefatum iuramentum praestare recusarunt. Horum exemplum secuti sunt episcopi in provinciis, et e 135 episcopis Galliae tantum 4 constitutioni civili adhaeserunt,

nimirum Cardinalis de Lomenie de Brienne, archiepiscopus Senonensis; de Savines episcopus Vivariensis; Iarente Aurelianensis, et supra dictus Talleyrand Augustodunensis. E clero secundi ordinis multi quidem iuramentum praestiterunt, sed multo plures, imo maxima pars, ab eo abstinuerunt.

3. *Constitutionalium schisma* — Interim ecclesiarum status secundum novam constitutionem formatus est; episcopi et parochi non iurati, ut vocabantur, sacris functionibus interdicti variisque iniuriis et violentiis, quae erant cruentissimae persecutionis praeludia, affecti sunt, et in eorum locum alii secundum praescriptas in nova constitutione formas electi, ideoque Constitutionales dicti. Ad novas sedes episcopales prae aliis electi sunt ii presbyteri, qui sive in congregatione nationali, sive in provinciis ardentiores constitutionis et novi regiminis fautores se praebuerant. Primos ex his pseudo-episcopis VIII calendas februarii 1791 consecrare ausus est Talleyrand, episcopus Augustodunensis, assistentibus Miraudot Babyloniensi et Gobel Lyddensi, episcopis *in partibus*. Illi deinde aliis sacrilegas manus imposuerunt. Ita eiectis ubique legitimis pastoribus, dominicum gregem lupi invaserunt.

Pius Pp. VI, auditis iis, quae in Gallia contra Religionem attentabantur, XIII calendas aprilis 1790 Cardinales in secreto consistorio allocutus est, eisque dolorem suum ex perturbato ecclesiarum in Galliis statu, occupatis ecclesiasticis bonis, depraedatis ecclesiis, suppressis monasteriis, calcatis Apostolicae Sedis iuribus conceptum significavit. Litteras scripsit tum ad Ludovicum regem XVI tum ad praesules Gallos, in quibus amare questus est de congregationis nationalis decretis et actis, eosque ad constantiam, ad defendenda Ecclesiae iura et ad legitime certandum pro domo Dei hortatus est. Idibus aprilis 1791 alias litteras dedit ad cardinales, archiepiscopos, episcopos, capitula, clerum et populum Galliarum, in quibus novam cleri Constitutionem declaravit « ex principiis coalescere ab haeresi profectis, adeoque in pluribus decretis haereticam esse et catholico dogmati adversantem, in aliis vero sacrilegam, schismaticam, iura primatus et Ecclesiae evertentem, disciplinae cum veteri tum novae contrariam, non alio denique consilio excogitatam atque vulgatam nisi ad catholicam Religionem prorsus abolendam ». Electiones episcoporum constitutionalium declaravit illegittimas, sacrilegas et prorsus nullas, eorumque consecrationes omnino illicitas et sacrilegas. Consecratos omni ecclesiastica et spirituali iurisdictione carere, eosque et eorum consecratores ac omnes, qui in execrandis consecrationibus opem et consilium praestiterant, ab omni episcopalis sacerdotalis vel alterius ordinis exercitio suspensos pronuntiavit. Mandavit etiam omnibus, cuiusvis ordinis aut conditionis, ecclesiasticis viris, qui iuramentum civicum, a congregatione nationali praescriptum, emiserant, ut illud intra 40 dies retractarent, secus a cuiuscumque ordinis exercitio essent suspensi, et irregularitati obnoxii, si ordines exercuissent.

Post hanc Apostolicae Sedis sententiam multi, qui iuramentum civicum emiserant, ad meliorem mentem reversi sunt: sed maior pars constitutionalium episcoporum et parochorum in schismate perstitit. Pius VI hoc et sequenti anno plures ad episcopos Galliae litteras scripsit, quibus eos facultatibus pro circumstantiis temporum et locorum necessariis instruxit, et ad propositas ab eisdem quaestiones respondit. XIV calendas aprilis 1792 novas litteras monitorias ad universum clerum et populum Galliae dedit, quibus 60 dies pro secunda et alios 60 pro tertia monitione assignavit episcopis consecratoribus et adsistentibus, pseudo-episcopis consecratis ac intrusis, eorumque vicariis, episcopis iuratis, parochis intrusis, vicariis caeterisque presbyteris ac episcopis intrusis delegatis in regno Galliarum. Eiusdem tenoris litteras dedit pridie nonas aprilis ad episcopos insulae Corsicae, in quam etiam civilis Constitutio cleri fuerat invecta. XIII calendas maias, novas litteras commonitorias scripsit ad clerum et populum civitatis Avenionensis et comitatus Venaisini, quem uti et Avenionem exercitus Francorum occuparat, et congregatio nationalis, postridie idus septembris 1791, ab auctoritate Sedis Apostolicae avulsum territorio Francico adiunxerat. Praeterea Pontifex epistolas encyclicas scripsit ad omnes episcopos suae ditionis, item ad antistites caeterosque praelatos et ad totum clerum Germaniae, eorum liberalitati et hospitalitati commendans ecclesiasticos viros, qui propter infelicem rerum in Galliis conflagrationem ecclesias suas, domicilia, bona derelinquere et emigrare fuerant coacti: VII calendas februarii 1793 epistola encyclica praescripsit generalem normam per Statum pontificium observandam quoad

ecclesiasticos saeculares et regulares, qui e Gallia in eum emigrarant [1].

4. *Anarchia in Galliis* — Congregatio nationalis pridie calendas octobris 1791 e constitutiva in legislativam mutata, deteriora tum contra auctoritatem regiam tum contra Religionem decrevit; Ludovicum XVI, omnibus iuribus suis et privilegiis orbatum, una cum regina, infantibus et sorore custodiae mancipavit et continuis opprobriis saturavit; sacerdotes, qui praescriptum iuramentum praestare recusabant, iam antea persecutioni obnoxios, deportari iussit. In multis civitatibus sacerdotes comprehensi, in carceres coniecti, deinde interfecti sunt. Parisiis mense septembris 1792 prope 300 sacerdotes et 3 episcopi in carcere necati fuerunt. Meldis etiam, Lugduni, aliisque in civitatibus caedes sacerdotum a iureiurando abhorrentium perpetratae sunt.

Solutae XI calendas octobris 1792 congregationi legislativae successit sic dictus *Conventus nationalis*. Hic scelestorum hominum coetus potestatem regiam abolevit, et pro toto territorio Francico rempublicam proclamavit; Ludovicum XVI in ius vocatum capitis damnavit; quae sententia XII calendas februarii 1793 executioni mandata fuit. Eamdem sortem subierunt Maria Antonia regina et Elisabetha regis soror. Regis necem secuta est teterrima anarchia, factionibus non minus in mutuam suarum ipsarum, quam in Religionis destructionem intentis: caeteris praevalebat impia et sanguinolenta factio *Terroristarum*, quae antiquo regimini aut familiae regiae deditos vel suspectos vel prout tales accusatos in carcerem coniiciebat, atque necabat. Episcopi et presbyteri *anticonstitutionales*, ubique conquisiti, carceribus mancipati, deportati et magno numero interfecti ea crudelitate, quae ab ipsis populis barbaris abest. In ipsas moniales tyrannica manus desaeviit; Parisiis 17 carmelitae, e coenobio Compendiensi, et Aurasiae 28 moniales, e diversis coenobiis, necatae sunt, quae omnes pari ac sacerdotes christiana constantia supplicia subierunt. Quum saeviente persecutione, sacerdotes latebras quaererent, clam sacra peragerent et populo fideli sacramenta ministrarent, persecutores paulatim ab illorum caedibus abstinere coeperunt, promissaque licentia emigrandi, clericos e latebris elicuerunt, sed dum hi litteras ad iter faciendum necessarias petebant, vel comprehensi et in carceres coniecti sunt, vel litterae eis datae, certo signo instructae, quod sicariis ad regni limites constitutis innuebant, eos esse spoliandos aut enecandos; qui vero publica cura in terras alienas deportabantur, pessime habiti, variisque modis cruciati sunt [1].

5. *Religionis eversio in Gallia*. — Anno autem 1793 conventus nationalis omnem Religionem in toto territorio Francico proscripsit. Ipsis episcopis et clericis constitutionalibus, seu qui iuramentum civicum praestiterant, imperatum est, ut Religionem abiurarent, populumque hactenus a se deceptum fuisse confiterentur. Reipsa complures eorum animi ita abiecti erant, ut in conventu nationali palam contestarentur, se falsam Religionem docuisse, munerisque ecclesiastici vestimenta et instrumenta a se proiicerent. Alii eadem instrumenta suaeque ordinationis litteras ad conventum miserunt in signum abiuratae Religionis christianae. Aliqui publice coniugia contraxerunt. Tunc templa passim direpta, profanata, vasa sacra ablata et turpiter inquinata sunt. Parisiis asinus mitra episcopali aliisque vestimentis sacris indutus a plebe, vasa sacra ex ecclesiis ablata gestante, primo in conventum nationalem, his flagitiis applaudentem, deinde per urbis plateas ductus est. Similia Lugduni patrata sunt, turpiusque Weissenburgi in Alsatia, ubi post asinorum vestimentis sacris contectorum, et Iacobinorum albis, rochetis, aliisque vestibus sacris indutorum processionem, omnia Biblia, missalia, libri precum, rosaria, imagines Christi, quotquot inveniri potuerant, in rogum in foro extructum coniecta sunt. Quin imo, ut ipsa Religionis christianae memoria, si fieri posset, deleretur, iussu conventus nationalis aera christiana abrogata fuit eique substituta aera reipublicae; novum calendarium introductum, in quo non tantum nullum christianorum festorum vestigium, sed etiam in locum hebdomadarum decades positae erant; diei decimae celebratio tam severe praescripta, quam dominicae celebratio prohibita.

Sic proscriptis omnibus Religionis chri-

---

[1]) *Collect. Brevium Pii VI*; *Histoire abrégée de la Constitution civile du clergé de France*; *Réflexions sur l'état de l'Église en France pendant le XVIII siècle.*

[1]) Proyart, *Louis XVI détroné avant d'être roi*, item *Mémoires particulières formant l'histoire complète de la famille royale*, 1817, in-8°; Carron, *Les confesseurs de la foi dans l'église Gallicane*; Guillon, *Les martyres de la foi.*

stianae vestigiis, substitutus fuit cultus sic dictus *Rationis*, per statuam vel mulierem prostitutam repraesentatae. Parisiis actrix quaedam scenica, infamis meretrix, in splendido curru, crucifixo pedibus eius substrato, per urbis plateas circumvecta, tandem in ecclesiam cathedralem ducta, tanquam Rationis, unici Gallorum numinis, symbolum, in altare posita fuit, et in eius honorem thus concrematum hymnique decantati. Abhinc templa multa per universam Galliam in cultum Rationis mutata, alia vendita aut diruta sunt. Magnificum autem templum, Parisiis s. Genovephae honoribus dedicatum, iam an. 1791 in pantheon conversum fuerat, in quo Voltairii, Mirabautii, Rousseauvii, aliorumque huius generis virorum cadavera recondita sunt.

Vniversim iam crimen erat, quod carceris saepiusque mortis poena mulctabatur, si quis novum nationis cultum eiusve festa fastidire videretur, aut levissimum signum Religionis christianae ederet, haberetque. Hinc homines religiosi non nisi in locis abditis Deum colere aut sacris interesse audebant; sacras imagines, libellos precum, aliasque huiusmodi res sollicite abscondere cogebantur.

Tandem, quum terroristarum regimen ad summum apicem pervenisset, saevus Robespierre, eorum coryphaeus, a collegis suis desertus, ab omnibus despectus, VI calendas augusti 1794 securi, qua antea tot capita abstulerat, percussus interiit. Cum eo plures alii, crudelitatis eius complices, suppliciis affecti sunt. Tunc conventus nationalis a cruenta tyrannide abstinere visus est; multi e carceribus dimissi sunt; viri ecclesiastici a metu respirarunt; multi, qui terroris tempore lapsi fuerant, ad cordis conversionem redierunt; templa non alienata, religioso cultui reddita sunt; sacerdotibus in iis divina celebrare indultum, modo reipublicae legibus obedientiam profiterentur. At IV calendas octobris 1795 novum iuramentum de summo nationis iure sub poena carceris et exilii ecclesiasticis viris imperatum est et persecutio instaurata, donec pridie nonas novembris eiusdem anni novum regimen, quod *Directorium* dicitur, institutum fuit cum duobus conciliis seu cameris, quarum una *quingentorum*, altera *seniorum* dicta est.

Tunc quaedam ordinis species apparuit. E diversis locis supplicationes utrique concilio oblatae sunt, quibus liberum Religionis exercitium, sacerdotum in carceribus gementium libertas, et deportatorum revocatio petebantur. In utroque concilio oratores plures easdem libertates defenderunt. Lex deportationis, a gubernii directoribus contra sacerdotes *non-iuratos* proposita, reiecta fuit. Verumtamen directores sacerdotibus mille vexationes suscitabant. Mense augusto 1797 ab utroque concilio decretum sancitum est, quo leges poenales, contra sacerdotes *non-iuratos* latae, revocabantur. Sed Directorium ad violentias prorupit, decretum utriusque concilii reiecit, legem deportationis, IV calendas octobris 1795 contra sacerdotes *non-iuratos* latam, restituit, novumque iuramentum, nempe odii in regiam maiestatem praescripsit [1].

Abhinc per omnem Galliam et per Belgii atque Italiae provincias, armis Francorum subactas, sacerdotes ad praestandum iuramentum odii compulsi sunt, et persecutio in recusantes instaurata. Multi, sive metu sive aliis praetextibus moti, illud praestiterunt, alii potius fugam et latebras quaerere, deportationem et carcerem subire elegerunt, quam iniquum emittere iuramentum. Hi undique conquisiti sunt, multique in carceres coniecti aut in diversas insulas deportati, in quibus plures perierunt [2].

Praedictum iuramentum odii deplorandam divisionem in clero excitavit, aliis illud tanquam sacrilegum facinus detestantibus, aliis id salva conscientia emitti posse contendentibus. Cardinalium congregatio pro expediendis negotiis, ad praesentem ecclesiarum in Galliis crisin spectantibus, de Pii VI mandato litem discussit, et communi iudicio censuit, istud iuramentum divinae legi repugnare; sed priusquam sententiam suam cum Pontifice communicasset, hic X calendas martii 1798 a Francis a Sede sua avulsus, in Hetruriam abductus est. Verumtamen ubi Pontifex iam in Hetruriam profecturus, per episcopum Isauriensem de Pedro, praefatae congregationis secretarium, sententiam cognovit, edixit, iuramentum istud esse prorsus illicitum, et laudato episcopo Isauriensi, quem suum in Vrbe vicarium instituerat, mandavit, ut S. Sedis iudicium occasione data propalaret. Secundum hanc sibi a Pontifice specialiter de-

---

[1]) Iuramenti formula haec erat: « Ego sacramentum odii in regiam maiestatem et anarchiam profiteor, simulque voveo obsequium et fidem in rempublicam et in Constitutionem anni III ».

[2]) Carron et Guillon, loc. cit.; G. J. Jauffret, *Mémoires pour servir à l'histoire de la religion et de la philosophie à la fin du XVIII siècle*; item, *Tableau de la France sous le Directoire.*

legatam auctoritatem, Isauriensis episcopus VIII calendas octobris 1798 ad dubia, ab episcopo Grassensi proposita, respondit, ab Apostolica Sede declaratum fuisse, non licere praefatum iuramentum emittere, eosque, qui illud emiserant, ad idem retractandum teneri. Quum Pius VI, Florentiam abductus, audivisset, praedictum iuramentum professoribus Romanae Vniversitatis fuisse imperatum, XVII calendas februarii 1799 epistolam scripsit ad Octavium Boni, archiepiscopum Nazianzenum, in officio vices gerentis Romae eiusque districtus delectum, cui ob oculos posuit decisionem, qua iam antea illud iuramentum illicitum declararat, dixitque solum admitti posse hanc formulam: « Ego N iuro me partem non habiturum in quacumque coniuratione, conspiratione et seditione pro restituenda monarchia, et contra rempublicam quae nunc imperat; odium anarchiae, fidelitatem atque adhesionem reipublicae et constitutioni, salva de caetero Religione catholica ». Quum his non obstantibus, professores collegii Romani et Sapientiae iuramentum odii emisissent cum verbali declaratione coram magistratu, ad eorum iuramentum recipiendum delegato; idque archiepiscopus Nazianzenus data instructione probasset; Pius VI ad eum III calendas februarii 1799 alteram dedit epistolam, qua de eorum agendi ratione et contemptis s. Sedis sententiis graviter expostulavit, iuramentum pure et simpliciter, quamvis cum verbali declaratione, praestitum reprobavit, et archiepiscopum Nazianzenum ad revocandam suam instructionem et ad publicandum s. Sedis de praesenti negotio iudicium, supra in epistola XVII calendas februarii 1799 relatum, coëgit. Archiepiscopus Nazianzenus in omnibus Pontifici fecit satis [1].

6. *Franci occupant Belgium et Italiam* — Porro in generali rerum publicarum in Galliis conflagratione multi, praesertim Lugdunenses, arma pro regis causa sumpserant, sed propriis viribus derelicti, an. 1792 succubuerunt, et terribilem rebellium ultionem experti sunt. Magno ardore et dexteritate pro causa regia certarunt sic dicti Vendeenses, qui an. 1792 et sequentibus maiori saepe seditiosis terrori fuerunt, quam totius Europae foedus. Deinde cernentes, se publicum regni bonum defecti auxilii procurare non posse, pacto inito, consuluerunt proprio. Interea Franci iam anno 1792 irruerunt in Belgium, et maiorem eius partem occuparunt; sed sequenti vere repulsi sunt. Eodem anno contra eos ictum est foedus inter Austriacos, Borussos, caeteros imperii principes, Anglos, Batavos, Hispanos, Lusitanos, Siculos et Sardos; quod tamen propter contraria confoederatorum studia stabilitatem non habuit. Anno 1794 Franci rursus in Belgio foederatos aggressi sunt; in campis Cameracensibus et Tornacensibus victi, sed ad pagum Fleurus in comitatu Namurcensi victores, reliquum Belgium rapido cursu subiugarunt. Subsecuta durissima hieme, penetrarunt in Hollandiam, cui, exauctorato principe Arausicano, democratici regiminis formam dederunt; nonnullas illius territorii partes retinuerunt, quae una cum Belgio universo et principatu Leodiensi anno 1795 reipublicae Francicae fuerunt adiunctae. Eodem anno Franci superato Rheno, in Germania non semel victi sunt a fortissimo comite de-Clerfayt; quo initio anni sequentis ab imperio exercitus amoto, aliquandiu victores fuerunt; deinde a Carolo archiduce pluries superati, Rhenum traiicere coacti sunt.

Directorium autem VIII calendas decembris 1795 provincias Belgii omnibus reipublicae legibus subiectas declaravit. Confestim regiminis forma ibi ac in Gallia fuit formata, nobilium ordo abrogatus, Ordines religiosi suppressi, monasteria et templa depraedata, nonnulla impio Rationis cultu profanata, bona ecclesiastica divendita, iuramentum odii ecclesiasticis viris imperatum, sacerdotes, qui illicitum iuramentum praestare nolebant, vel deportati vel ad latebras quaerendas coacti, ecclesiasticus status tristem in modum perturbatus.

Eodem tempore Franci, duce Bonaparte, in Italia quaquaversum victricia arma proferebant. Bonaparte regem Sardiniae aliosque principes Italos ad ineundam cum republica Francica pacem coëgit; superatis copiis austriacis Mediolanum, Mantuam, aliasque civitates subegit; plures etiam pontificiae ditionis civitates occupavit; Pontifici pacem promisit, modo hic 21,000,000 francorum, legationes Bononiensem et Ferrariensem, arcem Anconitanam, et pretiosiora antiquae artis monumenta atque manuscripta gubernio Francico traderet. Pius VI e cardinalium consilio ad faciendum satis conditionibus istis, utut durissimis, erat paratus; sed Directorium conditiones pacis confirmare noluit, nisi Pontifex quaecumque in causa civilis constitutionis

[1] *Collectio Brevium Pii VI*, part. II.

cleri et schismaticorum constitutionalium decreverat, palam retractaret. Quum Pius VI pro muneris sui officio huiusmodi pacto assentiri non posset, Bonaparte occupavit marchionatum Anconitanum et ducatum Vrbinatensem; spoliatoque sacrario Lauretano, penetravit Tolentinum usque. Hic, Austriacos a tergo eius castra moventes metuens, XI calendas martias 1797 pacem cum Pontifice signavit, qua Francis cedebantur ultra 30,000,000 francorum et multa artis monumenta ac manuscripta pretiosissima, ditio Avenionensis, iam dudum ab istis iniuste occupata, et legationes Bononiensis, Ferrariensis et Ravennatensis. Eodem anno XVI calendas novembris Bonaparte pacem signavit cum Austriacis, qua Belgium et nonnulli portus atque insulae Venetorum reipublicae Francicae, reliquum Venetorum dominium Austriacis cesserunt; Lombardia conversa est in rempublicam, cui nomen Cisalpinae inditum; ex ditionibus vero, Pontifici subtractis aliisque ultra Eridanum sitis, formata est respublica Cispadana. Quo facto, Bonaparte ex Italia evocatus, an. 1798 suscepit expeditionem transmarinam.

7. *Pius VI Roma abducitur* (*an.* 1798) — Verum imperfectus fuisset impiorum triumphus, nisi ipsum Papam currui sui alligassent. Directorium sub praetextu sedandorum in Vrbe Roma motuum, quos ipsummet per emissarios suos excitabat, belliduci Berthier mandavit, ut Vrbem occuparet, et Pontificem exauctoratum in Hetruriam abduceret. III idus februarii 1798 Berthier armata manu Romam occupavit. XV calendas martii, qui erat anniversarius dies exaltationis Pii VI, calvinista Haller ad Pontificem detulit decretum, quo regno seu statibus suis orbatus et exauctoratus declarabatur. Mox rapax manus missa est in omnia Pontificis mobilia, respublica proclamata, magistratus pontificii deiecti, cardinales aut dispersi aut custodiae mancipati, Pontifex ipse opprobriis saturatus, X calendas martias violenta ratione e palatio suo raptus et in Hetruriam abductus fuit. Quum venerabilis senex aliquantulum Senis, quo V calendas martii pervenit, substitisset, translatus est in Carthusiam prope Florentiam. Eum mox adierunt Ferdinandus, magnus dux Hetruriae, rex atque regina Sardiniae, et archiepiscopus Toletanus, regis Hispaniae orator, qui principis sui iussu Pontificem secutus fuerat, ut quomodocumque posset, aerumnas eius levaret. Litteris etiam humanissimis Francisci imperatoris II, Ludovici XVIII christianissimi regis extorris, et Pauli I imperatoris Russorum recreatus fuit. Multi fideles e diversis locis amoris et reverentiae tributum captivo pependerunt, oblatis copiosis subsidiis. Episcoporum item observantissimae epistolae undique confluebant, quibus Pontifex respondit, moestos afflictosque consolando, alios ob zelum et sacerdotalem fortitudinem laudando, aliorum dubia solvendo, omnes denique, ut in officio starent, viriliter verbo et exemplo hortando.

Impiorum furor in summum Ecclesiae pastorem nondum erat completus; VI calendas aprilis 1799 venerabilem senem, viribus doloribusque fractum, et supplicantem, ut sibi in Carthusia quiete mori concederetur, inde rapuerunt, et coniectum in vehiculum, per aërem inclementem viasque difficiles et montosas asportarunt in Galliam usque Valentiam in Delphinatu, ulteriora molituri, nisi providus Deus optimum Pontificem ad se evocasset [1].

8. *Theophilanthroporum secta* — Irreligione una cum anarchia in Galliis dominante, scriptoribus aliis atheismum, aliis deismum propugnantibus, Parisiis 5 patres-familias novam consociationem religiosam, quae Theophilanthroporum dicta est, constituerunt. Anno 1797 eorum consociatio sub auspiciis La Réveillère-Lepaux, qui erat unus e directoribus reipublicae, auctoritatem publicam et propriam constitutionem accepit. Theophilanthropi quamdam religionem naturalem sectabantur, quae potissimum consistebat in doctrina de existentia Dei, de animae immortalitate, de adorando Deo, diligendo proximo, procuranda patriae utilitate, et in certis ritibus religiosis, quos in conventibus suis exercebant, quique consistebant in praelectionibus orationibus canticisque moralibus, et in quibusdam actibus in nativitate, in matrimonii contractu et sepultura sociorum peragi solitis. Initio secta crescere visa est, plurimis deistis et sacerdotibus apostatis ac coniugatis placuit; Parisiis 7 templa ad celebranda sua sacra accepit; in aliis etiam diversis Galliae urbibus socios nacta est. Sed brevi post multi sectam deseruerunt, et postquam, Directorio versus finem anni 1799 abolito, La-Réveilère publica auctoritate excidisset, Theophilanthroporum institutum magis magisque intercidit.

1) Blanchard, *Précis hist. de la vie* etc. *de Pie VI*; Baldassari, *Histoire de l'enlévement et de la captivité de Pie VI*, Bruxelles 1840, in-8°.

Anno autem 1802 concordato inter rempublicam Francicam et R. Pontificem inito ad restauranda Religionis catholicae exercitia, et Theophilanthroporum et Constitutionalium sectae evanuerunt [1].

9. *Constitutionalium status* — Schisma vero Constitutionalium probrosam metamorphosim subiit. Plures, qui aliquandiu ei adhaeserant, tum R. Pontificis monitis tum aliis causis excitati, adhaesionem suam retractarunt. Multi, ut supra vidimus, terroris tempore episcopalia aut sacerdotalia insignia abiecerunt, Religionem christianam abiurarunt, coniugia contraxerunt. Anno 1795 quatuor pseudo-episcopi, Desbois, Saurine, Grégoire et Royer, ad instaurandam ecclesiam sic dictam constitutionalem, quae iam reipublicae praesidio orbata, magis magisque collabebatur, se Parisiis congregarunt, et idibus martii epistolam encyclicam scripserunt ad reliquos episcopos constitutionales, in qua post fidei suae declarationem, nonnulla ad instaurandas suas res constituerunt. Epistolae subscripserunt 33 pseudo-episcopi, inter quos erat Gratien, metropolita Sequanae; episcopi enim isti praefecturarum nomine appellabantur. Alteram epistolam ediderunt idibus decembris, qua praeter alia praescripserunt novam electionum formam, mandaruntque, ut in qualibet ecclesia cathedrali formaretur presbyterium, quod, sede vacante, ecclesiam gubernaret. Praeterea libellos sub specioso Annalium religionis (*Annales de la Religion*) et aliis titulis vulgarunt ad schismatis propagationem. At his non obstantibus, eorum res in dies declinabant.

Quum vero episcopi constitutionales se passim a suis clericis, quorum multi schismati renunciabant, deseri cernerent, an. 1797 Parisiis conciliabulum celebrarunt. Convenerunt 26 episcopi et 46 presbyteri, quibus episcopalis ius suffragii in conciliabulo concessum est. Praestituto iuramento odii in regiam maiestatem, deliberarunt de ratione componendae pacis cum dissidentibus, ut vocabant, litterasque scribendas decreverunt ad omnes territorii Francici ecclesias, ut hae aliquot ad concilium pro componenda unione deputarent. Deinde pseudo-episcopus Grégoire exposuit statum ecclesiae constitutionalis, acriterque invectus est in clericos, qui praescripta a republica iuramenta vel non praestiterant vel retractarant, in Bullam *Auctorem fidei*, in inquisitionem et in potestatem temporalem RR. Pontificum. Demum institutis novis aliquot suae factionis episcopis, expectantes novum rerum ordinem, ab omni inquisitionis regumque iugo immunem, quem in perturbato Europae statu iam appropinquantem salutabant, conciliabulum dimiserunt.

Anno 1801 post varia conciliabula dioecesana, alterum nationale habuerunt Parisiis, in quo post scandalosa dissidia inter sacerdotes primi et secundi ordinis, post laudes effusas in plerosque ecclesiasticae potestatis osores cuiusmodi sunt, Van Espen, De Hontheim, Le Plat, Tamburini, et alios; proruperunt huius conciliabuli membra in convicia et probrosas scurrilitates, quibus Romanae Sedis auctoritatem, et regum maiestatem destruere conabantur. At signato interim inter Apostolicam Sedem et gubernium Francicum concordato, conciliabulum iussu gubernii, cuius instigatione coactum fuisse videtur ad incutiendum Pontifici metum, dissolutum est. Ex quo tempore Constitutionalium secta disparuit [1].

10. *Pii VI obitus* — Quum iam sex circiter hebdomades Pius Pp. VI Valentiae in Delphinatu in arcta custodia transegisset, Directorium mandavit, ut transferretur Divionem; sed obstitit divina Providentia, quae venerabilem senem, diuturnis aerumnis fractum, et paralysi in inferioribus artubus laborantem, IV calendas septembris 1799 ad iustitiae coronam evocavit [2]. Annos natus 81, postquam Ecclesiam rexisset an. 24, mens. 6, dies 14. Eius corpus postea Romam translatum, magna populorum, omniumque ordinum frequentia exceptum, persolutisque summa honorificentia extremis sepulturae officiis, in aede Vaticana conditum est anno 1801.

Roma a seditiosis Francis occupata, omni fere Italia eorum armis subacta, Pontifice longe a Sede sua abducto, ecclesiastici regiminis facultate privato et tandem in potestate hostium moriente, cardinalibus dispersis, Ecclesia in summo discrimine versabatur, amissoque capite, emoritura videbatur. Sed qui habitat in coelis, iniquos frementium atque

---

[1]) Grégoire, *Histoire des sectes religieuses*, t. I.

[1]) Cf *Précis historique sur l'Eglise constitutionnelle*.

[2]) Blanchard, *Précis historique de la vie etc. de Pie VI*; *Histoire civile politique et religieuse de Pie VI* par un Français cath. rom.; De la Couture, *Précis historique des 24 premières années du Pontificat de Pie VI*; Baldassari, *Histoire de l'enlèvement et de la captivité de Pie VI*.

convenientium adversus Dominum et Christum eius conatus deiecit, novumque documentum dedit de Christi promissionum firmitate, quibus Salvator promisit se usque ad consummationem saeculi ab Ecclesiae tutela non recessurum. Adduxit Deus a longinquo gentes, a catholica fide alienas, quae iuncta cum Austriacis aliisque foederatis manu, Francos hoc ipso anno 1799 Italia expulerunt, et Petri Sedem libertati restituerunt. Austriaco-Russi Mediolanum, Venetias totamque Italiam superiorem, Anglo-Neapolitani Romam, Turcae Anconam occuparunt, Gallosque ad deserendam Italiam compulerunt.

11. *Pius VII, Pontifex* (*an.* 1800)—Quapropter post Pii VI obitum cardinales 35 convenerunt Venetias; illic calendis decembris 1799 conclave ingressi sunt, et pridie idus martii anni sequentis in pontificem elegerunt Gregorium Barnabam Chiaramonti, Caesenatem, Ord. s. Benedicti, cardinalem episcopum Imolae seu Fori-Cornelii; qui nomen Pii VII assumpsit, rexitque Ecclesiam usque ad annum 1823.

Pius VII pontificatu inito, omnino incubuit ad componendas Ecclesiae res. Idibus maii ad universum orbem catholicum epistolam encyclicam scripsit, in qua post laudes meritissimas sui Decessoris et augusti Caesaris, sub cuius praesidio et tutela cardinalium comitia Venetiis habita fuerant, electionem suam significavit; episcopos omnes hortatus est, ut deposito Fidei custodiendo intenti, studerent potissimum debitae clericorum institutioni et coërcendae cogitandi, loquendi, scribendi et legendi licentiae, ne malum gravissimum, iam ex ea ortum, serperet latius totumque orbem invaderet. Bellis impedientibus, Iubilaeum anni sancti non celebravit. Nonis iunii Venetiis relictis, Romam properavit, quam V nonas iulii, iubilantibus Romanis, ingressus est. Reliquum etiam territorium, a Francis pontificiae auctoritati ademptum, opera imperatoris regisque Neapolitani recepit. Mox publicam rerum administrationem, miserum in modum collapsam composuit. Quum audivisset, in regno Neapolitano, post Francorum expulsionem, iniustas saevitias exerceri in laicos et clericos, qui dissidiorum et conflagrationis tempore novo rerum regimini favere visi fuerant, de ea re graviter conquestus est, et episcopos, qui in istis actibus partem habuerant, censuris perculit. Caeteras huius Pontificis res gestas suis locis referemus.

12. *Bonaparte primus consul* — In Gallia etiam status rerum mutatus est. Quum enim regimen Directorii intus ad diram tyrannidem, foris ad commune odium et despectum esset dilapsum, Bonaparte bellidux, anno 1799 ex Ægypto redux, V et IV idus novembris Directorium evertit, regimen consulare proclamari curavit, et ipsemet idibus decembris primus Consul declaratus est. Subinde ad conciliandos sibi Francorum animos, plura iniqua Directorii decreta abrogavit, deportationi finem constituit, ecclesiasticis viris ac publico munere fungentibus imperavit solam fidei promissionem novae constitutioni, intus bellum civile sopivit, foris prospero marte contra foederatos certavit. Mense maio 1800 selectum exercitum per Alpes traduxit; superatisque Austriacis celebri praelio apud Marengo, recepit quidquid anno praecedenti Franci illic amiserant. E subactis septentrionalibus Italiae provinciis et tribus R. Ecclesiae legationibus Bononiensi, Ferrariensi et Ravennatensi, instauravit rempublicam Cisalpinam, dein Italicam, cuius seipsum an. 1802 praesidem dixit. Eodem tempore Franci victores in Germania, domum Austriacam et imperium ad postulandam pacem compulerunt, quae initio anni 1801 Lunaevillae signata, praeter cessiones iam ante factas, Gallorum dominio adiecit quidquid ad laevam Rheni situm est.

13. *Concordatum* (*an.* 1801) — Bonaparte primus Gallorum consul, plurimorum Religioni catholicae fideliter inhaerentium desiderium cognoscens, ratusque sibi admodum profuturum ad capessendum quod ambiebat, summum imperium, si R. Pontificem sibi conciliaret, iam in castris Marengo manifestaverat consilium tractandi cum Pontifice de instaurando Religionis catholicae in Gallia exercitio. Quod cum Pio VII nomine illius nunciatum esset, Pontifex licet metueret, ne homo ambitiosus, qui in Ægypto Mahomethis praeconem egerat, suis potius quam Religionis commodis studeret, perpendens tamen, hanc viam forsan a divina Providentia designari ad restituendum in Gallia divini cultus exercitium, I. Spina archiepiscopum Corinthi cum Caselli, quondam generali Servitarum ministro, Parisios ablegavit. Qui cum mense octobri 1800 Parisios advenissent, cum gubernio de conditionibus pacisci coeperunt; sed irriti fuerunt eorum conatus donec superveniens XII calendas iulii 1801 cardinalis Consalvi, idibus eiusdem mensis conventionem seu Concordatum signavit condi-

tionibus quidem durissimis, sed pro temporum conditione necessariis ad redimendum tot inter commotiones liberum Religionis catholicae exercitium.

Continebat concordatum 17 articulos, quorum summa haec erat: Cultus Religionis catholico-apostolico-romanae in Gallia erit liber et publicus, habita tamen ratione ordinationum, quas gubernium, quantum ad politiam pertinet, pro publica tranquillitate necessarias existimabit. Suppressis antiquis dioecesibus et parochiis, Pontifex novam dioeceseon, et episcopi parochiarum facient circumscriptionem, a gubernio approbandam. Primus consul ad novae circumscriptionis dioeceses et deinceps nominabit archiepiscopos et episcopos, quibus Pontifex institutionem canonicam conferet secundum formam ante regiminis mutationem in Gallia receptam. Episcopi nominabunt parochos, sed gubernio acceptos; Episcopi coram primo consule et parochi coram delegatis gubernii praestabunt iuramentum his conceptum verbis: « Ego iuro et promitto ad sancta Dei Evangelia obedientiam et fidelitatem gubernio per constitutionem gallicanae reipublicae constituto. Item promitto, me nullam communicationem habiturum, nulli consilio interfuturum, nullamque suspectam unionem neque intra neque extra conservaturum, quae tranquillitati publicae noceat; et si tam in dioecesi mea quam alibi noverim aliquid in status damnum tractari, gubernio manifestabo ». Episcopi in ecclesiis cathedralibus Capitulum et in dioecesibus suis Seminarium erigere poterunt, quin gubernium ad ea sustentanda obligetur. Omnia templa non alienata, divino cultui necessaria, episcoporum dispositioni tradentur; gubernium congruam sustentationem assignabit episcopis et parochis novae circumscriptionis, concedetque fidelibus pias in ecclesiarum favorem facere fundationes. Ii, qui bona ecclesiastica alienata acquisierunt, nullo modo a Pontifice eiusve successoribus inquietabuntur; atque adeo eorumdem bonorum proprietas, reditus et iura iis inhaerentia, apud illos atque ab iis causam habentes immutabilia erunt. Pontifex in primo consule reipublicae Francicae recognoscet eadem iura et praerogativas, quibus apud eum gaudebat antiquum gubernium. In omnibus ecclesiis post officium divinum dicetur haec precum formula: *Domine, salvam fac rempublicam; Domine, salvos fac consules.* Demum in casu, quo aliquis e successoribus primi consulis Religionem catholicam non profiteretur, de eius iuribus ac praerogativis et de nominatione episcoporum nova fiet conventio.

Pius VII hanc conventionem ratam habuit XVIII calendas septembris, quemadmodum significavit Bulla, *Ecclesia Christi*, ea die data. Eadem die ad omnes archiepiscopos et episcopos titulares territorii Francici, sive in eo sive alibi agentes, encyclicam scripsit Epistolam, *Tam multa*, qua eos docuit, quomodo, non obstantibus votis contrariis, urgente temporum necessitate, fuerit compulsus ad novam dioeceseon, suppressis antiquis, circumscriptionem; quapropter eosdem omnes hortatus est interpellavitque, ut ad bonum Religionis sedes suas abdicarent, sibique abdicationem hanc intra statos dies litteris significarent. Alia epistola, *Post multos labores*, data ad ablegatum suum I. Spina archiepiscopum Corinthi, episcopos constitutionales excitavit, ut relictis sedibus, quas sine institutione canonica occuparant, ad Ecclesiae unitatem reverterentur, seque s. Sedis sententiis de ecclesiasticis Galliae negotiis submitterent.

Ex 84 episcopis Gallis, qui adhuc erant in vivis, 3, nimirum Vivariensis, Aurelianensis et Augustodunensis, iam dudum sedibus suis renunciasse censebantur, duoque posteriores expresse renunciarunt; 45 secundum Pontificis vota sedes suas abdicarunt; reliqui 36 aut inducias aut nationalem synodum ad deliberandum de tanto negotio postularunt. Ex 24 episcopis Belgis, Germanis et Italis, quorum dioeceses recenti rerum mutatione territorio reipublicae Francicae fuerant adiunctae, 9 iam obierant, 1 ad aliam sedem fuerat translatus, 14 reliqui sedes suas dimiserunt.

Pontifex graviter doluit, quod nonnulli ex antiquis episcopis aut nullas abdicationis litteras dedissent aut rationes eam differendi quaesivissent. Interim, Cardinalium consilio audito, III calendas decembris Bullam dedit, *Qui Christi Domini*, qua cuicumque titularium episcoporum et capitulorum existentium assensui expresse derogavit; iis quodcumque deinceps cuiusvis iurisdictionis exercitium perpetuo interdixit, nullius roboris declarans quidquid essent attentaturi; omnium ecclesiarum archiepiscopalium et episcopalium in universo reipublicae Francicae territorio titulos et denominationes, una cum respectivis earum capitulis, iuribus, privilegiis et praerogativis cuiuscumque generis suppressit,

annullavit et perpetuo extinxit; deinde ad constituendam ecclesiastici regiminis rationem, creavit 60 novas sedes episcopales, divisas in 10 metropoles, nimirum Parisiensem, Bituricensem, Lugdunensem, Rothomagensem, Turonensem, Burdigalensem, Tolosanam, Aquensem, Bisuntinam et Mechliniensem.

Concordatum ineunte mense aprilis 1802 a concilio legislativo acceptatum et in codicem legum relatum, una cum Pontificis Bullis mox publicatum fuit. At gubernium simul cum concordato promulgavit 77 articulos, dictos *organicos*, quibus ecclesiastica libertas admodum limitabatur, et regimini civili tota subiiciebatur. Interim Cardinalis Caprara, quem Pius VII legatum a latere Parisios destinarat, V idus aprilis a primo consule sollemniter exceptus est; eademque die duas constitutiones edidit, quarum una promulgabat Iubilaeum pro tota republica, altera, praeter Dominicam, festa a populo celebranda reducebat ad Nativitatem et Ascensionem Domini, ad Assumptionem B. V. Mariae et festum Omnium Ssrum. XIV calendas maii, quae erat festivitas Paschalis, Cardinalis Legatus in ecclesia metropolitana, assistentibus tribus consulibus aliisque magistratibus, missam pontificaliter celebravit, in gratiarum actionem pro restituto divini cultus exercitio hymnum *Te Deum* cantavit, nominatisque a primo consule archiepiscopis et episcopis auctoritate apostolica institutionem canonicam impertivit.

Porro ad novas sedes episcopales ex antiquis titularibus assumpti sunt 18; ex iis vero qui schismati adheserant 12. Posterioribus Pontifex legem praescripserat, ut exhibita praevia satisfactione ac obedientia Sedi Apostolicae auctoritate eius absolutionem acciperent a schismatis reatibus. Hanc legem ab assumptis e constitutionalibus adimpletam fuisse testatus est Bernier, episcopus Aurelianensis, cui legatus id negotium commiserat; sed deceptor ipse vel deceptus fuit; nam postea Le-Coz, Lacombe et Reymond, qui erant ex illorum numero, iactanter asserebant se nunquam sententias suas mutasse.

Pius VII in consistorio secreto, IX calendas iunias habito, restitutum divinum cultum in Gallia cum Cardinalibus communicavit; sed simul iis significavit magnum suum dolorem conceptum ex articulis, dictis organicis, a gubernio una cum articulis concordati publicatis, declaravitque, se istos articulos non novisse, et non posse non expetere, ut iidem in pluribus corrigerentur et mutarentur. Contra eosdem articulos organicos cardinalis legatus Caprara XV calendas septembris 1803 reclamationem seu expostulationem dedit ad Talleyrand, rerum externarum administrum[1]. At non nisi sero et in aliquot solum articulis Sedis Apostolicae reclamationibus factum est satis [2].

14. *Anti-Concordatistae* — Multigena quidem bona e concordato, Pontificem inter et primum Consulem inito, secuta sunt; publicum divini cultus exercitium antea proscriptum restitutum; cruentae persecutioni finis constitutus; viri ecclesiastici libertati redditi; multi e clericorum et laicorum ordine, subversionis et terroris tempore lapsi ad veram semitam reducti, aliique effectus salutares profluxerunt. Verumtamen eidem concordato non pauci adversati sunt. Contendebant isti, Pium VII in eo, praesertim quantum ad generalem sedium episcopalium in Gallia extinctionem spectabat, potestatis suae limites excessisse. Eorum contentiones hoc ipso tempore Augustinus Barruel[3], et deinde Alphonsus Muzzarelli [4] confutarunt.

Postridie nonas aprilis 1803 libellus, a 36 antiquis episcopis titularibus Galliae subscriptus, in lucem prodiit, cui titulus: « Canonicae et reverendissimae expostulationes apud SS. DD. NN. Pium divina Providentia Pp. VII ». Expostulabant illi de violenta titulorum suorum seu sedium extinctione, de interdicta sibi ecclesiastica iurisdictione, de servitute ecclesiis Galliae imposita, de concordato et adiectis articulis organicis, de favore episcopis constitutionalibus concesso. Deinde speciatim protestabantur contra concordatum, contra Bullas et litteras in forma

---

[1]) Haec reclamatio integra refertur ab Artaud, *Histoire du Pape Léon XII, t.* II, p. 124; et Kersten, *Journal hist. et litter.* t. VII, p. 217: estque peremptorium responsum ad eos, qui dicunt, s. Sedem nunquam reclamasse contra articulos organicos.

[2]) J. Jauffret, *Mémoires hist. sur les affaires eccl. de France pendant les premières années du XIX siècle*; Cohen, *Précis historique sur la vie de Pie VII;* Artaud, *Histoire du Pape Pie VII*; De Smet, *Coup d' oeil sur l' histoire ecclés. du XIX siècle.*

[3]) *Du Pape et de ses droits religieux à l'occasion du Concordat*, Paris 1803, 2 vol. in-8.°

[4]) *Dissertation sur cette question: Le Souverain Pontife a-t-il le droit de priver un évêque de son siège dans un cas de nécessité pour l'Église ou de grande utilité?* Paris 1809, in-8.°

Brevis, *Ecclesia Christi, Tam multa, Qui Christi Domini.* Alii expostulationum libelli prodierunt mense aprili anni sequentis, quibus subscripserunt 13 antiqui titulares episcopi, tunc in Anglia degentes. Hi speciatim expostulabant de articulis organicis,de ipsius concordati articulis, quantum spectabat ad bona ecclesiastica, ad iuramentum novo gubernio praestandum, ad preces pro eo praescriptas, ad iura et privilegia in eodem agnita, et Ludovici XVIII regiaeque familiae iuribus opposita.

Porro tum in his tum in superioribus expostulationibus reclamantes intra obsequii limites haeserunt, suamque reverentiam erga R. Pontificem, ut supremum Ecclesiae caput, in iisdem contestabantur. Etiam ii, qui restituta postea in Galliis antiqua dynastia, adhuc vivebant, datis VI idus novembris 1816 ad Pium VII litteris declararunt, mentem suam semper ab omni schismate a s. Sede fuisse alienam. Eorum tamen agendi ratio causam dedit novae divisioni in clero et populo, unde ortum est schisma sic dictae *Parvae ecclesiae* seu *Anti-Concordatistarum*, qui ipsius Pii Pp. VII communionem deseruerunt. Huic schismati, cuius caput fuit Andreas Franciscus de Themines, olim episcopus Blesensis, adhaeserunt plures sacerdotes et laici, non tantum in Gallia, sed etiam in Anglia, ubi illud propagare conati sunt duo presbyteri Galli, Blanchard et Gaschez, ideo a vicariis apostolicis Angliae ecclesiasticis censuris perculsi. Praefatus de Themines obiit Bruxellis an. 1829, sed priusquam moreretur, se cum Ecclesia reconciliavit [1].

15. *Stevenistae* — In Belgio etiam plures reperti sunt Concordato seu potius articulis dictis *organicis* repugnantes. Crevit eorum numerus occasione novi catechismi a gubernio praescripti, atque precum pro Napoleone Imperatore dicendarum, post latam excommunicationem in usurpatores ditionis pontificiae. Hi vocati sunt Stevenistae, a Cornelio Stevens, quem veluti ducem sectari profitebantur.

Cornelius Stevens natus Wavriae anno 1747, in Vniversitate Lovaniensi s. Theologiae licentiatus, renunciatus an. 1774, deinde ecclesiae cathedralis Namurcensis canonicus, cardinali de Franckenberg in negotiis ad seminarium generale spectantibus a consilio; ab an. 1799 usque ad 1802 dioecesis Namurcensis, sede vacante, vicarii generalis officio functus est; demum in loco natali obiit an. 1828. Vir Religioni addictissimus, contra Constitutionem civilem cleri, contra iuramentum odii, contra articulos organicos, contra catechismum imperii, aliasque noxias innovationes Napoleonis imperatoris constanter certavit, plurimaque scripta vulgavit. Ipsum tamen concordatum a Pontifice confirmatum, aut legitimam missionem episcoporum, qui post concordatum canonice instituti fuerant, nunquam impugnavit; contra reprobavit semper schismaticam Anti-Concordatistarum agendi rationem. Quum autem scripta eius et sententiae non aeque ab omnibus probarentur, magna inde in clero, in populo etiam,et in aliquibus monialium congregationibus divisio nata est. Pio Pp. VII, post deiectum Napoleonem in solium restituto, Stevens omnia sua scripta Romam misit, et Apostolicae Sedis iudicio subiecit. Eamdem erga Apostolicae Sedis iudicium submissionem, una cum sincera catholicae fidei professione renovavit, priusquam moreretur [1].

Verum, ut in similibus fieri solet, nonnulli ecclesiastici viri plus iusto sibi fidentes, vel sapere volentes, longius progressi sunt, quam Stevens intenderat. Ii ipsi concordato et episcopis, vi illius institutis, refragati sunt; cum his eorumque successoribus, et cum omnibus clericis et fidelibus, qui cum illis communicarent, communicare recusarunt, et in apertum schisma abierunt; in quod proh dolor! plures simplices piosque fideles speciosis et captiosis rationibus pertraxerunt, ad hoc saepius auctoritate Cornelii Stevens, sub cuius nomine libellos varios vulgarunt, abusi. Eorum tamen numerus continuo decrevit, et hodie ad paucissimas familias restrictus est [2].

16. *Ecclesiae status in Italia* — Interea primus Gallorum Consul in Pedemontio, quod regi Sardiniae ademptum, cum republica Francica fuerat unitum, ecclesiarum statum prorsus similem illius, quo composita fuerat reliqua Gallica respublica, voluit. Cardinalis Caprara potestate apostolica, sibi per Bullam calendis iunii 1803 concessa, 17 episcopatus, qui in Pedemontio existebant, ad 8 reduxit, quorum metropolis esset Taurinensis. Novam pariter ecclesiastici regiminis formam primus Consul petiit pro republica Italica, quae ipso

[1]) Artaud et De Smet, loc. cit.

[1]) Cf Kersten, *Journal hist. et litt.* t. IV, p. 269 et 321.

[2]) De Smet, loc. cit.

praeside regebatur. Propterea XVI calendas octobris 1803 Parisiis concordatum signatum est inter cardinalem legatum Caprara ex parte Pontificis, et Ferdinandum Mareschalchi reipublicae Italicae delegatum. Complectebatur haec conventio 22 articulos, simillimos articulis concordati Gallicani; episcopis tamen maior libertas in regendis suis ecclesiis et in suis cum Apostolica Sede relationibus asserebatur. Verum quemadmodum gubernium Gallicanum prius concordatum articulis organicis, ita posterius arbitrariis interpretationibus violavit [1]. In reliqua Italia, quam Napoleon, imperator Gallorum, inde ab anno 1805 successive occupavit, res ecclesiastica violento eius arbitrio diversimode turbata, mutata et imminuta fuit, ut infra videbimus.

17. *Napoleon Imperator* (*an.* 1804)—Napoleon XV calendas iunias 1804 senatusconsulto imperator Francorum proclamatus novis petitionibus Pium VII lacessivit. Quo enim maiorem assumptae dignitati firmitatem conciliaret, unctionem sacram ipsius Pontificis manu recipere affectavit. Vt votis suis satisfieret, per legatum Caprara et per cardinalem Fesch, suum apud s. Sedem oratorem, magnificis verbis significavit, quanta bona pro Ecclesia sperare liceret a principe beneficii memore. Pius VII, quamvis sciret, id aliis principibus minime gratum futurum, perpendens tamen, a potente principe, non leve bonum aeque ac indicibile malum expectandum, postulationi eius satisfecit. Postquam igitur IV calendas novembris Cardinalibus in consistorio iter suum in Gallias eiusque rationes significasset, postridie calendas eiusdem mensis Roma profectus est. Vbique summis venerationis testimoniis honoratus, IV calendas decembris Parisios advenit.

Pius VII assensui suo de consecrando Imperatore duas conditiones adiecerat: primum, ut episcopi, e constitutionalibus assumpti, qui subdola obedientiae declaratione institutionem canonicam a Legato acceperant, se decretis Sedis Apostolicae sincere subiicerent; secundo, ut imperator, qui civiles tantum nuptias, ecclesiastico spreto ritu, cum Iosephina inierat, coram Ecclesia matrimonium contraheret. Verum episcopi rursus non nisi subdole se submiserunt; imperator vero coram avunculo suo cardinali Fesch matrimonium contraxit sed sine testibus, quorum defectu serius matrimonium suum invalidum

[1]) Picot, *Mémoires pour servir à l' Histoire eccl.* an. 1803.

declarari iussit. Postridie calendas decembris Pontifex in ecclesia metropolitana Parisiensi consecrationis caeremoniam magna cum pompa peregit. V calendas sequentis mensis vocatis ad se praefatis episcopis, novam submissionis formulam proposuit, cui ii subscripserunt. Imperatori vero obtulit commentarium de negotiis ecclesiasticis, in quo rursus de variis articulis organicis aliisque nonnullis expostulavit, et alia quaedam ad Religionis bonum a gubernio constituenda petiit. Verum Pontifex suae erga imperatorem benevolentiae alium fructum non retulit, quam instaurationem Congregationum missionum exterarum et puellarum charitatis pauperibus et infirmis servientium, atque leve subsidii temporalis augmentum pro clero Gallicano.

Ex hoc tempore Pius VII melius cognovit quod serius expresse declaravit, Gallorum imperatorem eius esse indolis, ut amicitiam cum Ecclesia affectaret, unice ad eam facilius prodendam, eiusque patrocinium simularet ad securius eam opprimendam. Quare relictis Parisiis pridie nonas aprilis 1805, Romam rediit. Maximis rursus in itinere venerationis signis honoratus, postridie idus maii magna cum exultatione in Vrbem receptus est [1].

18. *Rerum publica mutatio sub Napoleone*—Tanta erat Napoleonis ambitio, ut Francorum imperio non contentus, universam Europam sceptro suo submittere sibi proposuerit. Italica republica in regnum conversa, se VII calendas iunii 1805 Mediolani regem Italiae coronari et consecrari fecit a cardinali Caprara, huius civitatis archiepiscopo. Eodem anno bellum resumpsit contra foederatos Austriacos et Russos. Austriacis superatis sub Vlmae muris, capta Vienna, victisque iterum Austro-Russis in celebri praelio apud Austerlitz commisso, Franciscum imperatorem Austriae ad postulandam pacem coëgit. Hac pace, quae VII calendas ianuarii 1806 Posonii in Hungaria signata fuit, imperator Austriacus cessit Venetias, Istriam, Dalmatiam, aliasque suas possessiones Italicas, quae cum regno Italico unitae sunt. Ad destructionem vero imperii Germanici, pluribus eius statibus et principibus plena regendi potestas concessa fuit, et cuique ius maiestatis atque nomen regium tributum. Sic Maximilianus Iosephus e duce creatus est rex Bavariae, Fridericus augustus rex Saxoniae, Guilielmus rex Wurtemburgensis. Anno 1806 Napoleon

[1]) Jauffret, *Mémoires*, t. I, p. 413-26; De Smet, *Coup d'oeil*, p. 53-66.

in locum veteris corporis, ut vocabatur, Germanici, foedus dictum Rhenanum instituit, ad quod plerique status et principes Germanici accesserunt, et cui ipse protectoris vocabulo legem dictabat. Eodem anno mutata regiminis forma in Hollandia, fratrem suum Ludovicum ibidem regem instituit. Anno sequenti in favorem fratris sui Hieronymi erexit regnum Westphaliae. Regem Borussiae atque imperatorem Russiae pluribus praeliis victos, ad ineundam pacem compulit. Anno 1806 Ferdinando rege Neapolis, in Siciliam armis Francorum eiecto, Napoleon fratrem suum Iosephum regem Neapolis declaravit. Eodem tempore exercitus Francorum occupavit Lusitaniam. Anno 1808 Napoleon Carolum IV, regem Hispaniae, secum foedere iunctum, eiusque filium Ferdinandum dolose in Galliam pertractos, ad renunciandum solio Hispanico coëgit, quod fratri suo Iosepho assignavit, constituto pro eo rege Neapolis Ioachimo Murat. Verum Hispani pro regis et patriae suae defensione acerrime et constantissime dimicarunt, et in praelio succumbere quam Gallorum iugo colla submittere maluerunt. Plurimi armis et furore militum Francorum perierunt; multi in Gallias deportati, ad extremam indigentiam redacti fuerunt; Gallorum vero plus quam 300,000 in bello Hispanico perierunt. Anno 1809 bellum Gallos inter et Austriacos resumptum fuit; post varia praelia Galli rursus occuparunt Viennam; et Austriacis de novo superatis in campis de Wagram, pridie idus octobris pax redintegrata est, cuius praecipuus articulus fuit desponsatio filiae imperialis Austriae Gallorum imperatori.

Napoleon iam inde a pluribus annis uxorem duxerat Iosephinam, Alexandri de Beauharnais viduam [1], sed prole ex ea carens, coniugium istud per officiales Parisienses ad hoc constitutos invalidum declarari fecit, tanquam contra praescriptum concilii Tridentini sine proprii parochi et testium praesentia contractum. Quo facto, postridie calendas aprilis 1810 Mariam Ludovicam, Francisci imperatoris Austriae filiam, uxorem duxit.

Quamvis dominator Gallorum his nuptiis et secuta inde prole haereditaria apicem felicitatis pertigisse videretur, ambitionis tamen studio miser, iunctis sibi Austriacis, Borussis, Bavaris, Italis et Hispanis, anno 1812 contendit in Russiam. Post aliquot praelia Moscuam usque penetravit, eamque postridie idus septembris occupavit. Verum urbe hac, incolis egressis, a Russis igne succensa, et autumno iam progrediente, Gallorum exercitus recedere coactus est. Russi Gallos frigore et fame pereuntes a tergo ac latere aggressi sunt, tantaque clade in fugam egerunt, ut florentissimus 500,000 hominum exercitus cum immenso belli apparatu fere totus perierit.

Tunc omnes foederati cum Gallis, metu soluti, cum Russis foedus contra illos sanxerunt. Anno sequenti Napoleon collecto novo 350,000 militum exercitu, bellum in Germania instauravit; aliquandiu vario marte pugnavit; sed XV calendas novembris insignem cladem passus in praelio Lipsiensi, Germaniam deseruit. Galliae territorium contra foederatos, illud omni ex parte invadentes, pedetentim defendit usque ad III idus aprilis 1814, qua, abdicato imperio, insulae Ilvae principatum a foederatis accepit. Anno sequenti multorum proditione ex insula sua elapsus, belliduces Gallos in partes suas pertraxit, et fugato Ludovico XVIII, XIII° calendas aprilis rursus solium Galliae conscendit. Verum XIV calendas iulii prope pagum de Warterloo in Belgio, ubi cum potenti exercitu contra foederatos principes acerrime dimicavit, prostratus, Parisios celeriter confugit; cumque hostium manus evadere nesciret, se dedidit Anglis, a quibus asportatus est in insulam s. Helenae, in extremis Oceani plagis sitam; ubi, terribili sane divinae iustitiae exemplo, idem ille homo, cui paulo ante totus orbis vix sufficere videbatur, in remoto rupis angulo superstes vitae tempus egit miserrime usque ad annum 1821, quo occubuit. De eius vero contra Ecclesiam et Pontificem persecutione infra dicemus.

19. *Ecclesiae status in Germania* — Profecto e generali rerum conflagratione, qua inde a postremis saeculi praecedentis annis Europa agitata fuit, bellisque ex ea secutis res ecclesiastica non in sola Gallia, sed etiam in aliis regionibus damna haud exigua perpessa est. In primis ecclesiarum status in Germania, extra provincias Austriacas, plurimum vastatus est. Quum per pacem Lunaevillae anno 1801 signatam, principatus ecclesiastici fuissent aboliti, et pars Germaniae ad Rheni laevam sita Gallis concessa, mox consulari decreto omnes fundationes ecclesiasticae ibidem sunt abolitae, bona ecclesiarum et corporum ecclesiasticorum a regimine civili occupata, capitula et monasteria dissoluta, electoratus

[1] Cf p. 300.

Moguntinus, Trevirensis et Coloniensis extincti, ex episcopatibus per Concordatum solum conservati Moguntinus, Trevirensis, et Coloniensis translatus Aquisgranum, qui una cum Leodiensi, Namurcensi, Tornacensi et Gandavensi sub archiepiscopatu Mechliniensi constituti sunt. In eadem pace statutum fuerat, ut principes Germanici saeculares pro amissis ad Rheni laevam dominiis ex altera Rheni ripa ab imperio possessiones acciperent. Hoc negotium an. 1803 in conventu Ratisbonensi, in quo Galli maximam, imperator Austriacus minimam potestatem exercuit, perfectum est per decretum, quod *Recessus* dicitur. Per illud omnia bona ecclesiastica tam protestanticis quam catholicis principibus ad compensationem adiudicata sunt, tum ad eorum reditus augendos, tum ad utilitatem publicam promovendam, ad sumptus divini cultus et institutionis literariae sustinendos, ad ecclesias cathedrales, quae conservandae essent, dotandas et ad clericis monachisque annuas pensiones assignandas. Sic tristem in modum ecclesia Germanica et bonis suis et libertate spoliata fuit.

Praeterea principes indemnes facti non tantum bona ecclesiastica occuparunt, sed etiam ipsa corpora, a quibus hactenus fuerant possessa, capitula, collegia, monasteria sustulerunt. Clericis monachisque pensiones sat tenues assignatae sunt; episcopis pristinae dioeceses aut residuae earum partes regendae commissae, sed decreta cathedralium ecclesiarum dotatio nullibi effectui data est. Sola ecclesia Ratisbonensis intacta conservata, imo novis praerogativis et possessionibus aucta fuit, nimirum dignitate electoratus et archicancellariatus Imperii, primatus et metropolis pro tota Germania extra provincias Austriacas et Borussicas, atque territoriis, quae ecclesia Moguntina ad dexteram Rheni possederat. Verum et haec ecclesia, cui Pius VII in Consistorio, calendis februarii 1805 Parisiis habito, praefecerat Carolum Theodorum de Dalberg, post aliquot annos spoliata est. Napoleon enim eius territorium intra Bavariae limites situm regi Bavariae subiecit, et caeteras possessiones, novis aliquot auctas, an. 1810 in magnum ducatum saecularem Francofordiensem mutavit.

Eiusmodi rerum status Religioni catholicae in Germania nimis obfuit. In plerisque dioecesibus sedes episcopales brevi tempore vacarunt, et necesse fuit ut ecclesiae per vicarios generales regerentur, qui in necessaria cum Ecclesiae capite communicatione, in exercenda sua iurisdictione, in disponendis rebus ad Fidem bonosque mores conservandos necessariis, multipliciter impediebantur; ministri sacri diversimode vexabantur, et seminariis non restitutis, in dies minuebantur; in scholis superioribus et inferioribus doctrinae Religioni catholicae contrariae libere tradebantur. Quibus omnibus disciplina enervata, institutio in Religione et pietate impedita, impietas et licentia propagata sunt [1].

20. *Ecclesiae persecutio sub Napoleone* — Interea Napoleon tempestates graves Ecclesiae eiusque Pontifici Pio VII suscitavit. Pius VII iterum atque iterum quaestus fuerat de decretis Mediolani promulgatis, quae concordato an. 1803 inter Apostolicam Sedem et rempublicam, nunc regnum Italiae, inito erant opposita. Imperator postulationibus Pontificis non solum non fecit satis, sed etiam mense octobri 1805 portum arcemque Anconitanam intercepit. Reclamavit Pontifex; imperator vero petulantes ac minatorias litteras ad eum reddidit. Deinde anno 1806 Galli regnum Neapolitanum invasuri territorium pontificium per quod iter habebant, non secus ac terram hostilem tractarunt. Praeterea Napoleon novis in dies immodicis captiosisque petitionibus Pontificem vexare non destitit; hic Pius, quamvis ad conciliandam pacem promptissimus, pro muneris sui officio assentiri non potuit: idcirco imperator primo Beneventum et Pontem-Curvum, deinde alias ditionis pontificiae civitates, demum postridie calendas februarii 1808 ipsam Romam militari manu occupari iussit. Pius VII datis ad Miollis, exercitus Gallicani ducem, ad oratores principum et ad ipsum imperatorem litteris, suo et suorum successorum nomine contra has aliasque deinde secutas territorii pontificii occupationes continuo reclamavit et protestatus est, ut tribulationum, quas patiebatur, causae innotescerent, et iura Sedis Apostolicae sarta tecta manerent.

21. *Pontifex territorio privatur* (*an.* 1808-1809) — Quum primum copiae Francicae Romam invaserunt, arx s. Angeli capta est, disposita per vias et plateas praesidia, aedes Quirinales, quas Pontifex incolebat, magna peditum et equitum manu bellicisque tormentis obsessae, Pontifex in palatio suo tanquam in custodia detentus novisque per dies singulos

1) Hof, *Das deutsche reich von Französichen revolution und nach den frieden von Lüneville*; Gaspari, *Der deputations recesse.*

iniuriis et molestiis saturatus, militia pontificia copiis Francicis admixta, custodes Pontificis lectissimi nobilesque viri in arcem romanam detrusi, deinde dispersi et dissoluti, militia sic dicta civica e faece populi constituta, quae in flagitia praeceps ruebat, maxima pars Cardinalium militari vi a Pontificis latere avulsa et alio deportata, administri eius et officiales complures, tum urbani tum provinciales, vexati, in carcerem coniecti, procul amandati, aliaque plura, ipsi iuri gentium repugnantia, attentata.

Eodem tempore in provinciis Vrbini, Marchiae et Camerini, quas Gallorum imperator promulgato decreto postridie calendas aprilis 1808 Apostolicae Sedi ademptas, regno Italico adiunxit, quaeque facinora nefaria atque sacrilega contra libertatem, immunitatem et doctrinam Ecclesiae patrata sunt: sacrae virgines expulsae e claustris, profanata templa, frena licentiae soluta, contempta disciplina ecclesiastica, sacri canones conculcati, promulgatus codex aliaeque leges, non modo sacris canonibus, sed etiam evangelicis praeceptis ac divino iuri adversantes, depressi et vexati cleri, episcoporum potestas laicali subiecta, vis eorum conscientiae multimodis illata, episcopis e suis cathedris exturbati.

Demum impietas domitoris, qui se Caroli M. successorem iactitabat, eo usque devenit, ut abrogata propter abusum praesumpta laudati imperatoris donatione, decreto Viennae in Austria XVI calendas iunias 1809 dato, totum Petri patrimonium, seu R. Ecclesiae Status imperio Francico adiecerit. Quod decretum cum IV idus iunii Romae fuisset publicatum, Pius VII, exhaustis frustra omnibus humilitatis, moderationis et mansuetudinis rationibus, nocte sequenti Bullam excommunicationis, *Quum memoranda*, contra usurpatorem omnesque eius cooperatores in locis consuetis affigi iussit [1].

22. *Pius VII Savonam abducitur* — Napoleon Vaticano fulmine ictus, iniquitatem consummavit rapiendo ex Vrbe sancta Pontificem. Etenim pridie nonas iulii ante auroram palatium Quirinale armata manu a copiarum duce Radet cinctum fuit, fores effractae, custodes armis exuti, et Pius VII una cum cardinali Pacca eius administro a secretis Status interceptus, violenter Gratianopolim, dein Savonam abductus fuit. Priusquam Pontifex eo pervenisset, cardinalis Pacca ab eo avulsus in arcem de Fenestrelle relegatus est. Pius VII toto triennio Savonae sollicite custoditus, ab omnibus consiliariis suis separatus, duram suam sortem non minori animi fortitudine quam patientia sustinuit. Omni via a Napoleone tentatus, ut ditionibus suis renunciaret, aliisque pactionibus, quibus potestas spiritualis temporali subiiceretur, subscriberet, firmus stetit.

Rapto ex Vrbe Pontifice, Cardinales Itali, paucis provectae nimis aetatis vel infirmitatis causa exceptis, persecutoris iussu adducti fuerunt Parisios, ubi multiplices iniurias experti sunt. Quum eorum tredecim an. 1810 a nuptiis Napoleonis cum Maria Ludovica abfuissent, dignitatis suae habitum deponere et in diversas Campaniae Francicae et Burgundiae urbes abire coacti sunt.

Eo ipso tempore, quo haec omnia facta sunt, Napoleonis potentia tanta erat, et tam firma videbatur, ut temporalem Pontificis potestatem, eiusque in regenda Ecclesia libertatem, cum ea arctissime connexam, in perpetuum intercidisse, ipsiusque Ecclesiae excidium secuturum, hostes huius laetabundi vaticinarentur. Summum utique erat Ecclesiae discrimen, Capite eius sub arcta custodia posito, Cardinalibus dispersis, cunctis ecclesiasticorum negotiorum Congregationibus in Vrbe Roma dissolutis; sed extabat divini Ecclesiae auctoris promissio: *Portae inferi non praevalebunt adversus eam* [1]. Ad hanc promissionem respiciebant quicumque boni catholici, donec eventus illius veritatem ac divinitatem denuo comprobaret.

Pii VII invicta firmitas persecutorem frangebat: Pontifex enim post fulminatam in illum excommunicationem, episcopis, ab eodem ad sedes vacantes denominatis, canonicas institutiones denegabat, donec pristino statui foret restitutus. Napoleon constantiam Pontificis flectere non valens, XVI calendas decembris 1809 cardinales Fesch et Maury, archiepiscopum Turonensem, episcopos Nannetensem, Trevirensem, Ebroicensem et Vercellensem, presbyterum Emery, s. Sulpitii superiorem, et Fontana, generalem Barnabitarum Praepositum, Parisiis congregavit, ut de componendo ecclesiarum statu deliberarent. Multae iis propositae sunt quaestiones, quarum aliae ad generale Ecclesiae regimen,

---

[1]) Card. Pacca, *Mémoires pour servir à l'hist. eccl. du XIX siècle*; Artaud, *Histoire du Pape Pie VII*; Jauffret, *Mémoires*, tom. II; De Smet, *Coup d'oeil* etc.

[1]) Matth. XVI, 18.

aliae ad administrationem ecclesiarum in territorio Gallicano, in Germania et Tuscia, aliae ad Bullam excommunicationis et simultates Pontificem inter et imperatorem spectabant. Fontana tantum primis congregationibus interfuit, Emery iustitiam et veritatem magna cum eruditione defendit; sed caeteri, eius sententias non probantes, III idus ianuarii 1810 responsa ad imperatorem dederunt, in quibus post multa persecutoris encomia, quem laudabant in iis etiam, in quibus erat reprehendendus, inter alia ad providendum ecclesiis viduatis convocationem Concilii nationalis ei suaserunt. Reliqua responsa praetermittimus, id solum observantes, praesules istos in omnibus abiectam animi anxietatem, et obsequium ultra limites non in Pontificem, sed in Imperatorem prodidisse; hinc nullo modo iis subscribere renuit plus aeque ac doctus Emery. Praeterea, VIII calendas aprilis, 19 episcopi Galli litteras ad Pium Pp. dederunt, quibus facultates extraordinarias pro dispensationibus matrimonialibus postulantes, verbis sat minatoriis Pontificem supplicabant, ut viduatis ecclesiis prospiceret. Pontifex eis facultates petitas concessit, sed quantum ad Bullas institutionis pro episcopis nominatis in sua sententia perstitit.

Tunc Napoleon capitula sedium vacantium compulit ad conferenda episcopis nominatis iura vicariorum generalium, ut hac ratione isti, non obstante institutionum canonicarum defectu, ecclesias, ad quas erant designati, administrarent. Erat id Ecclesiae disciplinae et conciliorum sanctionibus oppositum. Nihilominus illud praeter alios attentavit cardinalis Maury, qui olim in conventu nationali Religionis causam mira constantia defenderat, ideoque a Pio VI archiepiscopus Nicaeae *in partibus* et an. 1794 cardinalis episcopus Montis Flasconensis creatus, et pridie idus octobris 1810 a Napoleone ad archiepiscopatum Parisiensem translatus, huius administrationem suscepit. Pius VII datis nonis novembris ad eum litteris in forma Brevis, illum graviter reprehendit, quod spretis iuramentis, quae tanquam cardinalis et episcopus praestiterat, ecclesiam suam deseruerit et alienae administrationem contra sacros canones usurparit; eum obtestatus est, ut usurpatam administrationem confestim dimitteret, ne ad agendum contra eum secundum canonum rigorem cogeretur. Brevi post Pontifex alias litteras in forma Brevis dedit ad E. Corboli, archidiaconum ecclesiae Florentinae, et ad P. d'Astros, vicarium capitularem ecclesiae Parisiensis, in quibus nullam atque invalidam esse declaravit delegationem, quam Capitula episcopis a principe laico nominatis ante confirmationem pontificiam conferrent.

Hae Pontificis litterae optimum habuerunt effectum, quatenus sic omnibus de illegitima istorum novorum vicariorum capitularium administratione constaret et capitula, non obstantibus gubernii iussis, episcopis nominatis administrationem conferre recusarent. Napoleon vero ira percitus, Pontificem arctiori custodiae tradidit, cardinales, episcopos, aliosque de notitia aut propagatione praefatarum litterarum suspectos, item eos, qui nominatis episcopis ecclesiarum administrationem denegabant, carcere aut exilio mulctavit. Eamdem sortem experti sunt parochi aliique ecclesiastici viri, qui vel post latam contra persecutorem excommunicationem preces pro eo canere, vel aliis eius iniquis decretis conscientias suas subiicere recusabant. Vnde grandis rerum ecclesiasticarum perturbatio in multis locis orta est. Et quod deplorandum erat, inter ipsos episcopos erant non pauci, qui ad principis magis quam ad Iesu Christi aulam pertinentes, abiectissima sua agendi ratione persecutoris audaciam, Pontificis vero dolorem augerent [1].

23. *Pseudo-synodus Parisiensis* (*an.* 1811) — Sub initia anni 1811 Napoleon rursus Parisiis congregavit cardinales Fesch et Maury, archiepiscopum Turonensem et alios, quos supra an. 1809 convocaverat, eisque adiunxit cardinalem Caselli, episcopum Parmensem, et de Pradt, ab episcopatu Pictaviensi ad archiepiscopatum Mechliniensem ab ipso Napoleone translatum. Ab iis postulatum fuit, a quibus, impedito commercio cum Pontifice, petendae essent dispensationes, Apostolicae Sedi reservatae, et quae esset legitima ratio instituendi episcopos, ab Imperatore ad sedes vacantes nominatos, si Pontifex Bullas institutionis negare pergeret. Illi post menses prope 2 responsa, a maiori Congregationis parte probata, ad Imperatorem detulerunt. Post immodicas Imperatoris laudes, ad priorem quaestionem dixerunt, reservationes, quibus gaudent RR. Pontifices, non esse iu-

---

1) Cf scriptores supra cit.; item, *Lettre sur la nullité ou invalidité des délégations Capitulaires en faveur des nommés aux siéges vacans*, Liége 1814, in-8°; *Mémoire sur l'administration Capitulaire des évêques nommés, en reponse au Mémoire du cardinal Maury*, Paris 1814, in-8°.

ris divini, proinde recursu ad hos impedito, illas devolvi ad episcopos, quantum ad quotidianas fidelium indigentias spectat, non vero quantum ad generalem Ecclesiae administrationem et disciplinam internam pertinet; ad alteram quaestionem responderunt, Pium VII negare Bullas Institutionis nulla adlegata ratione canonica; optimum malo remedium fore, ut Concordato adderetur clausula, qua Papa teneretur dare institutionis Bullam intra statum tempus, secus ius institutionis devolveretur ad synodum provincialem; ad id efficiendum, prius Papam per deputatos de praesenti rerum statu esse instruendum, deinde cogendum episcoporum concilium.

Grata utique erant huiusmodi responsa Francorum Imperatori; quapropter VII calendas maias 1811 litteris encyclicis archiepiscopos et episcopos imperii Parisios convocavit ad concilium, V idus iunii in ecclesia metropolitana inchoandum. Eodem tempore Savonam ad Pontificem destinavit de Barral archiepiscopum Turonensem, Duvoisin episcopum Nannetensem et Mannay Trevirensem, qui secundum conditiones, a se praescriptas, cum Pontifice concordiam tractarent. Illi VII idus maii Savonam advenerunt, variisque artibus usi sunt, ut Pontificem ad annuendum imperatoris mandatis flecteret; ei tristem tot ecclesiarum in Gallia, Germania et Italia vacantium statum et imminens schisma depinxerunt; nimis extulerunt bona, quae e concessionibus sperare liceret, et grandia mala, quae resistendo forent secutura. Respondit constanter Pius VII, se in carcere positum et Cardinalium consilio privatum, tantum negotium tractare non posse ea diligentia et maturitate, qua oportebat. Illi vero novis artibus, promissis minisque usi sunt, quibus tandem venerabilis senex lacessitus, XIV calendas iunii declaravit, secundum quod illi retulerunt, se perpensis ecclesiarum Galliae et Italiae indigentiis, canonicam institutionem concessurum episcopis ab imperatore secundum formas conventionum nominatis; se consentire, ut conventionibus adderetur clausula, qua intra sex menses bullam institutionis concederet, nisi obstaret personae nominatae indignitas, secus eius nomine metropolita aut episcopus senior nominatum institueret; se ad has concessiones fuisse adductum spe, ex deputatorum promissis concepta, fore ut Ecclesiae et s. Sedi pax, libertas, et dignitas restituerentur. Diximus supra, secundum quod illi retulerunt, quia quam deputati praesules gubernio exhibuerunt Pontificis declarationem, ab eo signata non erat, unde etiam ab ipso nationali conciliabulo ut legitima habita non fuit[1].

Post haec conciliabulum Parisiense inchoatum est. Convenerunt e Gallia, Germania et Italia 104 praesules, inter quos 6 cardinales, 9 archiepiscopi, 80 episcopi, 9 presbyteri ad sedes episcopales nominati. Post aliquot colloquia de iure praesidendi et modo vivendi in concilio, XV calendas iulias 1ª sessio post missarum sollemnia habita est, in qua cum postularetur, num placeret concilium celebrari, laudandus archiepiscopus Burdigalensis, d'Aviau du Bois de Sanzay, respondit: *salva obedientia Pontifici debita*; deinde omnes praelectae fidei professioni, a Pio IV editae, adhaesionem, et R. Pontifici obedientiam pro more iurarunt. Quae agendi ratio dominatori displicere coepit. Posthaec habitae sunt variae congregationes, in quibus Minister cultuum, ut dicitur, post magnas Imperatoris laudes, multasque de Pontifice querelas significavit, concilium esse convocatum, ut Papa concordati conditiones obstinate infringente, alia ratione vacantibus sedibus provideretur. Episcopus Camberiacensis impavida voce dixit, ante omnia ab Imperatore postulandam esse Pontificis libertatem; et cum eo consenserunt archiepiscopi Burdigalensis et Taurinensis, episcopi Gandavensis, Namurcensis, Ierichuntinus coadiutor Monasteriensis, et aliquot alii; caeteri id facere metuerunt. Imperator morae impatiens voluit, ut concilium illico procederet ad decidendam quaestionem principalem. Itaque designata est specialis congregatio constans cardinalibus Spina et Caselli, archiepiscopis Burdigalensi et Turonensi, episcopis Gandavensi, Tornacensi, Trevirensi, Nannetensi, Trecensi, Comaclensi et Eporediensi. Hi, habitis ab XI calendas iulii usque ad III nonas eiusdem mensis variis collationibus, divisis suffragiis, 8 contra 3, resolverunt, concilio nationali, sine R. Pontificis aut concilii oecumenici interventu, ius nullum competere mutandi generalem Ecclesiae disciplinam, et proinde novum ab eo statui non posse modum impertiendi episcopis canonicam institutionem. Quum huius resolutionis relationem VI idus iulii episcopus Tornacensis in generali congregatione fecisset, Napoleon iratus altera

—

[1]) *Fragmens rélatifs à l'Histoire ecclésiastique des prémières années du XIX siècle.*

die conventum dissolvit, et 3 episcopos, de-Boulogne Trecensem, de-Broglie Gandavensem, et Hirn Tornacensem, qui prae aliis Apostolicae Sedis iura defenderant, Vincennis in carcerem coniecit.

Soluto conventu, nonnulli antistites ad ecclesias suas remissi sunt; aliorum constantiam Minister cultuum primo separatim novis artibus tentavit, deinde de assensu maioris partis certus, nonis augusti novam generalem congregationem indixit, in qua plerique, paucis exceptis, huic decreto subscripserunt: 1° archiepiscopales et episcopales sedes non vacabunt ultra annum; 2° nominati ab Imperatore institutionem canonicam postulabunt a Pontifice; 3° Pontifex institutionem conferet intra 6 menses; 4° post 6 menses eamdem concedere poterit metropolita vel senior episcopus provinciae; 5° praesens decretum subiicietur Pontificis approbationi. Hoc decretum per selectos a gubernio praesules Savonam ad Pontificem perlatum est. Pius VII, sibi et Ecclesiae merito metuens, illos primo audire noluit, dein nonis septembris ad colloquium admisit; eorum artibus diu restitit; sed tandem flexus metu malorum quae illi mox futura praedicebant, XII calendas octobris Brevi, *Ex quo ad summi*, praefatos articulos approbavit. Verum Napoleon Pontificis Breve recipere noluit, illud Savonam remisit, et episcopos ad ecclesias suas redire iussit. Sic defecerunt scrutantes scrutinio, omniaque a persecutore et aulicis praesulibus tentata in fumum abierunt [1].

24. *Turbae in dioecesibus Trecens. Tornacens. et Gandavens.*—In tribus vero dioecesibus, Trecensi, Tornacensi et Gandavensi, quarum praesules Vincennis in carcerem coniectos fuisse diximus, turbae graves secutae sunt. Extorta enim a tribus istis episcopis in carcere sedium suarum abdicatione, et neque a Pontifice acceptata, neque iis quorum intererat, in forma debita significata, persecutor sedes illas declaravit vacantes et Capitula ad nominandos novos vicarios compulit. Nonnulli canonici pro officio suo iniquis mandatis restiterunt; alii minis cesserunt, et vicarios generales elegerunt. Cum tamen inter hos unus aut alter iam ante essent vicarii generales episcoporum, proinde iurisdictione muniti, res utcumque fuerunt compositae et legitimae ecclesiarum administrationi consultum.

Verum mense aprili 1813 domitor novos episcopos ad praedictas sedes nominavit, nimirum de-Cussy ad Trecensem, de-S. Medard ad Tornacens. et de-la-Brue ad Gandavens., mandavitque Capitulis, ut his nominatis episcopis, quamvis institutione canonica carerent, dioeceseon administrationem conferrent. Inde grandis rerum perturbatio secuta est. Qui e Capitulis ab istis actibus illegitimis abstinuerunt, gubernii persecutionem experti sunt. Eo maior erat persecutoris iracundia, quod maxima virorum ecclesiasticorum pars cum pseudo-administratoribus communicare nollet, et de negotiis ecclesiasticis referret ad legitimos vicarios episcopales, qui quantum poterant, viis occultis ecclesiarum administrationi consulebant. Turbae graviores fuerunt in dioecesi Gandavensi, ubi saevitum est in 7 civitatis parochos et in seminarium episcopale, cuius directores proscripti, et alumni ad ferenda arma coacti sunt [1].

25. *Pius VII abducitur Fontem-Bellaqueum* (*an.* 1812) — Pius VII iam 3 prope annis in arcta custodia detentus, V idus iunii 1812 Imperatoris iussu Savona translatus fuit Fontem-Bellaqueum. Hic rursum venerabilis senis constantia tentata fuit, ut Imperatoris voluntati acquiesceret, maxime per praesules aulicos, qui, secundum principis mandata, verum rerum statum celare et Pontifici instantis schismatis timorem incutere debebant. Paulo post Gallorum domitor, bello Russico superatus, ratusque sibi in angustiis posito profuturum, si quandam concordiae speciem cum Pontifice iniret, sub initia anni 1813 novae conventionis articulos Pontifici offerri mandavit; sed Pius VII ante omnia tum suam tum Cardinalium libertatem petiit. Tunc domitor ipse Fontem-Bellaqueum advenit, et primo blanditiis deinde minis a Pontifice novam pactionem extorsit, admodum similem famoso conciliabuli Parisiensis decreto supra commemorato. His articulis tanquam fundamentis novae conventionis, una cum Napoleone subscripsit Pius VII VIII° calendas februarii, sed ea lege, ne vulgarentur, neque ullam vim haberent, priusquam in libero cum Cardinalibus consistorio fuissent approbati.

Tunc Napoleon Cardinalibus carceri mancipatis aut in exilium relegatis, potestatem

[1]) F. A. Melcheres, *Parisiense concilium nationale anno* 1811 *cum actis authenticis*, Monasterii 1814; De Smet, *Coup d'oeil*; Card. Pacca, *Mémoires*, t. II.

[1]) De Smet, *Op. cit.*

adeundi Pontificem concessit, Pii VII custodiam commodiorem reddidit, sed magna perfidia praefatos articulos, priusquam a Pontifice confirmarentur, tanquam conventionem absolutam publicari et legis instar servari mandavit. Pontifex de fraude monitus, sine mora reclamavit datisque IX calendas aprilis ad imperatorem litteris, articulos praefatos revocavit, et ut non concessos esse habendos declaravit. Excanduit domitor, Pontificis custodiam arctiorem reddidit, et maiora forte attentasset, nisi bellum institisset [1]. Brevi post divina Providentia persecutoris potentiam deiecit.

26. *Pius VII Romam redit* (*an.* 1814) — Quo magis superbus et ambitiosus domitor Ecclesiam insectabatur, eo citius ad ruinam suam properabat. Post praelium Lipsiense a confoederatis principibus in Galliam redactus, novisque in ipsa Gallia pugnis superatus, X calendas februarii 1814 Pontificem Fonte-Bellaqueo ad Italicos fines deduci iussit. Pius VII post menses prope 2 libertate donatus, pridie calendas aprilis Bononiam ingressus est; eodemque die occupatis a foederatis Parisiis, cecidit corona de capite persecutoris, qui III idus eiusdem mensis in eodem palatio Fontis-Bellaquei, in quo venerabilem Pontificem tot opprobriis saturaverat, abdicationem suam signavit. Pontifex autem iter suum Romam versus prosecutus in mediis acclamationibus, IX calendas iunii magna cum pompa in Vrbem sanctam receptus est. Ante omnia descendit in basilicam principis Apostolorum, ut omnipotenti Deo pro tanto beneficio gratias ageret, inde summo cum plausu et exultante simul universo orbe catholico clivum et palatium Quirinale triumphator conscendit.

Mox animum adiecit reparandis ecclesiasticae et civicae rei damnis; iniquas leges, quae tempore anarchiae fuerant publicatae, abolevit; sacras Congregationes restituit; iudiciorum et vectigalium Ordinem instauravit; restituendis utriusque sexus monasteriis operam dedit; Societatem Iesu sollemni constitutione restituit; Willibrordi Van Os, a Iansenistis in pseudo-archiepiscopum Vltraiectinum assumpti, electionem nullam et consecrationem sacrilegam declaravit; cardinalem Consalvi Viennam legavit, ut Sedis Apostolicae iura in principum Europaeorum congressu defenderet; Constitutiones Clementis XII et Benedicti XIV contra societates occultas, quas Galli in Status pontificios introduxerant, renovavit, aliaque plura Ecclesiae bono constituit, ut videbimus.

27. *Congressus Viennensis*—Deiecto Napoleone, Ludovicus XVIII rex Galliae, Ferdinandus VII rex Hispaniae, Ferdinandus IV rex Neapolis, aliique principes paterna solia receperunt. Quum autem Francorum imperio per universam pene Europam res publicae fuissent perturbatae, principes ad componendum publicum societatis Europaeae statum, Viennae congressum indixerunt, qui calendis novembris 1814 coeptus, et V idus iunii anni sequentis absolutus est. Editus in eo fuit tractatus constans 120 articulis, quibus concordia et ius publicum inter Europaeos principes sancita sunt, eorum territoria circumscripta, relationes ordinatae, et fundamentalis Europae constitutio constructa. Per eumdem tractatum Sedi Apostolicae possessiones pristinae, excepta Avenione, restitutae sunt; domus Austriaca status suos in Italia recepit; Guilielmus, princeps Arausicanus, Hollandiam, Belgium et principatum Leodiensem cum regio nomine et dignitate, atque Luxemburgum sub magni-ducis titulo, accepit; rex Borussiae praeter partem Poloniae, consecutus est possessiones plures in Germania, et ad laevam Rheni usque ad confinia Galliae; Imperatori Russorum, cum titulo regis Poloniae, attributus fuit ducatus Varsoviensis; principes Germani inter se constituerunt foedus, dictum Germanicum, cuius conventus Francofordii cogi decretum est. Id inter alia dolendum est, quod ecclesiastici Germaniae principatus non solum non restituti, sed principibus acatholicis subiecti fuerint in magnum Religionis catholicae detrimentum.

28. *Societatis Iesu restitutio*—Inter primarias curas Pii VII, ut Apostolicam sedem cum libertate recepit, fuit restitutio Ordinum religiosorum. Speciatim mox Societatem Iesu a Clemente Pp. XIV suppressam solemni Bulla instauravit. Iesuitarum Institutum, ex assensu Sedis Apostolicae saltem tacito, in Russia perdurasse, supra diximus [1]. Praeterea Ferdinandus dux Parmensis, qui an. 1768, ab aula Hispanica excitatus, Iesuitas ducatu suo exire iusserat; postea cernens funestos huius rei effectus, maxime quantum ad iuventutis institutionem pertinet, illos revocaverat; in Academia litterarum ac scientiarum cathedras eisdem crediderat, et an. 1793 a vicario

[1] Card. Pacca, *Mémoires*, t. I.

[1]) Vid. p. 275.

generali Iesuitarum in Russia aliquot patres impetrarat, qui una cum Iesuitis Parmensibus provinciam vicario generali in Russia subiectam, et novitiatum formarunt. Paulus I, qui an. 1796 Catharinae II matri suae in Russorum imperio successit, non minori ac illa favore Iesuitas prosecutus est; iis ecclesiam catholicam Petropolis, pluraque collegia in diversis imperii partibus tradidit, Poloniensem eorumdem novitiatum subsidiis auxit, et an. 1800 a Pio Pp. VII postulavit, ut Iesuitarum Institutum, quod decessor eius pro difficillimis temporum circumstantiis tacite probarat, expressa ratione confirmaret. Pius VII, dato nonis martii 1801 Brevi, *Catholicae Fidei*, Societatem Iesu pro Russia restituit.

Inde ab an. 1794 nonnulli presbyteri Galli, inter quos de Broglie, Tournely, Varin, Pey, secundum mentem regulasque s. Ignatii in Belgio constituerunt Congregationem ss. Cordis Iesu, donec Societatem Iesu restituere liceret. Illi paulo post bellorum causa Belgium deserentes, transierunt Viennam. Eodem tempore Romae Nicolaus Paccanari, Tridentinus, ad resuscitandum s. Ignatii Institutum, creavit Congregationem sub nomine Societatis fidei Iesu. Ex assensu Pontificis Paccanari et socii eius Italiae, Galliae, Germaniae terras peragrarunt, ut veteres Iesuitas novosque socios in Congregationem suam adscriberent. Multi ei nomen dederunt, qui Patres fidei et ab auctore *Paccanaristae* dicti sunt. At post paucos annos, cum Paccanari unionem suae Congregationis cum generali Societatis Iesu in Russia praeposito parum curare videretur, plerique socii ab eo discesserunt, nonnulli in Russiam ad novitiatum profecti sunt.

Ad exemplum ducis Parmensis Ferdinandus IV, rex utriusque Siciliae, qui quondam adhuc iuvenis Iesuitas regno suo exire iusserat, anno 1804 pro restituenda in utraque Sicilia eorum Societate ad Pontificem scripsit. Pius VII eius precibus annuens, per Breve III calendas augusti eiusdem anni ad P. Gruber, generalem Societatis praepositum in Russia, datum eiusdem Societatis instaurationem in utraque Sicilia ratam habuit. Summo regis et subditorum gaudio patres Iesuitae recepti sunt; sed an. 1806 in regno cis Fretum Siciliense a Gallis occupato, iterum dispersi fuerunt.

Anno 1814 Pius Pp. VII votis totius orbis catholici, Societatis Iesu restitutionem desiderantis, facturus satis, VII idus augusti Bulla, *Sollicitudo omnium ecclesiarum*, praefatam Societatem ex certa scientia et plenitudine potestatis in perpetuum instauravit. Confestim superstites adhuc Iesuitae se sub regula s. Ignatii consociarunt; in Italia, Austria, Helvetia, Gallia, Hispania, Anglia, aliisque regionibus novitiatus, collegia et alias domos formarunt; deinde etiam in Americam, Syriam, Indiasque profecti, missiones, novitiatus, collegia ibidem instaurarunt.

Cum vero Societas Iesu sic communi proborum gaudio restitueretur, in Russia, in qua post generale naufragium fuerat conservata, suppressa est. Quum enim Iesuitae in collegio, quod Petropoli erexerant, non modo iuvenes catholicos, sed etiam acatholicos et schismaticos, quos parentes, eorum mores et docendi methodum approbantes eis tradebant, in litteris instituerent, aliorum magistrorum invidiam in se excitarunt. Quum praeterea plures ex istis discipulis vel alumnis, imo etiam adulti a schismate ad catholicam unitatem a Iesuitis converterentur, schismatici sacerdotes, aliique Religionis catholicae inimici effecerunt, ut an. 1815 Iesuitae decreto Alexandri imperatoris Petropoli fuerint amoti, simulque aditus ad ambas imperii metropoles eis in perpetuum interdictus. Iam tum eorum adversarii efficere conati sunt, ut e toto imperio Russico pellerentur, sed non permisit id imperator. Cum vero Iesuitae in aliis imperii locis schismaticos ad catholicam unitatem convertere non cessarent, tandem an. 1820 imperator decretum, sibi a rerum ecclesiasticarum administro propositum, approbavit, quo omnes Iesuitae ex universo imperio Russico in perpetuum relegabantur. Eorum multi a Francisco imperatore Austriaco in Galitiam ad iuventutem in litteris philologicis, philosophicis et theologicis instituendam missi sunt; traditum eis fuit coenobium Dominicanorum Tarnopoli, assignati singulis annuatim 300 floreni, dataque facultas erigendi, ubi visum fuerit, collegia, novitiosque in hunc finem suscipiendi. Reliqui Iesuitae e Russia expulsi partim in alia Societatis collegia, partim in Americam septentrionalem se contulerunt [1].

29. *Religionis status in America* — In America septentrionali, praesertim in terris Britannicis, in civitatibus confoederatis, et in insulis, quae nomine Indiae occidentalis

[1]) Crètineau-Joly, *Histoire de la Compagnie de Jésus*, t. V-VI.

designantur, a posterioribus annis saeculi praecedentis et deinceps catholicorum numerus, tum ethnicorum et haereticorum conversione, tum Europaeorum in istas terras migratione, plurimum auctus est. Postquam gubernium Anglicanum an. 1783 pace cum civitatibus confoederatis seu Statibus unitis composita, earum liberum regimen ratum habuisset, catholici earumdem incolae Apostolicam Sedem rogarunt, ut, ad promovendum ibi Religionis exercitium firmandumque ecclesiarum regimen, episcopalem sedem crearet. Pius Pp. VI, audita Congregatione de Propaganda Fide, eorum votis annuit, postridie nonas novembris 1789 episcopalem sedem erexit Baltimorae, eique praefecit patrem Carroll iesuitam, iam ibi Vicarium apostolicum agentem. Hic anno sequenti Londini consecratus, varios viros ecclesiasticos tum ad augendum clerum suum, tum ad formandum Baltimorae seminarium secum in Americam duxit. Anno 1791 secundum Pontificis consilium Baltimorae cum 21 presbyteris synodum celebravit, in qua post episcopi orationem et fidei professionem, potissimum actum est de Sacramentorum administratione, de festorum et divinorum officiorum celebratione, de sepultura, de fabricis, de sacrorum ministrorum moribus, sustentatione, habitu et disciplina. Synodi decreta Romam missa sunt cum supplici prece, ut Pontifex vel sedem suffraganeam vel coadiutorem episcopi Baltimorensis crearet. Pius VI synodi acta confirmavit, et paulo post p. Neale iesuitam instituit coadiutorem episcopi Baltimorensis cum titulo episcopi Gortynensis *in partibus* infidelium.

Quum autem, perturbatis in Europa rebus et exorta inde contra Ecclesiam persecutione, multi sacerdotes saeculares et regulares, etiam moniales, in Status unitos se conferrent, varia illic collegia et coenobia erecta sunt, et catholicorum numerus continuo auctus. Quapropter Pius Pp. VII an. 1808 episcopalem sedem Baltimorae evexit ad dignitatem metropolitanam, eiusque suffraganeas sedes 4 creavit, Novi-Eboraci, Philadelphiae, Bostonii, et Bearstownii in Kentuckia. Baltimorensi metropoli etiam subiecit Novum-Aurelianum Luisianae, et an. 1815 ad hanc sedem, iam a Pio VI creatam, instituit reverendum virum Dubourg. Ex hoc tempore Religio catholica tum in civitatibus tum in missionibus, inter feros indigenas institutis, continua incrementa cepit [1].

[1]) Picot, *Mémoires*, 1789, 1791, 1808.

In regionibus Americanis, Mexicana, Guatimala, Peruvia, Plata, et aliis, quae hoc saeculo Hispanorum dominium detrectantes proprio usae sunt regimine, atque in imperio Brasiliae, Religio catholica conservata est.

30. *Religionis status apud Maronitas* — Celebris vero Ecclesia Maronitarum, qui montem incolunt Libanum, posteriori parte saeculi praecedentis nonnihil perturbata fuit falsis vaticiniis cuiusdam monialis, nomine Endiae seu Annae Mariae Agemi. Sed nascentes motus mox composuit Pius Pp. VI, qui patriarcham Maronitarum pseudo-prophetissae partibus faventem Romam vocavit; an. 1779 fallaces Endiae prophetias improbavit, datis ad episcopos et clerum Maronitarum litteris; an. 1783 novis ad eosdem litteris Maronitarum pietatem laudavit, eos ad unionem hortatus est, resipiscentem patriarcham in gratiam recepit, et in pristinum statum restituit. Eiusdem Pontificis mandato ibidem episcopi et monasteriorum praefecti anno 1793 synodum celebrarunt, in qua varia pro locorum et temporum necessitatibus decreta sunt, deinde a Congregatione de Propaganda Fide approbata [1].

Verum prioribus huius saeculi annis novas divisiones in ecclesiis istius regionis excitavit Germanus Adami, Florentinus; qui archiepiscopus Hierapolis et Visitator apostolicus montis Libani creatus, novitatibus, quas ipse iuvenis a Scipione Ricci didicerat, catholicos Orientis imbuere studuit. Eius consilio Agab Matar, patriarcha Antiochenus Melchitarum catholicorum, an. 1806 in coenobio Carcaph dioeceseos Berytensis synodum celebravit, quae Antiochena dicta est. In ea plura e damnatis iam Pistoriensis conciliabuli decretis constituta sunt, tum doctrinae tum disciplinae Ecclesiae opposita. Synodi acta minime ad Apostolicam Sedem, ut moris erat, missa fuerunt; et an. 1810 typis arabicis excusa cum approbatione a Ludovico Gandolphi, tunc temporis apostolico montis Libani visitatore, fraudulenter accepta, per omnem Orientem disseminata sunt. Infaustis temporum circumstantiis factum est, ut ea res diu Pontificem latuerit; qui ubi eam cognovit, a Maximo Mazio, novo Melchitarum patriarcha, exemplar actorum praefatae synodi postulavit. Paruit patriarcha, simulque contestatus est se illa nunquam probasse, et in omnibus Apostolicae Sedis iudicio acquiescere. Re a s. Congregatione mature discussa, Gregorius

[1]) Henrion, *Continuat. de l'Hist. eccl.* an. 1780.

Pp. XVI, xvi° calendas octobris 1835 librum inscriptum: *Synodus Antiochena habita sub Agab Matar* damnavit[1].

31. *Religionis status in Sinis et Cochinchina* — De statu Religionis christianae in imperio Sinensi durante saeculo praecedenti supra diximus[2]. Anno 1805 nova illic in christianos persecutio exarsit, praesertim in nobiles. Nonnulli quidem cruciatuum vehementia territi a Fide Iesu Christi misere defecerunt; plerique tamen in Fide invicti perstiterunt: hi muneribus, dignitatibus et facultatibus privati, multique cum pluribus missionariis relegati sunt, libri christiani combusti, ecclesiarum inscriptiones deletae, simulque edictum emissum, quo magistratibus sub poena dignitatis et muneris amittendi, caeteris sub poena exilii, ad sacra christiana transire prohibebatur. Anno 1814 gubernator provinciae Setschuen persecutionem excitavit, quae praecedentes vehementia et diuturnitate superavit, mox in alias quoque provincias propagata est, multisque Christianis et missionariis vitam abstulit. Prae ceteris notari dignus est Gabriel Dufresne, episcopus Tabracanus et vicarius apostolicus, in metropoli provinciae istius publice capite plexus. In eadem metropoli plus quam 400 christiani crudeliter torti sunt, qui fortitudine et constantia sua cum antiquis martyribus conferri possunt. Anno 1818 persecutio, praecedenti anno sopita, vi decreti ab ipso imperatore editi, ita recruduit, ut Christiani magno numero torquerentur, et qui a Fide non deficiebant, relegarentur; missionarii autem, qui in imperio deprehendebantur, laqueo enecarentur. Demum an. 1845 Francorum orator consecutus est, ut Tao-Kouang imperator pridie idus aprilis legem ediderit, qua Christiani in imperio tolerarentur, et X calendas martii anni sequentis alterum edictum publicarit, quo iis liberum Religionis suae exercitium et ecclesiae adhuc superstites restituerentur.

Vidimus etiam quis fuerit saeculo praecedenti Religionis christianae status in Cochinchina et Tongkino[3]. Cum posterioribus istius saeculi annis reges Cochinchinenses terras Lao, Cambodscha, Lachto et Bintuam, etiam regnum Tongkinense sibi subiecissent, et assumpto imperatoris titulo, atque clientelae foedere cum Sinensibus disrupto, imperium sic dictum Anamense condidissent, Gialonghus primus imperator, qui ab an. 1800 usque ad 1820 regnavit, Religionem christianam protexit, et missionariis benevolum se exhibuit. Eius filius et successor, Minmangius patris vestigiis inhaesit. Verum post paucos annos persecutio in Tongkino instaurata est[1].

32. *Missionum status* — Generali autem rerum perturbatione, quam postremis saeculi praecedentis et primis praesentis annis Europa perpessa est, etiam status missionum in Oriente, Indiis et America declinavit. Sublatis quippe in Europa Ordinibus religiosis et missionum seminariis, missionariorum penuria secuta est. Pontifice et Cardinalibus captivis aut dispersis, communicatio cum missionibus fuit impedita, et subsidia interrupta. Missiones orientales gubernii Gallicani protectione orbatae Turcarum, schismaticorum et haereticorum vexationes subierunt.

Pace in Europa restituta et firmiori ordine introducto, melior spes missionibus affulsit. Reges Galliae tranquillitati missionum Orientalium consuluerunt. Ludovicus XVIII an. 1816 Congregationem Lazaristarum restituit et amplis redditibus instruxit, quae pluribus tum sacerdotibus tum alumnis aucta, sicut Romana Congregatio de Propaganda Fide, novos operarios ad diversas missiones destinavit. Eorum numerus auctus est e restitutis sensim Ordinibus religiosis, maxime Societate Iesu, quae eodem ac quondam ardore de Fidei propagatione inter ethnicos, haereticos atque schismaticos populos meretur. Praeterea V nonas maii 1822 Lugduni instituta fuit celeberrima societas pro propaganda Fide, cuius membra preces et eleemosynas conferunt pro missionum prosperitate et indigentiis. Haec societas a RR. Pontificibus pluribus Indulgentiis confirmata et promota, non tantum per omnem Galliam, sed etiam per Italiam, Hispaniam, Belgium, Germaniam, aliasque Europae partes propagata est, et quotannis subsidia magna missionibus suppeditat. Quibus rationibus factum est, ut in Oriente, in India, in Sinis, Siamo, Cochinchina et Tongkino, in America, in Australia missiones catholicae redintegratae novaeque institutae fuerint, adeo ut praefata societas an. 1840 in Sinis vicinisque regionibus, in Australia, in America septentrionali et in aliis diversis regionibus, 73, et anno 1870 plus quam 135

---

1) Vid. *L'Ami de la Religion*, n. LXXXIX, p. 327; Kersten, *Journal hist. et litt.*, t. III, p. 21.

2) Vid. p. 259.

3) Vid. p. 260-61.

1) *Lettres édifiantes*, et *Annales de la Propagation de la Foi*.

vicariatus apostolicos et dioeceses numeraret, quibus subsidia ferebat [1].

33. *Societates biblicae* — In variis regionibus, praesertim in America confoederata, in India et in Australia, missionarii catholici obstacula multa experiuntur ex ministris acatholicis, praesertim Methodistis, qui etiam propagando Christianismo, sed erroribus infecto, operam navant. Hi amplissima subsidia accipiunt a societatibus missionum protestanticarum, quarum praecipua sedes est Londini in Anglia. His societatibus adscripti sunt cuiusvis confessionis christianae sectatores, qui pro viribus suis annuam stipem conferunt ad propagandum Christianismum et sustentandas missiones. Parem scopum sibi proposuerunt societates biblicae, hoc saeculo primum institutae in Anglia, deinde etiam in Germania protestantica, Batavia, Helvetia, Borussia, Suecia, Dania, Russia, imo in India et in America confoederata seu Statibus-unitis. Hae sibi Christianismi propagationem proposuerunt ope Bibliorum, quae in diversissimas linguas, anglicam, gallicam, germanicam, belgicam, arabicam, aethiopicam, persicam, indicam, aliasque transferri curant, et modo gratis distribuunt, modo parvo pretio vendunt. Ne vero diversarum confessionum membra ob sententias fidei suae oppositas, a legendis Bibliis absterrerentur, societatum directores statuerunt, ut Biblia sine annotatione, explicatione aut commentario, imo pro quavis ecclesia in versionibus ab ea probatis, imprimerentur; hoc tamen in terris catholicis ab iis non observari, experientia constat: quae enim in Belgio propagarunt, Biblia, truncata aut corrupta sunt. Verumtamen dum missiones catholicae mirifico incremento dilatantur, protestanticae macrescunt [2].

Quum vero ex huiusmodi Bibliorum, quae sine Ecclesiae auctoritate, imo ab acatholicis viris in vulgares linguas vertuntur atque eduntur, propagatione et lectione nonnisi detrimenta gravia fidei catholicae obtingere possent, Pius Pp. VII animose et sedulo restitit praefatarum societatum conatibus tum per binas litteras, calendis iunii 1816 ad Gnesnensem, et pridie nonas septembris ad Mohiloviensem archiepiscopos datas, tum per epistolam a Congregatione de Propaganda Fide III nonas augusti 1816 ad vicarios apostolicos Persiae, Armeniae, aliarumque Orientis regionum directam, et per decretum a Congregatione Indicis de omnibus huiusmodi versionibus datum IX calendas iulias 1817. Ipsis Societatum biblicarum conatibus obstiterunt alii deinceps Pontifices, Leo XII in encyclicis litteris III nonas maii 1824 datis ad omnes catholici orbis antistites, Pius VIII in encyclica epistola IX calendas iunias 1829, Gregorius XVI in monito adiecto ad decretum Congregationis Indicis VII idus ianuarii 1836, et in encyclica epistola postridie nonas maii 1844. In quibus Pontifices omnibus in memoriam revocant III et IV regulas Indicis Tridentini et adiectam XV calendas iulias 1757 auctoritate Benedicti Pp. XIV declarationem, ut nempe permissa non haberetur lectio vulgarium versionum, nisi quae ab Apostolica Sede approbatae, aut cum annotationibus desumptis e sanctis Ecclesiae patribus vel doctis catholicisque viris, editae fuerint [1].

34. *Religionis status in Gallia*—In Gallia autem Napoleonis tyrannide status rerum ecclesiasticarum admodum perturbatus erat. Ludovicus XVIII, an. 1814 paternum solium adeptus, optimo quidem erga Religionem catholicam eiusque clerum animo erat, sed in promovenda ecclesiasticae rei prosperitate saepe impediebatur tum regni constitutione, ex cuius praescripto deputatorum populi procerumque consensus ad ferendas novas leges erat necessarius, tum genio nationis, quae impiis scatebat civibus. Interim varia in favorem Religionis decreta edidit, institutionem iuniorum clericorum episcopis reddidit, meliorem sustentationem clero procuravit, Congregationes s. Lazari et s. Spiritus pro missionibus, atque s. Sulpicii pro seminariorum directione restituit. III idus iunii 1817 conventionem cum Apostolica Sede confecit, qua concordatum, quondam inter Leonem Pp. X et Franciscum regem I initum, restituebatur; concordatum vero an. 1801 cum articulis dictis organicis ex ea parte, qua Ecclesiae doctrinae aut legibus erant oppositi, abrogabantur; numerus sedium episcopalium augebatur; episcopatibus, capitulis, seminariis congrua dos immobilibus redditibus haerens promittebatur. Verum novis e parte camerarum, ut vocant, difficultatibus exortis, conventionis executio suspensa fuit. Interea Pius Pp. VII provisoria ratione ecclesiarum

[1]) *Annales de la Propagation de la Foi.*

[2]) Cf Card. Wiseman, *Stérilité des missions protestantes*, Louvain 1844, in-8°.

[1]) Cf I. B. Malou, *La Lecture de la s. Bible en langue vulgaire*, Louvain 1846, 2 vol. in-8°.

indigentiis consuluit. Quod vero maxime ad impediendos instauratae Religionis fructus et ad fovendum irreligionis genium inserviebat erant irreligiosi et impii libri, qui favente libertate typographica ingenti numero imprimebantur. In nonnullis etiam provinciis sacerdotes et missionarii populum e coeno incredulitatis ac negligentiae ad Religionis exercitia reducere satagentes, impiorum vim, convicia et iniurias experti sunt. Anno 1822, consentientibus Cameris, per conventionem provisoriam inter Pium VII et Ludovicum XVIII numerus episcopatuum ad 80 auctus fuit, capitula cathedralia, seminaria, aliaque instituta ecclesiastica instaurata sunt, laetiorque status ecclesiis Galliae redditus [1].

35. *In Hispania et Lusitania*—In Hispania etiam ab an. 1808, quo eam Galli occuparunt, res ecclesiastica fuit perturbata, sacra Inquisitio abrogata, Ordines religiosi suppressi, ecclesiastica bona confiscata, libri irreligiosi invecti, et auctoritatis ecclesiasticae ac civilis contemptus propagatus.—Rege legitimo, Ferdinando VII, an. 1814 in solium suum restituto, pristinus ecclesiasticae rei status fuit reductus, s. Inquisitio restituta, Societas Iesu aliique Ordines religiosi instaurati, libri irreligiosi proscripti, societates occultae prohibitae.—Verum an. 1820 milites a Ferdinando VII rebellarunt, constitutionem anni 1812 proclamarunt, et regem ad convocandos populi deputatos coëgerunt. Hi ante omnia s. Inquisitionem et Societatem Iesu aboleverunt, bona ecclesiastica nationi adiudicarunt, omnes Ordines religioso-militares pluresque monasticos, speciatim Benedictinum, abrogarunt, episcopis mandarunt, ut nemini sacerdotum, qui a nova regni constitutione animo alieno essent, facultatem praedicandi aut confessiones excipiendi tribuerent, aliaque similia decreverunt. Qui autem ex episcopis caeterisque clericis decretis istis morem gerere recusabant, variis poenis in primis carceris et exilii affecti, nonnulli etiam interfecti sunt. Multi eorum, ad evitandas iniurias et violentias, in terras exteras, praesertim in Galliam, fugerunt. At anno 1823 dux Engolismensis, cum Gallorum exercitu a Ludovico XVIII in auxilium Ferdinandi VII missus, rebelles Hispanos in ordinem redegit, et regem, quam illi Gades abduxerant, restituit. Ex quo tempore res ecclesiasticae ad pristinum reductae sunt statum.

[1]) Artaud, *Histoire de Pie VII*, t. II; Jauffret, *Mémoires hist.* t. III.

In Lusitania inde a temporibus marchionis de Pombal, primarii regis Iosephi I administri, novitatis genius propagatus est. Postquam an. 1807 exercitus Gallorum Lusitaniam invasissent, magis perturbatus fuit rerum ecclesiasticarum status. Ioannes VI in solium paternum restitutus, rerum ordinem instauravit. Sed an. 1820 exorta revolutione, similia ac in Hispania decreta atque patrata sunt. Anno vero 1823 concordia restituta fuit.

36. *In Italia*—In Italia, extincto Gallorum dominio, res ecclesiasticae ad meliorem statum adductae sunt. Pius Pp. VII in suo territorio omnia, quantum fieri potuit, ad priorem conditionem reduxit. Victor Emmanuel, rex Sardiniae, receptis an. 1814 terris suis in superiori Italia, quibus respublica Genuensis accessit, mox pristinas leges ecclesiasticas in iisdem restituit, R. Pontifici prisca iura reddidit, et an. 1817 secundum conventionem cum Pontifice inita, suppressos episcopatus redintegravit. Ferdinandus IV rex utriusque Siciliae, an. 1818 cum Apostolica Sede concordatum iniit, quo uni Religioni catholicae apostolicae romanae locus in regno factus est, nominatio archiepiscoporum et episcoporum concessa regi, episcopis regiminis pastoralis libertas secundum canones restituta, res de divenditis bonis ecclesiasticis aliaque negotia composita sunt.

Verum instauratae Religionis et restituti regiminis hostes in societatem occultam coaluere, cuius socii *Carbonari* dicti sunt. Ea quidem finem potissimum politicum habebat, nempe universam Italiam in unam magnam rempublicam coniungendi, et in tota Europa, deiectis regibus, democraticum regimen instituendi, in quem finem cum aliis extra Italiam societatibus occultis coniunctionem inivit; ea tamen, non secus ac omnes eiusmodi societates, Religioni christianae adversabatur. Societas ista adeo convaluit, ut an. 1820 in regno Neapolitano revolutionem excitarit, regiminis formam mutarit, tetrumque bellum civile in utraque Sicilia suscitaverit. Anno sequenti idem tentavit in Pedemontio. Sed eodem anno Austriacorum arma turbas tum hic tum illic composuerunt, atque res utriusque regni ad pristinum statum adduxerunt. Eodem anno 1821 Pius VII, Bulla, *Ecclesiam a Iesu Christo*, societatem *Carbonariorum* condemnavit [1].

[1]) Artaud, loc. cit.

37. *In Germania*—In Germania, ut iam diximus, Religio catholica detrimentum grande subiit, quum per congressum Viennensem ecclesiastici status non restituti, contra principibus acatholicis subiecti sint. Pius Pp. VII ad componendum in istis terris ecclesiarum statum, an. 1821 cum Friderico Guilielmo III, rege Borussiae, et cum societate Germanica conventiones iniit. In his Pontifex in id praecipue incubuit, ut episcopatus sufficienti numero erigerentur vel restaurarentur, capitula canonicorum constituerentur, seminaria clericorum vel conservarentur vel fundarentur, eorum omnium dos assignatis fundis stabilibus vel exhibitis publici debiti documentis, in tutum collocaretur, ecclesiis ius bona temporalia acquirendi et bona sua libere administrandi concederetur. Episcopatus, qui secundum praefatas conventiones cum novis limitibus redintegrati vel recens erecti fuerunt, sunt: in terris Borussicis episcopatus Vratislaviensis et Warmiensis, ambo exempti et Apostolicae Sedi immediate subiecti, archiepiscopatus Gnesno-Posnaniensis cum suffraganeo episcopatu Culmensi, et archiepiscopatus Coloniensis cum suffraganeis Paderbornensi, Monasteriensi et Trevirensi; in terris confoederationis Germanicae archiepiscopatus Friburgensis in Brisgovia, cum 4 suffraganeis, nimirum Rothenburgensi ad Nicerum in regno Wurtembergensi, Moguntino in terris magnis ducis Darmstadiensi, Fuldensi in terris principis electoris Hasso-Casselensis, Limburgensi ad Lahnam in ducatu Nassoviensi [1].

Verum principes protestantici executionem eorum, de quibus cum Apostolica Sede convenerant, parum curarunt; contra libertatem ecclesiasticam variis decretis limitaverunt, et in id continuo incubuerunt, ut ecclesiasticum regimen civili subiectum redderent [2].

Iam an. 1817 Pius VII concordatum inierat cum Maximiliano Iosepho, rege Bavariae, secundum quod constituti sunt duo archiepiscopatus, Monachiensis et Bambergensis, et 6 episcopatus, Passaviensis, Ratisbonensis, Augustanus, Wurceburgensis, Eystadiensis et Spirensis, quorum 3 priores Monachiensi, 3 posteriores Bambergensi archiepiscopatui subiecti sunt. Praeterea episcopatuum, capitulorum et seminariorum doti in bonis fundisque stabilibus, sacris electionibus, ecclesiastici regiminis rationi et libertati consultum fuit [1].

Idem Pontifex anno 1818 cum Alexandro imperatore Russorum et rege Poloniae egit de erectione 8 episcopatuum et 1 archiepiscopatus, nempe Varsoviensis, in terris Polonicis Alexandro subditis.

38. *In Belgio*—In Belgio sub rege calvinista Guilielmo I dura fuit catholicorum conditio. Is in primis IX calendas septembris 1815 Belgis constitutionem quamvis a maiori parte procerum, quorum suffragiis erat approbanda, reiectam obtrusit. Praesules cleri Belgici funestos effectus novae constitutionis, quantum ad Religionis sortem spectabat, praesagientes, iam V calendas augusti 1815 expostulationes regi obtulerant [2]. Postridie calendas augusti episcopus Gandavensis, Mauritius de-Broglie, in Instructione pastorali varios novae constitutionis articulos tanquam Religioni catholicae adversantes, notaverat. Id ipsum iidem praesules fecerunt in novo documento inscripto: *Iudicium doctrinale* (*Jugement doctrinal*) quo declararunt, praescripta per eamdem constitutionem iuramenta licite praestari non posse. Pius Pp. VII ab episcopo Gandavensi rerum statum edoctus an. 1816 ad gubernium Batavicum misit commentarium, in quo praecipue questus est de iniuria illata internuntio suo Ciamberlani, qui ad expedienda negotia ecclesiastica in Belgium missus, XIII calendas februarii 1815 gubernii iussu violenter fuerat abductus; de nonnullis constitutionis, Belgis obtrusae, articulis Religioni catholicae oppositis; de praescripto illos servandi iuramento; de vexatione episcoporum, qui contra praefatam constitutionem reclamarant; de interceptione Instructionum pastoralium eorumdem et impedita eorum libera cum Sede Apostolica communicatione. At princeps calvinista ea omnia sprevit, duriusque habuit omnes eos, qui de novi regiminis actis expostulare auderent. Quin imo episcopus Gandavensis IV nonas martii 1817 in ius vocatus, VII idus octobris sententia curiae Bruxellensis deportatione fuit

---

[1]) Pii VII Bulla, *De salute animarum*, data postridie idus iulii 1821, et altera, *Provida solersque*, data XVII calendas septembris eiusdem anni; De Schenkl, *Institutiones iuris eccl.*, p. 314 et 343, edidit Landishut. 1830.

[2]) Cf Kersten, *Journal. hist et. litt.* t. I, p. 248.

[1]) Apud Schenkl. ibid. p. 255.

[2]) Reclamatio signata erat a Mauritio de Broglie episcopo Gandavensi, C. F. Ios. Pisani episcopo Namurcensi, F. Iosepho episcopo Tornacensi, I. Forgeur vicario generali Mechliniens. et I. A. Barrett vicario generali Leodiensi, sedibus vacantibus.

condemnatus; sed iam in Galliam confugerat; et quod magis quosvis honestos offendit, haec ipsa sententia Gandavi palam in medio duorum scelestorum infami stipiti affixa fuit. Illustrissimus praesul an. 1821 Parisiis obiit.

His aliisque pluribus deinceps arbitrariis actis rex catholicorum conditionem in dies duriorem reddidit. Pius VII nihil intentatum reliquit, ut cum gubernio rem ecclesiasticam componeret; sed irriti fuerunt Pontificis conatus [1].

39. *Leo XII, Pontifex* (*an.* 1823) — Pius Pp. VII, quum 23 annis et 5 mens. Ecclesiae praefuisset, XIII calend. septemb. 1823 ad meliorem vitam evocatus fuit.—Tanti Pontificis desiderio totus ingemuit orbis, eiusque praeclarae virtutes ab omnibus certatim ecclesiis concelebratae sunt. — Cardinales postridie calend. septemb. conclave ingressi, IV calend. octobr. in locum Pii elegerunt Annibalem della-Genga, cardinalem Vrbis vicarium, virum insignis pietatis, animi excelsi et probatae prudentiae in expediendis negotiis difficillimis a duobus Praedecessoribus suis saepius adhibitum, qui nomen Leonis XII assumpsit.—Is decessoris sui prosequutus vestigia in id totus incubuit, ut una cum scientiis, ingenuisque artibus, Religio ubique floreret. Bibliothecam Vaticanam et Museum qua vetustissimis codicibus Graecis, qua numismatibus et cimeliis locupletavit; novas fundavit cathedras; collegium Philosophicum et Theologicum instituit, atque maiora decrevit scientiarum, liberaliumque artium professoribus solvenda stipendia. Ephebeum nobilibus adolescentibus erudiendis ab inchoato erexit; eiusque potissimum opera Seminarium Romanum in magnificas Divi Apollinaris aedes translatum coepit illo auspice ac duce quam maxime prosperare. Et ne quid studiosae iuventuti institutioni deesset, Congregationem Purpuratorum Patrum creavit, quibus auctoribus omnia quae studiorum disciplinam, et literarum incrementa respicerent, componerentur. Celeberrimam Divi Pauli Basilicam flammis una nocte miserrime an. 1823 absumptam ingentibus impensis tum proprio, tum a fidelibus, apposita Encyclica an. 1825 ad tantum opus excitatis, collato aere, a fundamentis instaurare aggressus est. Tiburque Anienis exundationibus labefactatum reficiendum curavit. Ad Religionem erigendam, moresque emendandos ab Vrbe adortus, omnium Ecclesiarum, locorumque piorum Visitationem Apostolicam, quae longa annorum intercapedine pene desueverat, renovavit.—Cum Georgio IV, Angliae et Hannoverae rege, conventionem confecit, qua in Hannovera episcopatus Hildesiensis et Osnabrugensis conservabantur exempti et Sedi Apostolicae immediate subiecti; de quorum circumscriptione et dotatione, canonica episcoporum electione et aliis, de quibus utrimque convenerat, VII calendas aprilis 1824 Bullam dedit, *Impensa Romanorum Pontificum* [1]. Eodem anno V nonas maii pro more ad omnes patriarchas, primates, archiepiscopos et episcopos dedit epistolam encyclicam, *Vt primum*, qua eos ad sollicitam munerum expletionem, maxime ad residentiam, ad vigilantiam contra progressum *indifferentismi* religiosi, ad piam et solidam clericorum institutionem hortatus est. Per Breve, *Cum multa in Vrbe*, datum XVI calendas iunias, Societati Iesu restituit Collegium Romanum, cuius regimen Iesuitis a Societatis initio usque ad eius suppressionem cesserat. VI calendas eiusdem mensis publicavit Bullam de Iubilaeo, anno sequenti in Vrbe celebrando, iniunctasque supplicationes, licet infirma semper usus valetudine, nudis pedibus obivit. Quod sequenti anno ad universum Orbem extensum, mirum est, quanta populorum devotione, quantoque animorum ubique lucro celebratum fuerit, praesertim Neapoli, ubi totus clerus nullis pepercit laboribus, ut qua sacramentorum, qua divini verbi administratione populi desideriis fieret satis. Armenos Catholicos inter immanis belli aerumnas pro Christi fide acerrimam persecutionem passos humanissime excepit, atque omni auxiliorum genere adiuvit. Consanguineitatis penitus oblitus, munia et ecclesiastica beneficia nonnisi viris scientia et religione spectatissimis collata voluit; et dilatandae fidei studio unice incensus, missiones in infidelium partibus strenue promovit. Monialium Ordinem Eucharistiae Sacramentum perpetuo adorantium, quem semper tutatus fuerat, etiam Neapoli propagari indulsit.—Societates occultas *Liberorum Muratoriorum* et *Carbonariorum*; iam Clementis XII, Benedicti XIV et Pii VII Constitutionibus prohibitas, rursus damnavit, veluti ecclesiasticae et civilis pacis inimicas principibus denuntiavit, et praefatorum Pontificum constitutiones

[1]) De Gerlache, *Histoire du royaume des Pays-Bas*, t. I.

[1]) Schenkl, loc. cit. p. 334.

poenasque, in iis contra societates istas latas, confirmavit litteris apostolicis, *Quo graviora*, III idus martii 1826 datis. Electiones G. Vet in episcopum Daventriensem et N. Van Santen in archiepiscopum Vltraiectinum, nullas, et utriusque consecrationem sacrilegam declaravit. Bulla, *Ad Dominici gregis custodiam*, data III idus aprilis 1827, ea, de quibus supra inter decessorem suum et principes *confoederationis* Germanicae convenerat, perfecit, determinavitque rationem eligendi et constituendi episcopos et canonicos Capitulares, recipiendi alumnos in seminaria, libere regendi ecclesias et communicandi cum Apostolica Sede [1]. Eodem anno concordatum confecit cum gubernio Batavico; at vix ullos eius effectus ante mortem suam vidit, ut infra explicabimus. Anno autem 1829, infirmae valetudini, qua iam ante pontificatum laborabat, succubuit [2].—Sedit annos 5, mens. 6, dies 11. Vixit annos 69, menses 6, dies 6.

40. *Scriptores ecclesiastici*—Inde ab exitu saeculi praecedentis usque ad haec tempora, inter scriptores ecclesiasticos floruerunt hi qui sequuntur: Michaël Angelus Luchi, Ord. s. Benedicti, R. E. cardinalis, suscepit novam editionem Bibliorum polyglottorum, scripsitque commentaria in varios s. Scripturae libros, et alia theologica, polemica, critica, moralia, maximam partem inedita conservata in Bibliotheca Vaticana. Franciscus Carolus Alter, Germanus, S. I., inter alia plurima e Mss. Bibliothecae Viennensis procuravit editionem graecam N. Testamenti. Antonius Martini, archiepiscopus Florentinus, dedit versionem italicam V. et N. Testamenti. Petrus Franciscus Viguier, presbyter Congreg. Missionis, publicavit latine et gallice Psalmos sensu prophetico expositos. Ioannes Natalis Paquot, linguae hebraicae professor Lovanii, edidit commentarium Muisii in Psalmos cum notis Bossuetii, auxit historiam sacrarum imaginum Molani et notionem temporum Petri Danes, scripsitque gallice commentaria in historiam litterariam Belgii et principatus Leodiensis. Antonius Van Gils, doctor Lovaniensis, dedit analysim Epistolarum D. Pauli et Catholicarum. I. B. Glaire, praeter Introductionem storicam et criticam ad libros Veteris et Novi Testamenti 6 tomis comprehensam, gallice conscripsit quoque adversus rationalistas biblicos opus, cui titulus: « Libri sancti vindicati ». Aloys. Vngarelli et Carol. Vercellone Congr. Cleric. Regul. s. Pauli, vulgo Barnabitarum, qui, suis scriptis, de ss. Scripturarum editione, lectione ac interpretatione optime meriti sunt. Andreas Ferrigni Neapolitanae Ecclesiae canonicus theologus in R. Vniversitate s. Scripturarum interpres, evulgare coeperat Institutiones biblicas, quibus morte praeventus extremam manum imponere haud potuit.

De re theologica scripserunt, supra laudatus M. A. Luchi. Ioannes Bapt. Lambruschini, episcopus Vrbevetanus, scripsit theologiam dogmaticam. Ludovicus Bailly, canonicus Divionensis, praeter Tractatus de vera Religione et de Ecclesia Christi, publicavit Theologiam dogmatico-moralem. Petrus Antonius Sanchez, canonicus Compostellanus, dedit Summam theologiae, Annales sacros, historiam ecclesiae Africanae, et Tractatum de tolerantia in negotio Religionis. Franciscus Florentinus Brunet, presbyter Congreg. s. Lazari, praeter Elementa theologiae latine scripta, elucubravit gallice varia opuscula polemica. Ludovicus Ægidius de la Hogue, doctor Sorbonicus, reliquit tractatus de ss. Trinitate, de Incarnatione, de Sacramentis, de Religione, de Ecclesia, et Introductionem ad s. Scripturam et historiam ecclesiasticam. Gaspar Moser, professor Lovaniensis, exaravit tractatum de impedimentis matrimonii et de iurisdictione haereticorum in articulo mortis. Ioannes Iosephus Havelange, Vniversitatis Lovaniensis professor, auctor est tractatus de infallibilitate Ecclesiae in factis dogmaticis. Hyacinthus Sigismundus Gerdil, Barnabita, R. E. cardinalis, vir omni disciplinarum genere excultus, qui adversus sophistas antiquos et novos, deistas, meterialistas, pseudopoliticos, Febronianos, aliosque Religionis et Ecclesiae hostes scripto certavit, plurimaque diversi argumenti opera elucubravit, quorum omnium collectorem nactus est discipulum suum, F. L. Fontana. Laurentius Litta, R. E. cardinalis, scripsit praecellentes epistolas super quatuor articulis declarationis Gallicanae. Alphonsus Muzzarelli, s. Poenitentiariae theologus, praeter alia, sub titulo « De bono usu logicae in materia Religionis». edidit plura multiplicis argumenti scripta ad eam spectantia. F. X. de Feller, Bruxellensis, S. I., Ecclesiae hostes et falsae scientiae venditores exagitavit in Diario historico-litterario; reliquit praeterea Catechismum philosophicum, Dictionarium historicum et geographicum, alia. M. D. Frayssinous, episcopus Hermopolis, dedit gallice defensionem Chri-

[1]) Schenkl, loc. cit. p. 358.
[2]) Artaud, *Histoire du Pp. Léon XII*, Bruxell. 1843, 2 vol. in-8°

stianismi seu colloquia de Religione. A. Barruel, S. I., scripsit gallice litteras provinciales philosophicas, alia de auctoritate Papae, item contra impugnatores Concordati an. 1801 et contra fautores revolutionis Gallicanae; edidit etiam historiam Iacobinismi et historiam cleri Gallicani sub initia turbarum istius regni. Iosephus comes de Maistre, minister regis Sardiniae, scripsit gallice Vespertina Petroburgensia, de regimine temporali divinae Providentiae, tractatum de auctoritate Papae, aliaque de Gallicanis, de principiis constitutionum politicarum. — Ioseph Rossi, Neapolitanus, exaravit tractatum de veritate Religionis Christianae. Fr. Leopoldus Br. Liebermann egregias composuit Institutiones Theologiae. Ioannes Perrone, Italus, S. I. edidit praelectiones Theologicas adversus rationalistarum errores, et alia theologica atque polemica opera.

In polemicis adnumerandi sunt: Chateaubriand, Gallus, qui inter alia sua egregia scripta edidit opus, cui titulus: *Génie du Christianisme, ou Beautès de la Religion chrétienne,* similiter aliud inscriptum: *Les Martyres, ou le Triomphe de la Religion.* Iacob Balmes, hispanus, protestantes exagitavit in suo praestanti opere, quo protestantismum cum catholica religione comparavit. I. Perrone, iam laudatus, exaravit adversus protestantes *Regulam Fidei,* et nuperrime *Apostolatum Catholicum.* Cardinalis Wiseman optime de catholica Religione meritus est in opere anglice scripto *De connexione scientiarum cum religione revelata*; siquidem totus est in eo ut ostendat quomodo ethnographiae, zoologiae, geographiae, archeologiae, orientalis philologiae, hermeneuticae aliarumque profanarum disciplinarum incrementa cum divinae revelationis veritate apprime consentiant, eamque luculenter confirment.

De historia ecclesiastica praeter praefatos Paquot, de Feller et Barruel, meruerunt Silvester Guillon, concionator regis Galliae, qui publicavit gallice Bibliothecam selectam Patrum Graecorum et Latinorum. Leopoldus comes de Stolberg, e lutherano catholicus, dedit germanice historiam Religionis Iesu Christi a mundo condito usque ad annum aerae vulgaris 430; quam inde prosecutus est F. Von Kerz. Mathias Dannenmayer, professor Vindobonensis, praeter introductionem in historiam Ecclesiae christianae universae, scripsit Institutiones historiae ecclesiasticae N. Testamenti, quae quidem caute legendae sunt. — Bar. Henrion de novo contexuit et castigavit historiam Ecclesiae, quam ediderat Berault-Bercastel. Ampliori opere Ecclesiae historiam enarravit Rohbarcher. Ruttenstoch dedit Institutiones historiae Ecclesiasticae, sed non aeque castigatas ac Epitome historiae Ecclesiasticae quod edidit Doëllinger (nunc quantum mutatus ab illo!). Ioannes Alzog publicavit satis brevem Ecclesiae historiam aspero quandoque in Pontifices stylo. Nicolaus Ioannes Cherrier edidit Institutiones historiae Ecclesiasticae, in quibus quaedam offendes minime castigata. Ioannes Palma scripsit egregias Praelectiones historiae Ecclesiasticae. Fridericus Hurter composuit Vitam Innocentii III, et Ioannes Voigt et V. Davin Vitam s. Gregorii VII. Em. Card. Mai, vere lumen odiernae sacrae literaturae novissime extinctum, amplissimos eruditionis sacrae thesauros reseravit praecipue in suis Scriptorum veterum collectionibus, et in suo *Romano Spicilegio,* quibus pro sua in veteribus manuscriptis peritia ecclesiasticas disciplinas ditavit. Iosephus Jauffret, episcopus Metensis, publicavit gallice commentaria in historia Religionis et philosophiae sub finem saeculi XVIII. Picot, qui praeter Diarium Religionis et regis, gallice edidit Commentaria in historiam ecclesiasticam saeculi XVIII. F. Georgel, S. I., reliquit commentaria in historiam finientis saec. XVIII. I. Carron, gallice dedit confessores Fidei in ecclesia Gallicana sub finem saeculi XVIII. Ludovicus Mozzi, S. I., scripsit historiam schismaticae ecclesiae Vltraiectinae, aliaque contra Iansenistas et incredulos. Ioannes Franc. Van-de-Velde, doctor Lovaniensis, inter alia publicavit synopsim conciliorum archiepiscopatus Mechliniensis, de quorum nova collectione praeclare meritus est P. F. X. De Ram.

De re liturgica scripserunt Tossanus Iosephus Romsee, seminarii Leodiensis professor, Ioannes Fornici, s. Liturgiae professor Romae, et Andreas Ferrigni, iam dictus. Accedunt Ioannes Devoti, ex episcopo Ananiensi archiepiscopus Carthaginensis, qui dedit optimas Institutiones canonicas, et Card. Soglia, Episc. Auximan. et Cingulan., qui Institutiones Iuris ecclesiastici, publici et privati, conscripsit.

41. *Catholicorum status in Anglia* — In Anglia iam inde a praecedenti saeculo catholicorum conditio pedetentim mitior reddita fuit [1]. Post unionem Hiberniae cum Anglia sub eadem curia, an. 1800 sancitam, Catho-

[1]) Vid. p. 281.

lici Hiberni, Angli et Scoti, instanter supplicarunt, ut sibi iurium civilium usus integer restituerentur. Iam inde ab anno 1805 in concilio regio de emancipatione, ut vocabant, catholicorum actum est. Gubernium ad satisfaciendum illorum petitionibus inclinabat, modo sibi ius approbandi episcoporum nominationes et inspiciendi eorum cum Apostolica Sede relationes concederetur. Haec res inter ipsos catholicos divisionem excitavit; nonnulli istas clasulas tolerandas esse censebant; alii, praesertim Hiberni, eas reprobabant. Anno 1808 episcopi Hiberni in unum congregati easdem clausulas, tanquam libertati ecclesiasticae oppositas, reprobarunt. Id ipsum fecerunt in aliis congregationibus, an. 1810 et 1815 habitis. In *Camera Communi*, ut vocant, multi deputati emancipationi catholicorum favebant, sed Clerus anglicanus et proceres eidem acriter adversabantur. Ea tandem an. 1813 et deinceps continuo in Cameris proposita et semper reiecta, an. 1829 sine praefatis clausulis approbata et sancita fuit.

Ex hoc tempore catholici non solum iuribus civilibus potiti sunt, sed eorum numerus continuo auctus est, adeo ut an. 1839 in Anglia 446 ecclesias, 17 monasteria et 9 collegia seu seminaria, in Scotia 67 ecclesias et 1 collegium numerarent. Hodie fere quotidianae sunt Anglicanorum, praesertim ex eruditis et clero, ad Romanam Ecclesiam conversiones, ad quas efficiendas non parum contulerunt Puseystarum studia. Hi sic appellati a Pusey, doctore Oxoniensi, inde ab an. 1833 theologiam anglicanam instaurandam susceperunt, non secundum novatorum saec. XVI trutinam, sed secundum veterum Patrum traditionem. Quo effectum est, ut non solum in nonnullis articulis controversis ad catholicorum doctrinas accesserint, sed eorum plures, veritate conspecta, ad R. Ecclesiae gremium reversi fuerint et passim revertantur. In Scotia etiam catholicorum numerus ita auctus est, ut, iuxta *Catholic Directory* anni 1865, tribus Vicariatibus apostolicis, quibus partita est Scotia, adnumerabantur 178 presbyteri, 107 ecclesiae vel cappellae, 4 religiosorum coenobia, 13 monasteria collegiaque 2.

42. *In Statibus-Vnitis* — In America confoederata seu Statibus-Vnitis Religio catholica bene incredibilia cepit incrementa, tum haereticorum conversione, tum Europaeorum in eas terras migratione. Anno 1838 illic numerabantur 17 episcopatus, 538 ecclesiae aut stationes, 28 seminaria seu collegia, 38 xenodochia, in quibus ministrabant moniales Charitatis. Eorum omnium numerus inde adeo auctus est, ut an. 1866 concilio nationali Baltimorae (quae omnium prima an. 1789 ad episcopalem sedem evecta fuit, et cuius primae dioecesanae synodo tantum interesse potuerunt 22 presbyteri) adnumerabantur 7 archiepiscopi, 38 episcopi, 1 administrator, et 1 Vicarius Apostolicus. Ibi eodem anno catholici habebant 1500 presbyteros, 2,000 templa, 30 seminaria, 12 religisos Ordines, 50 collegia, 60 monialium domus plus 100 xenodochia et beneficentiae institutiones.

43. *Pius VIII, Pontifex* (*an.* 1829)—Interea Leone XII IV° idus februarii 1829 defuncto, pridie calendas aprilis ad summum Ecclesiae regimen electus est Franciscus Xaverius Castiglioni, Cardinalis episcopus Tusculanus et Maior Poenitentiarius: qui in memoriam Pii VII, cui amicissimus extiterat, et a quo ei praedictum fuisse pontificatum fama est, assumpsit nomen Pii VIII.—IX calendas iunii pro more encyclicam epistolam dedit ad omnes catholici orbis antistites, in qua amare deplorat progressionem impietatis et societatum occultarum, contra quas decessorum suorum decreta confirmat; queritur etiam de propagatione perversorum librorum, deque pravis doctrinis, quibus adolescentes in multis gymnasiis et lyceis imbuuntur; hortatur episcopos, ut constanter istis malis obstent, clericorum institutioni invigilent, et sanctitati matrimonii consulentes populum christianum edoceant, illud non terrenis, sed sacris rebus esse accensendum, ideoque Ecclesiae legibus omnino subiici; deinde Iubilaeum indixit. VIII calendas aprilis 1830 epistolam, *Litteris altero abhinc anno*, in forma Brevis, scripsit ad archiepiscopum Coloniensem atque episcopos Trevirensem, Paderbornensem et Monasteriensem, in quibus rationem, quam in causa matrimoniorum mixtorum sequerentur, praescripsit. Pontificis litteris adiuncta erat Instructio cardinalis Albani, ad eamdem rem spectans. Tanta in Pio VIII, praesertim sacrorum canonum scientia eluxit, tantaque in sacris muneribus expediendis dexteritas, ut omnes de ipsius Pontificatu maximam spem conciperent; sed illum adversa semper usum valetudine, dum optima quaeque a suis praedecessoribus constituta sarta tectaque servare curaret, ac maiora pro Ecclesiae bono moliretur, eripuit praepropera mors, pridie calendas decembris 1830. Sedit an. 1, mens. 8.

44. *Gregorius XVI, Pontifex* (*an.* 1831)—

Post Pii VIII obitum Apostolica Sedes vacavit usque ad postridie calendas februarii 1831, qua die electus fuit Gregorius XVI, Bellunensis, antea Maurus Cappellari, Ordinis Camaldulensium abbas et vicarius generalis, R. E. cardinalis, vir pietate, doctrina, innocentia et gravitate morum, prudentia et constantia spectatissimus; qui propter emergentes undique tempestates opportunissime Ecclesiae praefectus est. Electionem eius mox subsecuta est popularis commotio in Legationibus, tempore Sedis vacantis a *Carbonariis* excitata, quam tamen brevi compresserunt copiae auxiliares ab imperatore Austriaco missae. Cum autem RR. Pontifices in ipsis civitatum regnorumque vicissitudinibus, commutationibus aut de principatu contentionibus, quibus variae Europae regiones hoc tempore agitatae erant, negligere minime queant quae ad rectam rei sacrae procurationem et animarum salutem magis expediant; cumque haec ipsa eorum sollicitudo in invidiam rapi posset, quasi studio partium adrepti, quodammodo iudicium ferant de personarum iuribus, dum pluribus de principatu contendentibus quidpiam pro illarum regionum ecclesiis decernunt; Gregorius XVI, cal. augusti 1831, per Constitutionem, *Sollicitudo ecclesiarum*, id ipsum, quod iam pro similibus casibus declararant Clemens V, Ioannes XXII, Pius II et Xystus IV, declaravit: nimirum RR. Pontifices, dum ad componenda spiritualia ecclesiarum fideliumque regiminis negotia, aliquem titulo cuiuslibet dignitatis etiam regalis honorant, aut propter easdem causas cum eo, qui reipublicae praeest, tractant, prorsus alienos esse a politicis contentionibus, quarum participes esse nolunt, aut ullum ius tribuere iis, quibus cum agunt, aut quicquam caeterorum iuribus aut privilegiis detrahere. XVIII calend. septembris 1832 celeberrimam dedit ad omnes patriarchas, primates, archiepiscopos et episcopos epistolam encyclicam, qua indicabat praecipua mala, quibus Ecclesia affligebatur, et antistites hortabatur, ut ad medendum his malis omnem vigilantiam adhiberent; querebatur maxime de novarum doctrinarum progressu, de licentia quaelibet scribendi et imprimendi, de *indifferentia* in negotio Religionis. Anno sequenti idib. decembr. litteras in forma Brevis, *Maiori certo solatio*, dedit ad episcopos Belgii, quorum fervorem, vigilantiam et erga Apostolicam Sedem observantiam laudavit, et eorumdem precibus annuens, iis potestatem fecit erigendi catholicam studiorum Vniversitatem. VII calendas iulias 1834 alteram publicavit epistolam encyclicam, *Singulari nos*, qua doctrinam philosophico-politicam F. De-la-Mennais, quam iam in priori encyclica perstrinxerat, expressius reprobavit. Pridie idus septembris Instructionem, *Litteris iam inde*, dedit ad episcopos Bavariae de matrimoniis mixtis. Anno 1835, XVI calend. iunii, encyclicam epistolam, *Commissum divinitus*, scripsit ad episcopos, capitula, parochos clerumque Helvetiae contra usurpationes potestatis civilis in ecclesiasticam. Brevi, dato VI calendas octobris, condemnavit opera Georgii Hermes, in Vniversitate Bonnensi theologiae professoris. Anno 1839 in Ssrum numerum retulit Alphonsum M. de Ligorio, Franciscum de Hieronymo, Pacificum a Sancto-Severino, Ioannem Iosephum a Cruce, et Veronicam Iuliani. XVIII calendas septembris 1840 rursum ad omnes patriarchas, primates, archiepiscopos et episcopos encyclicam epistolam, *Probe nostis*, dedit, qua expositis malis, quibus Ecclesia in variis regionibus affligitur, et laudatis in aliis Religionis incrementis et prosperitate, antistites excitavit ad sollicitam munerum suorum expletionem. Maximo dolore affectus fuit propter persecutiones et molestias, quas Ecclesia in Russia, Borussia, Lusitania et Hispania subiit. De istis persecutionibus moestas fecit quaerimonias cum Nicolao I Russorum autocrate, cum hic Neapolim petens, Romam, invisendi Pontificis gratia, diversatus est. Interim nihil omisit eorum, quae muneris sui erant, ad defendendam Ecclesiae causam et levandas catholicorum indigentias, uti constat ex allocutionibus, declarationibus litterisque, quas iis de rebus habuit et edidit. Plures episcopatus et vicariatus apostolicos in diversis orbis partibus creavit. Litterarum, scientiarum artiumque studia et culturam summopere fovit. Ad addendos virtuti stimulos novum Ordinem equestrem s. Gregorii instituit. Forum Romanum multis impensis totum effodi, ac perlustrari iussit, et ita non pauca antiquitatis monumenta in lucem edita sunt. In Pontificia ditione publicae rei administrationem optimis legibus reddidit faciliorem aequioremque. Cultum, quem Neapolitani B. antistiti Fortunato ab immemorabili adhibuerunt, ex s. Congregationis Rituum consulto auctoritate Apostolica confirmavit. Alia plura praeclare gessit, quae Pontificatum eius celeberrimum reddiderunt.

45. *Religionis status in Gallia*—Interea Ludovicum XVIII regem Galliae an. 1824 defunctum excepit Carolus X, frater eius,

princeps bonus, sed futurorum minus providus, sub quo adversariorum regiminis ac Religionis audacia magis magisque aucta est. Hi quidem contra solam Iesuitarum institutionem et influxum declamare videbantur, sed eo nomine et Religionem et regiminis formam atque auctoritatem impetebant, scripta Religioni et regimini funesta, maximo numero vulgabant, numerum deputatorum, qui in cameris gubernii conatibus refragarentur, augebant. Gubernium vero sua timiditate, inertia et immodica erga adversarios indulgentia propriam et Religionis causam deprimebat. Anno 1828, XVI calendas quintilis, edicta publicavit, quibus Iesuitarum collegia supprimebantur, numerus adolescentium, ab episcopis in minora seminaria admittendorum limitabatur, aliaque nonnulla, ad eamdem rem spectantia sanciebantur, quae episcopi regni bono animo suscipere iure non potuerunt: quare postulationes supplices regi obtulerunt adversus praefata edicta; rex autem ea nonnihil modificavit. Verum ubi VIII calendas sextilis 1830 prodierunt decreta de reprimenda typographica licentia et immutanda electionum forma, motus civiles Parisiis excitati sunt, et post cruentam 3 dierum pugnam rebelles praevaluerunt. Parisiorum rebellionem secutae sunt reliquae regni civitates. Carolus X exauctoratus et e regno relegatus est; eius locum occupavit Ludovicus Philippus dux Aurelianensis, qui proclamatus fuit rex Francorum. Inter hos tumultus res ecclesiasticae graviter concussae sunt; in nonnullis locis episcopi, viri ecclesiastici et religiosi a seditiosis vexati sunt. Verumtamen tranquillitas et priscus rerum status sub Philippo rege I pedetentim redierunt. Postulante eodem rege, Gregorius Pp. XVI ad Religionis catholicae decorem et propagationem in Algerio (antiqua Numidia et Mauritania), iam inde ab an. 1830 armis Gallorum subdito, an. 1838 Bulla, data IV idus augusti, creavit sedem episcopalem Iuliae-Caesareae (*Algeri*), postea a Pio IX, duabus suffraganeis *Costantinian*. et *Oranen*. recens erectis, in metropolitanam evectam.

46. *In Belgio*—In Belgio Guilielmus rex I non modo violentis decretis subditorum animos offendebat, sed ipsam Religionem catholicam, cui Belgae addictissimi sunt, continuo impetebat. Anno 1825, vias Iosephi imperatoris II secutus, Lovanii in eadem domo, in qua ille seminarium generale, instituit collegium philosophicum, prohibuitque, ne qui in seminaria dioecesana admitterentur, nisi prius huius collegii scholas frequentassent. Haec res Belgarum catholicorum querelas auxit. Princeps de Mean, archiepiscopus Mechliniensis, et caeterarum dioeceseon Ordinarii expostulationes suas regi obtulerunt. Nonnulli etiam deputati in statibus generalibus Religionis causam libera voce defenderunt. Gubernium, ut expostulantibus fucum faceret, an. 1827 cum Leone Pp. XII concordatum iniit, quo conventio an. 1801 inter Pium VII et primum Gallorum consulem confecta pro omnibus regni Belgici provinciis assumebatur, mutato tamen articulo XVII de episcoporum nominatione; 5 sedes episcopales, nimirum Mechliniensis metropolitana, Leodiensis, Namurcensis, Tornacensis et Gandavensis, conservabantur, et 3 novae Brugensis, Buscoducensis et Amstelodamensis creabantur. Verum Belgarum laetitia e publicato concordato concepta brevis fuit propter malam fidem, qua gubernium in exequendis pactionibus utebatur. Tandem Belgae, gravaminum tum temporalium tum religiosorum pertaesi, an. 1830 iugum Batavicum excusserunt, novam constitutionem sibi confecerunt, et in primum Belgarum regem elegerunt Leopoldum, principem Saxo-Coburgensem. Sic Guilielmus I provincias meridionales amisit. Quinimo ipsos Batavos regimini suo parum deditos expertus, an. 1840 regnum cessit filio suo Guilielmo II.

Quum in Belgio vi novae constitutionis regimen ecclesiasticum a civili sit independens, summaque vigeat religionum libertas, episcopi ecclesias libere administrant, conventus agunt, cum Apostolica Sede communicant, et praeter alia, auctoritate Gregorii Pp. XVI e piis fidelium votis catholicam studiorum universitatem crearunt, quae pridie nonas novembris 1834 Mechliniae coepta, et kalendis decembris anni sequentis Lovanium translata, discipulorum frequentiae et disciplinae ac scientiarum laude florescit. Mox etiam Ordines religiosi resuscitati mira incrementa ceperunt.

In Hollandia etiam, seu septentrionalibus veteris Belgii provinciis, sub Guilielmo rege II maior libertas, quantum ad Religionis negotium spectat, catholicis facta est.

47. *In Borussia*—In Borussia Fridericus Guilielmus rex III, quamvis an. 1821 cum Apostolica sede concordatum iniisset, multifariis et abstrusis viis Religionem catholicam persecutus est, sensim eius libertatem iuraque infringens, eoque studia sua collineans, ut pedetentim omnes subditi ad unam religionem lutheranam adducerentur. In hunc finem id ipsum, quod iam an. 1803 sanciverat pro

provinciis orientalibus, XVI calendas septembris 1825 meridionalibus provinciis praescripsit, nimirum ut in matrimoniis mixtis liberi utriusque sexus in religione patris educarentur; unaque sacerdotibus interdixit, ne a personis matrimonia huiusmodi contracturis ullam exigerent super religiosa nasciturae prolis institutione sponsionem. Haec res episcopos et sacerdotes in magnas anxietates coniecit; quum eiusmodi matrimonia legis naturalis, divinae ac ecclesiasticae regulis opposita, nullo modo probari possint. Anno 1828 Episcopi suas anxietates Apostolicae Sedi exposuerunt, ut eas suis responsis auferret. Hinc Pius VIII, VIII° cal. aprilis 1830, epistolam in forma Brevis, *Litteris altero abhinc anno*, dedit ad archiepiscopum Coloniensem atque episcopos Trevirensem, Paderbornensem et Monasteriensem, eisque rationem praescripsit, quam in causa matrimoniorum mixtorum sequerentur. Pontificis litteris instructionem, *Sanctissimus Dominus*, addidit cardinalis Albani. Verum gubernium Apostolicae Sedis responsis minime contentum, ea secreta tenuit et episcopis haud communicavit; quumque per suum oratorem a Gregorio XVI nova in praesenti negotio temperamenta frustra postulasset, an. 1834 inter gubernium et archiepiscopum Coloniensem atque episcopos Trevirensem, Paderbornensem et Monasteriensem convenit de aliquot regulis a sacerdotibus circa matrimonia mixta observandis, sed quae minime cum litteris Pii VIII componi poterant, et nova temperamenta a Gregorio XVI reiecta probabant. Paulo post archiepiscopus Coloniensis comes de Spiegel, vir nimium mobilis ad nutum gubernii, decessit. Episcopus Trevirensis de Hommer, anno 1836 letali morbo correptus errorem suum confessus est retractavitque, datis IV idus novembris ad Gregorium Pp. XVI litteris. Pontifex autem contra modum, quo praefati episcopi Breve Pii VIII intepretati fuerant, et contra praescriptas ab iis regulas reclamavit in litteris, a cardinali Lambruschini, secretario Status, idibus martii 1836 et III nonas februarii 1837 datis ad oratorem regis Borussiae.

Quum vero novus archiepiscopus Coloniensis, Clemens Augustus Droste de Vischering, tum quantum ad matrimonia mixta spectabat, tum in causa Hermesianorum, seu eorum, qui damnatam Georgii Hermes doctrinam defendebant, Apostolicae Sedis sententiis et instructionibus inhaereret, V calendas decembris 1837 gubernii iussu a sede sua violenter abductus et Mindae in Westphalia carceri mancipatus fuit. Inde turbatio gravis in archidioecesi Coloniensi secuta est. Eadem de causa gubernii persecutiones subiit M. Dunin, archiepiscopus Gnesno-Posnaniensis. Gregorius Pp. XVI in allocutione habita IV idus decembris, dolorem suum propter illatam archiepiscopo Coloniensi, simulque Ecclesiae et Apostolicae Sedi maximam iniuriam, cum Cardinalibus communicavit, et contra eamdem reclamavit. Gaspar Maximilianus, episcopus Monasteriensis, et Fridericus Clemens, episcopus Paderbornensis, quum cognovissent, modum quo Breve Pii VIII interpretati fuerant, et regulas quas an. 1834 circa matrimonia mixta praescripserant, ab Apostolica Sede improbari, initio an. 1838 datis ad ministrum regium Von Altenstein litteris, ea omnia improbarunt, seque deinceps pontificium Breve circa matrimonia mixta secuturos declararunt. Demum an. 1840 rex Fridericus Guilielmus III obiit, et sub eius filio atque successore Friderico Guilielmo IV, simultates compositae sunt.

48. *In Russia et Polonia* — In Russia eique unito regno Poloniae maxime tristis est catholicorum conditio. Vidimus supra quas tribulationes catholici ritus graeci subierint sub imperatrice Catharina II[1]. Post eius obitum (1796) sub Paulo I, qui usque ad an. 1801, et Alexandro I, qui inde usque ad 1825 imperavit, persecutiones quidem sopitae sunt, sed schismatici ecclesias, Graecis unitis ereptas retinuerunt, et qui ab unitate catholica deflexerant, in schismate permanere iussi sunt. Nunc conditio catholicorum, tum latini tum graeci ritus, multo deterior reddita est. In primis quantum ad catholicos ritus graeci pertinet, omnis generis artes et vexationes adhibitae sunt, ut ab unitate ad schisma perducerentur: ecclesiarum numerus sensim imminutus, monasteria multa suppressa, silentium de controversis catholicos inter et schismaticos articulis praescriptum, missale ecclesiae Russicae Graecis unitis obtrusum, proceres cleri promissis, favoribus, minisque paulatim in partes gubernii pertracti, in multas ecclesias sacerdotes schismatici aut schismaticis gubernii studiis dediti, intrusi, et populi inviti ad frequentanda eorum sacra compulsi, omnis communicatio in divinis inter clerum graeco-unitum et romanum seu latinum interdicta. Quibus aliisque pluribus seductionis et persecutionis artibus tandem

---

[1]) Vid. p. 282.

effectum est, ut 3 episcopi, nimirum Iosephus episcopus Lithuaniae, Basilius episcopus Orchae, administrator dioeceseos Russiae albae, et Antonius episcopus Brestae, suffraganeus dioeceseos Lithuaniae, cum cleri et populi sibi crediti parte, a communione R. Ecclesiae ad schisma Ruthenicum transierint. Etenim 3 praefati praesules, pridie idus febr. 1839, litteris suo suique gregis nomine ad imperatorem datis, supplices emiserunt voces, quibus in ecclesiam Graeco-Russicam aggregari postulabant. Eodem anno schismaticae synodi, Petropoli sedentis, decreto et imperatoris sanctione aggregatio episcoporum istorum clerique ac populi, qui antea Romanae ecclesiae pars fuerant, in ecclesiam Graeco-Russicam confirmata et sollemniter concelebrata est. Vix credi potest, quanta violentia exaggitati fuerint ii omnes, qui nec artibus illusi, nec minis perterriti, nec exempli pravitate seducti, firmiter in catholicae communionis vinculo perstiterunt.

Non solum Graeci-uniti, sed etiam catholici ritus latini in Russia atque Polonia persecutioni obnoxii sunt. Eaedem pene adversus Catholicos Romanos, quas contra Graecos factas diximus, seductionis et persecutionis artes adhibitae sunt; multae ecclesiae catholicis ademptae, pluribus parochiis, utut invitis, sacerdotes schismatici praepositi, populi in multis locis ad communicandum cum schismaticis sacerdotibus vi compulsi, aliaque plura sic comparata, ut in universo Russorum dominio Religio catholica aboleretur [1].

Quantum autem ex illatis Religioni catholicae in Russia malis dolorem conceperit Gregorius Pp. XVI, quantaque sollicitudine catholicorum in iis partibus indigentias levare studuerit, constat ex allocutionibus, quas X calendas decembris 1839 et IV idus quintilis 1842 ad Cardinales habuit.

49. *In Lusitania*—In Lusitania ab an. 1832 magna rei ecclesiasticae perturbatio excitata est. Etenim Ioannes rex VI, an. 1826 defunctus, successorem scripserat filium suum Petrum imperatorem Brasiliae; qui cum propter absentiam suam solio Lusitaniae secundum regni leges potiri non posset, reginam declaravit Mariam filiam suam quinquennem. Verum regni Ordines sibi regem elegerunt Michaëlem fratrem Petri et Mariae patruum, qui usque ad an. 1832 regni gubernacula tenuit. Petrus an. 1830 a Brasiliensibus exauctoratus et ad imperium concedendum filio suo puerulo coactus, adversus Michaëlem fratrem suum expeditionem in Lusitaniam paravit. An. 1832 Michaële superato et Lusitania eiecto, Petrus regno potitus, bellum intulit Religioni. In primis Apostolicae Sedis nuntium regno exire iussit; patres Iesuitas expulit; omnes episcopos, quos rex Michaël nominaverat et R. Pontifex canonice instituerat, deiecit, eorumque sedes declaravit vacantes; ad has aliasque nonnullas sedes, quarum titulares e regno aufugerant, viros denominavit partibus suis deditos; V calendas iunii 1834 omnia monasteria, collegia, xenodochia, aliaque cuiusvis Ordinis religiosi instituta in Lusitania et in cunctis Lusitanorum terris abolevit, eorumque bona nationi addixit; alia plura, Ecclesiae et Apostolicae Sedis iuribus, libertatibus et immunitatibus contraria, decrevit. Contra quae omnia Gregorius Pp. XVI in allocutionibus, pridie calendas octobris 1833 et calendis augusti 1834 ad Cardinales habitis, apostolica animi constantia reclamavit.

Quum Petrus ecclesias in Lusitania ita vexaret, VIII calendas octobris 1834 ex hac vita raptus est. Post eius mortem status ecclesiarum haud quietior fuit, sed quas ipse inceperat vexationes, continuarunt regni administri sub Maria regina. Gregorius Pp. XVI, calendis februarii 1836, in consistorio rursus dolorem suum e malis Ecclesiae in Lusitania illatis conceptum cum Cardinalibus communicavit: maxime quum nonnulli praesules a gubernio nominati contra omne ius sibi ecclesiarum administrationem usurparent. Anno demum 1841 relatione inter gubernium Lusitanicum et Apostolicam Sedem instaurata, Gregorius XVI anno sequenti Olisipponem delegavit internuntium F. Capaccini, cuius opera res ecclesiasticae in Lusitania utcumque compositae fuerunt *.

[1]) *Persécution et souffrances de l'Église catholique en Russie* par un ancien Conseillier d'Etat de Russie, Louvain 1841, in-8°.

*) Verum cum principia ac doctrinae, quibus societas secreta *iuvenis Europae* regitur, leges et lusitanum gubernium non paucis abhinc annis informent, Ecclesiae iura, bona, pastores, fideles ibi adhuc divexantur. Lusitanii gubernii administri eo audaciae devenerunt, ut vellent *regium placitum* etiam litteris pastoralibus Episcoporum apponere; libri atque ephemerides sanctissimae Christi Religioni adversantes libere et impune in lucem prodierunt ac prodeunt; quisquis S. Romanae Sedis rebellis existit, lusitani Gubernii protectionem experitur; et malae ipsius Gubernii fidei tribuendum est Goanum schisma, de quo alibi dicemus. Hinc sapientissimae Litterae Encyclicae SS. Pii PP. IX ad Epi-

50. *In Hispania* — In Hispania etiam Ecclesia motibus ingentibus obnoxia fuit. Ferdinandus rex VII, abolita lege salica, regni haeredem scripserat Isabellam II, suam e Maria Christina filiam, regnique regentem et Isabellae tutricem ipsam Mariam Christinam. Vi autem legis salicae Ferdinando succedebat Carolus frater eius, tunc temporis exul. Post regis obitum (1834) regina vidua, nomine Isabellae II filiae suae, regimen suscepit, eiusque causae mox faverunt quicumque inquieti, ambitiosi, regis auctoritatis et Religionis hostes. Carolus per fratris sui testamentum iure solii expoliatus, illud armis vindicare sibi proposuit, exercitum collegit, qui continuo auctus est, plures civitates et provinciae eum regem salutarunt, alias pulsis Christinae exercitibus ad obsequium suum perduxit, victorias plures de hostibus retulit, raraque fortitudine bellum prosecutus est usque ad an. 1839, quo, propter perfidiam et proditionem belliducis sui Maroto, in Galliam confugere coactus fuit. Interim sub Mariae Christinae gubernio licentia et anarchia invaluerunt. Anno 1834 Matriti monasteria armata manu occupata, spoliata, devastata, multi religiosi interfecti sunt. Quae facinora aliae quoque urbes expertae sunt. Anno 1835 èt sequentibus Ordines religiosi suppressi sunt, eorumque bona a gubernio occupata et vendita. Pari modo ecclesiarum bona et ornamenta publicata atque divendita fuerunt. Episcopi et sacerdotes vexati, in carceres detrusi aut ex Hispania relegati sunt; nominati ad sedes vacantes a regni regente episcopi, spretis sacris canonibus, ecclesiarum administrationem sibi usurparunt; plurimi clerici, monachi et moniales ad summas indigentias redacti; res ecclesiasticae universim tristissimum in statum coniectae fuerunt. Anno 1840 ipsa regni regens, Maria Christina, tantorum malorum complex, a suis deserta, Hispaniam reliquit. Ex hoc tempore summa rerum fuit apud belliducem Espartero, qui mala Religioni illata non reparavit, sed potius auxit, tribunal Rotae, ad quod ecclesiastica negotia deferebantur, suppressit, Iosephum Ramirez de Arello, vices nuntii apostolici in Hispania gerentem, regno eiecit, bona ecclesiastica cleri saecularis vendi iussit, aliaque plura nefanda perfecit.

Tanta mala, Religioni catholicae in Hispania illata, summo dolore affecerunt Gregorium Pp. XVI, qui nihil praetermisit, ut gubernium Hispanicum ad aequiorem mentem revocaret, dissidia componeret, et ecclesiarum statui in illo regno consuleret, ut ipse testatus est in allocutionibus, calendis februarii 1836 et calendis martii 1841 coram Cardinalibus habitis. Cumque surdis caneret auribus, VIII calendas martias 1842 litteras apostolicas publicavit, quibus ob infelicem Religionis statum in Hispaniae regno preces publicas commendavit indixitque, concessa indulgentia plenaria in forma Iubilaei.

Anno sequenti magna rerum mutatio facta est. Espartero a statibus publicis et militia desertus et reiectus, ex Hispania aufugere coactus est. Gubernium sub Isabella II regina aequiora consilia iniit, missoque Romam oratore, de componendo ecclesiarum statu tractare coepit.

51. *Pius IX, Pontifex* (*an.* 1846)—Ex iis quae breviter de statu ecclesiarum in diversis orbis partibus diximus, facile colligitur, quantas tribulationes atque difficultates summus pontifex Gregorius XVI fuerit expertus, cuius prudentiam atque constantiam in gubernanda inter tot tempestates Ecclesia laudabit omnis posteritas. Obiit hic Pontifex calendis iunii 1846. Cardinales postridie eiusdem mensis idus conclave ingressi, XVI calendas iulias Pontificem elegerunt cardinalem Ioannem Mastai-Ferretti, episcopum Fori-Cornelii seu Imolae, qui nomen Pii IX assumpsit.

scopos illius ditionis, III idus iulii 1862 datae, quibus et Ecclesiae mala ac damna in Lusitania, et defectum Pastoralis vigilantiae lamentabatur. Summopere dolebat Pontifex, quod ne unus quidem ex Antistitibus lusitanis Romam adesset ad festum celebrandum Canonizationis SSrum Martyrum Iaponiensium, quando cum ceteris catholici orbis Pastoribus fuerant invitati. Silentio praeterire hic non possumus, Antistites ipsos morem gessisse Summo Pontifici, Vrbem petientes, quum ad Vaticanam Synodum postea eos convocavit.

APPENDIX

AD HISTORIAM ECCLESIAE POST MEDIVM SAECVLI XIX

1. *Pius IX, Pontifex* — Is Senogalliae in Vmbria natus est III idus maias an. 1792 ex illustri familia comitum Mastai-Ferretti, ac Pio VII ob eximias animi sui dotes, virtutumque ornamenta admodum carus, quocum propinquitatis etiam vinculis iunctus erat. Adhuc iuvenis inter praetorianos milites Romae adscribi exoptavit, sed Deo ad altiora ipsum evocante, adversa valetudine praepeditus est; hinc ipsius Summi Pontificis suasu clericali militiae nomen dedit, in qua adhuc tyro tanta diligentiae, ac virtutum, praesertim caritatis, dulcedinis ac mansuetudinis, laude excelluit, ut iure omnes de ipso sint multa ac magna ominati. Praecipuas sacri ministerii curas primum impendit in Hospitio puerorum indigentium, quod Ioannes Borgi hoc ineunte saeculo Romae fundaverat, tum in altero, quod nomine *Sancti Michaëlis ad Ripam magnam* nuncupatur, cuius praeses etiam electus est. Anno 1823 ab eodem Pio VII comes adiunctus Mutio Vicario Apostolico in Chilium, magnam ostendit peritiam in difficillimis Ecclesiae negotiis expediendis. Post biennium redux a Leone XII, qui Pio VII in Romano Pontificatu eodem an. 1823, IV calendas octobris, successerat, Praelatorum insignibus et canonicatu Ecclesiae sanctae Mariae in Via Lata ornatus est. Tum an. 1827, idem Leo XII, eum creavit Archiepiscopum Ecclesiae Spoletinae, e qua post plurima edita prudentiae ac sapientiae argumenta, anno 1832, a Papa Gregorio XVI ad Fori-Cornelii sedem translatus est, ubi dum vigilis bonique pastoris munere fungebatur an. 1840 ab eodem Pontifice Cardinalatus infula sub titulo ss. Petri et Marcellini condecoratus est. Demum XI calendas iulii an. 1846, demortuum Gregorium XVI, universa Vrbe plaudente, in Petri Cathedra excepit.

Innumera pene sunt huius Pontificis erga Romanam Catholicam Ecclesiam praeclara merita. Enimvero V idus novembris 1846 miranda encyclica, *Qui pluribus* ad omnes orbis Episcopos scripta, eos vehementer hortatus est, ut episcopali robore et constantia adversus teterrimum humani generis hostem dimicantes, veluti boni milites Christi Iesu, strenue sese opponerent murum pro domo Israel, et serpentium errorum monstra, quibus veritatis osores Ecclesiam civilemque societatem adoriuntur, sedulo prosternerent, ovesque sibi commissas ab venenatis pascuis arcerent, ad salutaria propellerent, et qua opere, qua verbo, qua exemplo ad aeternae salutis portum deducere conarentur. Nequissimas Rationalistarum artes detexit, qui sibi philosophorum nomen arrogantes, praepostero ac fallaci argumentandi genere nunquam desinunt humanae rationis vim extollere, et contra sanctissimam Christi fidem audacissime deblaterare, asserentes eam humanae refragari rationi. Clandestinas et secretas sectas in sacrae et civilis rei perniciem, iam a suis decessoribus damnatas, iterum reprobavit. Commentitium systema indifferentismi in re religiosa, Communismi monstrum, et effraenatam cogitandi, loquendi scribendique licentiam in morum ac fidei damnum fortiter est detestatus. Vt divinum auxilium, ad insidias hostium e dominico grege arcendas, et catholicam Ecclesiam sapienter gubernandam imploraret, XII calendas decembris eiusdem anni litteris apostolicis, *Arcano divinae Providentiae consilio* Iubilaeum universale indixit. Probe noscens in quantis rerum ac temporum difficultatibus versaretur, nihil intentatum reliquit, ut summo Ecclesiae bono prospiceret, ac Pontificiae ditionis subditos bonis omnibus locupletaret. Publicam administrationem, qua opus erat, instauravit, iudiciorum ordinem, habita temporum ratione, composuit, industriam promovit. Raro clementiae exemplo libertate donavit eos omnes, qui rebellionis nomine detinebantur, tum exules in patriam revocavit. Equestrem Ordinem an. 1847 creavit, qui *Pianus* ab eius nomine dictus fuit. Inde ab initio sui Pontificatus respexit in diversas Orientis ac finitimarum regionum nationes, atque Litteris, diei bianuar. 1848, *In suprema Petri* valde hortatus est eos omnes, qui a communione apostolicae Sedis alieni sunt, ut redirent ad catholicam unitatem. Nec unquam cessavit eos passim ad hoc sollicitare, uti etiam ostendit novissima encyclica *Christus Redemptor*, quam VI idus aprilis 1862 ad omnes Orientis episcopos conscripsit. Pro integra regularis disciplinae observantia novam Cardinalium

Congregationem *De Statu Regularium Ordinum* Romae instituit. Inter haec suae apostolicae sollicitudinis opera omnibus omnia factus mira mansuetudine, pietate ac beneficentia praestitit. Praecipua eius cura fuit pauperibus, quos vere singulari prosequitur benevolentia, subvenire, infirmos in nosocomiis degentes sublevare, scientiis artibus et litteris patrocinari. Veterem viam Appiam instauravit; portam Pancratianam, quam an. 1848 factio seditiosorum deformaverat, splendidiore cultu restituit, et statione praesidiorum et portitorum communiit; vias ferreas axibus constratas ab Vrbe ad fines Neapolitani regni prope mare mediterraneum ob mutua commercia deducendas curavit; columbarium extra portam Capenam ad Cae'iolum instauravit, et literatis lapidibus monumentorum veterum instruxit; subversis molibus et ruderibus egestis reliquias basilicae Iuliae restituit. Patriarchalem Basilicam Ostiensem dira incendii vi an. 1823 penitus consumptam, quam Leo XII, Pius VIII et Gregorius XVI magni sumptibus splendidius quam antea, reaedificandam susceperant, Pius ipse IX ad exitum perduxit, et IV idus decembris 1854 dedicavit tanta cum sollemnitate, quantam nunquam alia, nisi forte perraro, vidit aetas ob ingentem Cardinalium et Episcoporum frequentiam, qui ex dissitis etiam catholici orbis regionibus Romam advenerant, irreformabile Pontificis decretum fidei de immaculata B. M. V. Conceptione instantissime exposcentes. Templum divae Agnetis martyris ad forum Agonale exornavit, eique continentes aedes canonicorum Lateranensium, vetustate dilabentes, ubi e magno vitae periculo sospes fuit [1], a solo refecit, et ibidem catacumbas in loco dicto de *Petra Aurea* detexit prope ecclesiam ss. martyrum Alexandri, Eventii et Theoduli; divi Callixti etiam hypogaeum extra portam Sebastianeam effodit. Nam Pio IX promovente ac probante, sacrorum monumentorum effossio, cura et studium viguerunt quotidie in melius, ita ut ab archeologis *Antiquitatis vindex* [2] fuerit consalutatus. In quorum commodum museum christianum in aedibus Lateranensibus dedicavit; et in ipsum ex christianis hypogaeis, ubi Christi-fideles odio impiorum in capitis discrimen adducti, inter martyrum loculos olim delitescebant, inferri iussit reliquias priscarum artium suis expensis effossas; item *academiam archeologicam* fundavit. Museum anathomicum pro cultoribus artium naturalium laute adornavit; museum rerum naturalium conclavibus omni cultu exornatis, et nova metallorum, lapidum et fossilium copia per pluteos digesta in elegantiorem formam refecit; seminarium, quod ex suo nomine *Pianum* appellari passus est, ad sancti Apollinaris in Vrbe fundavit, ea lege ut singuli ephebi, ex unaquaque dioecesi regni Pontificii, bini ex Senogalliensi, religiosis moribus probatissimi publice alerentur. Romanum archigymnasium ampliavit auctis magisteriis, praemiis studiorum iuventuti propositis, veterum monumentorum gaza bibliothecae attributa, sacrario in splendidiorem formam restituto, scalis et porticibus instauratis. Ludum aperuit in regione Vrbis adiecta, ubi religiosi sodales a Misericordia pueros sexennium egressos doctrinam christianam, historiam sacram, italam dictionem, arithmeticam, geographiam docerent, libris omnique instrumento in discentes publice erogatis. In eadem Vrbis regione puellis publice instituendis magisterio virginum, quibus a Providentia nomen est, amplas aedes cum hortis eo consilio extruxit, ut diebus festis in disciplinam convenirent grandiores natu, quae profestis assiduo opere destinentur. Suburbanum praedium in via Portuensi sodalibus Iosephianis attribuit, ut adolescentuli rusticis laboribus durati ad rem agrariam publice fingerentur.

Quo proprios intra limites humanae scientiae institutio contineatur, nonnullas propositiones viro caeteroquin erudito in Galliam sub-

1) Mirandum hunc eventum cum omnibus suis adiunctis, quae praesentissimum Dei ac Immaculatae Virginis Mariae in Pium IX auxilium indubitanter testantur, fuse enarrarunt in vol. XXIX ephemerides Neapolitanae *La Scienza e la Fede*, an. 1855. Tantae rei memoria ut posteris quoque servaretur, inscriptio marmori insculpta Romae ad ianuam sanctae Agnetis coenobii posita est.

2) Quam merito id encomii Pio IX tribuatur, quisque potest perspicere etiam ex praeclara collectione sacrarum inscriptionum Vrbis Romae saeculo VII vetustiorum, quam quidem munificentissimi Pontificis sumptibus accurate ac splendide cudendam suscepit Romae eruditissimus antiquitatis scrutator Ioannes Baptista de Rossi, uti sequens inscriptio eidem collectioni praemissa denotat:

Liber Sacer Esto
Honori Et Nomini
Pii IX P. M.
Cuius Providentia Et Iussu
Haec Veteris A Evi Christiani
Romana Monumenta
In Lucem Prodeunt

Hoc sane opus, cuius titulus est, *Inscriptiones Christianae Vrbis Romae septimo saeculo antiquiores*, quin multum lucis sit allaturum catholicae fidei veritati, non est qui in dubium vocare potest.

scribendas mandavit, quibus fidei ac rationis iura sarta tecta servantur [1]. Item aliqua doctrinae capita, quae *ontologismum* ac *pantheismum* sapiunt, tuto doceri non posse, decreto Sacrae Romanae Inquisitionis, sanxit[2]. Scripta etiam damnavit Antonii Gunther ac discipulorum eius, in quibus iuxta rationalistarum placita, hominis rationem fidei haud ancillari debere statuitur [3]; quodque iterum confirmavit XII calend. Ianuar. an. 1864 per Literas *Tuas Libenter* ad archiep. Monacensem datas occasione doctorum conventus Monachii habiti [4]. Arrepta occasione acris controversiae in Gallia exortae de usu operum ethnicorum scriptorum, quae e scholis adolescentium clericorum nonnulli prorsus eliminanda censebant, datis episcopis Galliarum litteris XII calendas aprilis 1853 [5], quarum initium, *Inter multiplices*, rectam studiorum rationem explicavit edicens, ut adolescentes clerici in Seminariis, « humanioribus litteris, severioribusque disciplinis, potissimum sacris, ab omni prorsus cuiusque erroris periculo alieni ita diligenter imbuantur, ut non solum germanam dicendi, scribendique elegantiam, eloquentiam tum ex sapientissimis Sanctorum Patrum operibus, tum ex clarissimis ethnicis Scriptoribus ab omni labe purgatis addiscere; verum etiam perfectam praecipue, solidamque theologicarum doctrinarum, ecclesiasticae Historiae et sacrorum Canonum scientiam ex auctoribus ab Apostolica Sede probatis depromptam consequi valeant».

Fidei propagationi in longinquis regionibus summopere studuit, atque piissimum opus sanctae Infantiae, quod bono Sinensium puerorum nunc primum ipso auspice institutum est, datis Apostolicis Litteris Episcoporum curae valde commendavit, ac indulgentiis et privilegiis auxit[6]. Liturgiam iuxta ritum Romanae Ecclesiae in Galliam et Hispaniam invexit, illinc Gallicana, hinc Mozarabica obsoleta. Festum ss. Cordis Iesu cum Missa et Officio proprio aliquibus tantum locis olim concessum, in tota Ecclesia feria sexta post octavam Festi Corporis Christi sub ritu duplici maiori celebrandum, uti diximus, constituit. Praeterea a suae exaltationis ad Pontificatum die usque ad calendas ianuarii 1870 in diversis totius orbis regionibus ad metropolitanas 15 episcopales sedes evexit; 117 novos episcopatus, 2 Vicariatus Apostolicos, 22 Delegationes, 11 Praefecturas erexit [1]; item 82 Cardinales creavit. Inter Beatos recensuit Paulum de Cruce Fundatorem Ordinis Passionis D. N. I. C., Ioannem Baptistam de Rubaeis, Ioannem Sarcander, Benedictum Iosephum Labre, Andream Bobola, Ioannem Grande, Mariam Annam Paredes y Flores, Benedictum ab Vrbino, Mariam De Angelis, Ioannem Berchmans et Petrum Canisium S. I., M. Margaritam Alacoque, nec non ducentos quinque Martyres Iaponienses, quorum multos ex Religiosis familiis, pro Christi Fide in illis longinquis regionibus ab an. 1617 ad 1632 mulctatos. Sanctorum albo adscripsit alios Martyres Iaponienses, nempe Petrum Baptistam, Martinum de Ascensione, Franciscum Blanco, Philippum de Iesu, Franciscum de s. Michaële, Gondislavum Garzia, Paulum Suzuqui, Gabrielem e Regno Izes, Ioannem Quizuia, Thomam e Regno Izes, Franciscum Iaponiensem, Thomam Cosaqui, Ioachim Saquiior, Bonaventuram Iaponiensem, Leonem Garazuma, Mathiam Iaponiensem, Antonium Iaponiensem, Ludovicum Ibarqui, Paulum Yuaniqui, Michaëlem Cozoqui, Petrum Suquecixein, Cosmam Raquia, Franciscum Compiutens. qui omnes fuerunt ex Ordine Fratrum Minorum. His accedunt Paulus Miki, Ioannes Soan de Goto, Iacob Kisai, S. I., Iosaphat Kuncevich, Ruthenorum Antistes, Petrus de Arbues de Avila, Nicolaus Pichi eiusque duodeviginti socii sic dicti *Martyres Gorcomienses*, videlicet Hieronymus, Theodoricus, Nicasius Ioannes, Willehadus, Godefridus Mervellanus, Antonius Werdanus, Antonius Hornaniensis, Franciscus, Ioannes, Adrianus, Iacobus, Ioannes Osterwicanus, Leonardus, Nicolaus, Godefridus Dunéus et Andreas, sacerdotes, Petrus et Cornelius laici. Praeter hos Martyres idem Pontifex Sanctis accensuit Confessores Michaëlem de Sanctis ex Ordine ss. Trinitatis, Paulum a Cruce, Ord. Passionis D. N. I. C., Leonardum a Portu Mauritio de Min. Observ.,

—

1) Cf Epistolam Fr. Vincentii Modena a Secretis Sacrae Indicis Congregationem ad Apostolicum Nuncium apud Gallorum Imperatorem in cit. ephemerid. *La Scienza e la Fede*, vol. XXXI, p. 31 sq

2) Vid. *La Scienza e la Fede* cit. vol. XLIII, p. 468.

3) Litt. Apost. *Eximiam tuam*, XVII cal. iulias 1857 ad Archiepiscopum Coloniensem. Item, per Breve episcopo Wratislaviensi, datum pridie calendas maias 1860, *Dolore haud mediocri*, Sanctitas Sua scriptum I. B. Baltzeri quo nonnulla Guntheriana dogmata defendere nitebatur, improbavit.

4) Vid. *La Scienza e la Fede*, vol. LIII, p. 51 sqq.

5) Huiusmodi controversiae seriem exponit I. Chântrel, *Annales ecclèsiastiques*, ad an. 1853. Cf etiam *La Scienza e la Fede*, vol. XXV, p. 351.

6) *Litt. Apost.* datae XV cal. augusti 1856.

1) Cf *Annuario Pontificio*, Roma 1870.

Virgines M. Franciscam a Vulneribus D. N. I. C. et Germanam Cousin. Ratum habuit vel confirmavit cultum publicum atque ecclesiasticum pluribus Coelestibus Comprehensoribus ab immemorabili praestitum. Hilario Pictaviensi episcopo Doctoris titulum, quo apud quasdam peculiares dioeceses iamdudum gaudebat, ad universam Ecclesiam extendit ac confirmavit; et s. Alphonsum M. de Ligorio Congregationis a SSmo Redemptore institutorem, et s. Agathae Gothorum Episcopum, Universalis Ecclesiae Doctorem declaravit; eosdemque ex Sacr. Rituum Congr. decreto, uti Doctores, Officio et Missa sub ritu duplici coli mandavit [1].

Quae hactenus, pluribus aliis praetermissis, de Pio IX cursim enarravimus, quaeque totus orbis novit, Roma literatis lapidibus consignavit, et historia immortalitati commendabit, maxima quidem sunt, ac perspicuo documento illius prudentiae, fortitudinis, suavitatis ac sapientiae quibus Ecclesiam Christi pascit ac regit. Verum tanti Pontificis virtus in iis praecipue emicat, quae ab hostibus catholici nominis adhuc patitur. Huius in Christi Ecclesiam pugnae altius repetenda est historia, quam fusius suis locis referemus.

2. *Seditiones in Gallia* — Anno 1830 dira extitit in Gallia conspiratio, ob quam innumeras vexationes passi sunt sacrorum Antistites caeterique ecclesiastici viri, praesertim vero Parisiensis Archiepiscopus; eiectoque e throno gallico Carolo X, Aloisius Philippus dux Aurelianensis, Rex Francorum creatus est. Eo regnante, in Gallia catholica religio non amplius tanquam unica totius regni, sicut antea fuerat, sed veluti maioris Gallorum partis religio habita est; dumque iuxta impia religiosi indifferentismi placita, dictitabat Gubernium, se cuique religioni favere ac patrocinari, sola catholica religio omni destituta patrocinio vexationes innumeras patiebatur, eiusque ministri, sacrae caeremoniae, preces ludibrio exponebantur, tum in scenicis spectaculis, tum pervulgatis impiis scriptis ac ephemeridibus, inter quas extitit *l'Avenir*, quam eodem an. 1830 mense octobri evulgare coeperat De la Mennais, a Gregorio XVI merito reprobatam [2]. Praeterea Ecclesiae redditus fuerunt imminuti, seminaria in diversis dioecesibus clausa, episcopi et animarum curatores a suis ecclesiis eiecti. Nec defuit schismaticorum factio, qui episcoporum auctoritate spreta, legitimisque pastoribus pulsis, animarum curam sibi arrogarunt. Immo et per id tempus caput iterum efferre coepit vetus constitutionalium schisma, ac Thomas Iustus Poulard episcopus huic schismati addictus, edendum curavit quoddam scriptum, cui titulus *Moyen de nationaliser le clergé de France*, quo contendebat animarum pastores ab electoribus laicis nominandos [1]. Verum his impietatis conatibus restitit Clerus Galliae, doctrinae ac virtutis laude excellens, qui et editis scriptis et verbi divini praedicatione pro tuendis Ecclesiae iuribus magnopere adlaboravit. Nec levis eius laus fuit, quod omni Iansenismi et Gallicanismi sensu deposito, unice ad exhortandum in doctrina sana vires suas intenderit. Inter caeteras leges Ecclesiae iuribus contrarias, pro quibus abolendis Clerus acriter pugnavit, ea extitit, quae non modo studiosae iuventutis institutionem Ecclesiae magisterio subtraxerat, verum etiam catholicis libertatem ademerat docendi. Dum vero huiusmodi lites inter Ecclesiae pastores et civile gubernium fervebant, nova seditio an. 1848 oborta, Aloisium Philippum e throno exturbavit. Hinc respublica enata est, e qua postea imperium prodivit, agente Aloisio Napoleone Bonaparte eiusdem reipublicae praeside, qui postridie calendas decembris 1851 Imperatoris sibi nomen adscivit. Primis imperii sui annis catholicam religionem fovere visus est, quia aliquot in Gallia Religiosos Ordines restituit, et bello, quod una cum Anglis in Chersoneso Taurico confecit, Christianorum in terra sancta adversus Russorum imperatorem iura tuitus est: adhuc etiam altero bello quod cum iisdem Anglis adversus Sinarum imperatorem suscepit, factum est, ut liberum modo pateat iter missionariis ex Europa ad vastissimum illud imperium confluentibus, quod et in Conchinchina pariter obtentum est. Novissimo autem adversus Mexicanam rempublicam praelio absoluto, Episcopis qui causa turbarum illic furentium a suis sedibus procul detinebantur, facile, ut ad suas oves redirent, iter aperuit. Verum, an. 1859, ad oras Italiae ingenti militum copia appulit; specie quidem tuendi Romani

---

[1]) Litteris in forma Brevi *Si ab ipsis*, III idus maii 1851 et *Qui Ecclesiae* nonis iulii 1871.
[2]) Encyclica data XVII cal. septembris 1832.

[1]) *Ami de la religion*, t. LXVI. Hinc perspicies, quid sibi velit templorum *nationalium* erectio, cui modo tantopere favent rerum publicarum emendatores in Italia. Ex his templis alia schismaticorum, alia haereticorum usui mancipantur.

Pontificis iura et regnum, re autem, ut perduellium hominum studia adiuvaret.

3. *Sectariorum machinamenta in Italia (an.* 1848)—Tranquilla pace gavisa est Italia usque ad an. 1847, quo exeunte incoepit seditio illa, quae sequenti anno 1848 omnes eius regiones pervasit. Nova enim secta, genuinus liberorum muratorum surculus, cui nomen *Iuvenis Italia* (*Giovine Italia*), Iosepho Mazzini impio duce, res omnes susque deque vertere molita est. Quae quidem validior evasit, cum in suas partes pertraxit Carolum Albertum Sardiniae regem. Is coacto exercitu adversus Austriae Imperatorem, Langobardiae ac Venetiarum dominum, bellum movit; sed Marte adeo adverso usus est, ut post acceptam Novariensem cladem XII calendas aprilis 1849, non satis aequis conditionibus bellum componere, ipsique Sardiniae regno abdicare coactus sit, succedente eius filio Victorio Emmanuele II.

4. *Seditio in Pontificia ditione*—Verum in hac Italiae perturbatione Roma potissimum seditionis motibus exagitata est. Sectarii enim Pium IX primum fictis laudum praeconiis, et mendacibus acclamationibus demerere audaciter moliti sunt, ut ipso auspice in tota Italia omnia exagitare, eiectisque regibus ac ducibus rempublicam sibi constabilire liceret [1]. Verum eiusmodi machinationes Pius summopere exhorruit, et verbis disertissimis reiecit in consistorio secreto, quod coram sacro Cardinalium Collegio III calendas maii 1848 habuit. Hinc seditio adversus ipsum Pontificem, eiusque ministros mota est, atque adeo debacchata, ut Pellegrinus Rossi, quem Pontifex tunc administrum elegerat, in ipsa curia sicarii manu interfectus fuerit [2]. Tum Pius IX rebellium armis in Vaticano obsessus, in vitae discrimen adductus est una cum Cardinalibus aliisque ecclesiasticis viris [3]; nec nisi peculiari ac praesentissimo Dei auxilio clam noctu Roma Caietam aufugit, ubi Ferdinandus II, rex piissimus, omnibus hospitalitatis officiis, ac verae devotionis signis eum prosequutus est. Interim Romae rebelles per omne fasque nefasque ruentes, Ecclesiae ministros carcere, cruciatibus omnibus atque caedibus insectati sunt; Romanum Pontificem, quem paucis ante diebus, ut fucum facerent imperitis, appellabant *suum Caesarem et Imperatorem* [1], temporali dominio expoliarunt, rempublicam democraticam constituerunt, quae per triumviros administraretur. Dum Romanus Pontifex degebat Caietae, quo eum secuti fuerant Cardinales, innumerique praelati, praestantesque ecclesiastici viri curiae romanae addicti, adversus ditionis ecclesiasticae invasores auxilium petiit catholicorum Europae principum, qui iunctis consiliis, ope victricium armorum Austriacae et Gallicae nationis prospero bello die XV iulii 1849, Pontificii regni ius et dominium Pio IX vindicarunt [2]. Qui tamen antequam Romam reverteretur, in suburbanum Portici prope Neapolim profectus est, tempus praestolans, quo in Vrbem redire opportunum foret. Interim VI idus decembris eiusdem anni ad omnes Italiae Episcopos encyclicas litteras *Nostis, et Nobiscum* misit, quibus eos hortatus est, ut fraudes repellerent, quibus impios et nefarios homines ad Italorum animos a fide catholica abalienandos non pudebat asserere et clamitare, catholicam religionem Italae gentis gloriae, magnitudini et prosperitati adversari, ac propterea opus esse, ut illius loco protestantium placita, et conventicula inducerentur, ut Italia pristinum veterum temporum, ethnicorum scilicet, splendorem iterum sibi comparare posset. Quare maxima et insignia beneficia exposuit, quae in Italiae populos ex catholica religione promanarunt. Tum Episcoporum vigilantiam excitavit, ut viriliter quoque propulsarent Socialismi et Communismi errores, qui adnitentibus impiis serpere coeperant. Demum pridie idus aprilis anni 1850, plaudentibus prae gaudio populis, Romam contendit. Romanus

[1]) Margotti, *Le Vittorie della Chiesa nel primo decennio del Pontificato di Pio Nono*, Milano 1857.

[2]) Haec, atque alia, quae seditionem an. 1848 in Italia exortam respiciunt, fuse docteque enarrat A. Coppi, *Annali d'Italia* passim.

[3]) In ea Vaticani aggressione, qua perduellium furor igneas ballistas in Pontificias aedes convertere, ipsumque bellicum instrumentum admovere est ausus, igneae ballistae ictu perculsus cecidit cum aliis non paucis Ioannes Baptista Palma, qui in Vaticani aedibus degebat munere fungens ab epistolis latinis ad principes, et plures per annos Ecclesiasticae Historiae praelectiones cum maximo sacrae iuventutis bono habuit in Vniversitate Romana, quas mira eruditione refertas typis ediderat Romae an. 1843.

[1]) Gioberti, *Gesuita Moderno*, vol. V, p. 532, Torino 1845-1846.

[2]) A. Coppi, *Annali d'Italia*. Legesis allocutionem *Si semper antea*, habitam in Consistorio XIII calend. iunii 1850, in qua fit praecipua mentio catholicorum principum, qui studia sua impensius contulerunt pro tuendo ac recuperando civili Ecclesiae principatu, nempe Imperatoris Austriaci, Praesidis Reipublicae Gallorum, Hispaniarum Reginae ac Vtriusque Siciliae Regis.

populus duro sectariorum iugo excusso, maxima cum laetitia Pium IX patrem et sospitatorem consalutavit, qui paterno omnes amore complectens, errantibus veniam indulsit. Licet vero novis semper seditiosorum hominum insidiis, praesertim exterorum ex variis Europae locis Romam adventantium, petitus sit, tamen inter innumeros turbarum fluctus, invicti eius animi virtus in navi Ecclesiae fortiter suaviterque gubernanda enituit.

5. *Rerum publicarum subversio in Italia* (*an.* 1859)—Vna est semper perduellium hominum mens, novas scilicet seditiones moliri. Quare flagitiosissimi illi homines sectae *Iuvenis Italiae* addicti, qui an. 1848 Romam, totamque Italiam turbis exagitaverant, nullum non moverunt lapidem ut restitutum ordinem destruerent, Romanique Pontificis regno everso, e medio ipsius Summi Pontificatus primatum everterent. Hoc enim erat in votis, quod Petri Cathedra deleta, sacrorum emendatores liberrime possent totam subvertere Italiam. Hinc post expletum Chersonesi Taurici bellum, in conventu Parisiensi an. 1856, falsis calumniis Romanum Pontificem aliosque Italiae Principes impetere coeperunt, donec an. 1859, iunctis consiliis et armis cum Gallorum Imperatore, qui ipsis favebat, Langobardiam, quam Carolus Albertus obtinere nequiverat, Francisco Iosepho I Austriaco Imperatori eripuerunt. Deinde tum clandestinis pravisque coetibus in pluribus Italiae regionibus coadunatis, tum turpissimis consiliis cum finitimorum locorum hominibus initis, tum fraudolentis calumniosisque editis libellis, tum exteris armis comparatis et invectis, tum perversis quibusque aliis fraudibus seditionis turbinem eodem an. 1859 in superiori Italia excitarunt, ubi coniurati homines audacia insignes omnibus divinis humanisque proculcatis iuribus, laxatisque improbitatis habenis impune grassati sunt; et Parmensem ac Mutinensem Ducatum atque Magnum Hetruriae Archiducatum Sardiniae regno adnexuerunt.

6. *Romanus Pontifex maiori suae ditionis parte privatur*—Interim flagitiosi homines Bononiae in Pontificia ditione tumultuati sunt, nec dubitarunt urbanam cohortem aliosque armare, cogere, educere, atque Cardinalis Legati aedes adire, ibique, ablatis Pontificiis insignibus, eorum loco rebellionis vexillum, sicuti alibi fecerant, attollere et collocare cum summa honestiorum civium indignatione ac fremitu. Hinc ab ipsis perduellibus eidem Cardinali Legato profectio fuit denuntiata ex omnibus Bononiensis Legationis finibus, quos illico subalpinum Gubernium, quod totius conspirationis auctor fuerat, occupavit, ludicro populari suffragio sibi vindicavit, ac militari manu in sua potestate retinuit. Quae Bononiae tam nefarie peracta sunt, similibus criminosis modis Ravennae, Perusiae et alibi agere minime dubitarunt iidem profligati homines, haud timentes posse suos impetus a Pontificiis copiis reprimi ac refringi, cum istae, numero paucae, eorum furori et audaciae resistere minime possent. Immo subalpinum Gubernium innumeras militum cohortes in Marcam Anconitanam immisit, ibique maiorem Pontificii exercitus partem fortiter viriliterque praeliantem, fudit. Sic Legationes et Vmbriae provinciae Pontifici ereptae sunt. Tot autem perfidiae ac hostilitatis argumenta expertus est Pius IX post repetitas Imperatoris Gallorum pollicitationes ac protestationes, se nunquam Apostolicae Sedi defuturum, exercituque, quem ab an. 1848 Roma nunquam amoverat, quascumque hostium insidias eiecturum[1]. Sequenti anno Franciscus II utriusque Siciliae rex, regia sua urbe exturbatus, primum Capuam, dein Caietam bellicis conditionibus tradere coactus est, ac toto regno expoliatus Romam petiit, ubi eum Pius IX omnibus amoris, benevolentiae ac hospitalitatis officiis prosequutus, in suo Quirinali palatio excepit[2]. Ita Sardiniae Regi paullatim omnis Italia subiecta est; Gallorum Imperatori, qui ei suppetias tulerat, Nicia et Sabaudia traditis.

---

1) Huiusmodi pollicitationes sibi factas toto Orbi significavit Pius IX sua allocutione habita in Consistorio secreto XII calend. iulii 1859, in qua inter alia refert, quod « Gallicae copiae in Italia degentes, iuxta ea, quae Carissimus in Christo Filius Noster Gallorum Imperator declaravit, non modo nihil contra temporalem Nostram, et huius s. Sedis dominationem agent; immo vero eamdem tuebuntur atque servabunt ».

2) Non semel Romani Pontifices, vigentibus praesertim seditionum motibus, e patria exules cives, ipsosque principes Romae hospitati atque auxiliati sunt. Revera, superiori saeculo exeunte, Pius VI asylum opemque tulit non modo presbyteris, atque episcopis ob motam seditionem e Gallia extorres, verum etiam optimatibus aliisque civibus, qui inde Romam confugerunt. Id aperte testantur illius temporis monumenta; cf Theiner, *Documents inedits relatifs aux affaires religieuses de la France 1790 à 1800, extraits des archives secretes du Vatican*, 2 voll. Paris etc. Pius VII autem, hoc ineunte saeculo, excepit Romae regem Sardiniae, quem Napoleon I throno orbaverat; et paucos post annos, ipsius Napoleonis matrem aliosque eius coniunctos, qui ab omnibus Europae principibus respuebantur.

7. *Ecclesiae persecutio in Italia* — His civilis societatis damnis gravissima ac nunquam satis deploranda Ecclesiae mala accesserunt, quae summus Pontifex sequentibus verbis coram sacro Cardinalium Collegio deflevit[1]: « Omnes autem norunt quomodo subalpini Gubernii, et rebellionis satellites omni dolo et fallacia pleni, atque abominabiles facti in viis suis veterum haereticorum molitiones et furores renovantes, et contra sacra omnia debacchantes, Dei Ecclesiam, si fieri unquam posset, funditus evertere, et catholicam religionem, eiusque salutarem doctrinam ex omnium animis radicitus extirpare, et pravas quasque cupiditates excitare et inflammare connitantur. Hinc, omnibus divinis humanisque proculcatis iuribus, et ecclesiasticis censuris omnino spretis, Sacrorum Antistites audacius in dies a propriis dioecesibus expulsi, atque etiam in carcerem missi, et quamplurimi fideles populi suis orbati pastoribus, et utriusque Cleri viri miserandum in modum divexati, omnibusque iniuriis exagitati, et Religiosae Familiae extinctae, earumque sodales e suis coenobiis eiecti, ad rerum omnium inopiam redacti, et Virgines Deo sacrae panem emendicare coactae, et religiosissima Dei templa spoliata, polluta, et in latronum speluncas conversa, et sacra bona direpta, et ecclesiastica potestas, ac iurisdictio violata, usurpata, et Ecclesiae leges despectae et conculcatae. Hinc publicae depravatarum doctrinarum scholae constitutae, et pestiferi libelli et ephemerides e tenebris emissae, ac late per omnia loca immanibus huius scelestae coniurationis sumptibus dissipatae. Quibus perniciosissimis et abominandis scriptis sanctissima fides, religio, pietas, honestas, pudicitia, pudor, omnisque virtus oppugnatur, ac vera et inconcussa aeternae naturalisque legis, ac publici privatique iuris principia, praecepta evertuntur, et legitima cuiusque libertas, proprietas impetitur, ac domesticae cuiusque familiae et civilis societatis fundamenta labefactantur, omniumque bonorum fama falsis criminationibus, maximisque laceratur conviciis, et effrenis vivendi, et quidlibet audendi licentia, omniumque vitiorum et errorum impunitas maiorem in modum fovetur, propagatur, ac promovetur. Nemo vero non videt quam luctuosa omnium calamitatum, scelerum et exitiorum series ex hoc tanto impiae rebellionis incendio in miseram praesertim Italiam redundaverit. Etenim, ut Profetae verbis utamur, *maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit* (Oseas IV, 2) ».

In regno Sardiniae res Ecclesiae in deteriorem semper statum devenere ac in ipsis protestantium terris. Omnes conventiones cum Sancta Sede prorsus abolitae fuerunt, idque et in caeteris Italiae regionibus a subalbino gubernio occupatis peractum est, immunitates proscriptae, dierum festorum sanctitas violata, Ecclesiae libertas proculcata. Praeclarus Augustae Taurinorum Archiepiscopus Aloisius Fransoni prius carceribus mancipatus, dein expulsus in Galliam post 13 annorum exilium procul a sua sede supremum diem obiit. His accessit lex edita de publica instructione et publicis privatisque seu maiorum, seu minorum disciplinarum scholis, quarum regimen in episcopalibus quoque Seminariis, ab episcoporum auctoritate subtrahitur, et regio Ministro atque auctoritatibus eidem subditis attribuitur [1]. Quae lex aliis etiam Italiae terris data est, quae subalpino regno adnexae fuerunt. Sicuti quoque actum est de alia illa lege, qua subalpinum gubernium acatholicorum connubia firma rataque habet. Ad haec nefarii homines artes omnes impendunt in corrumpendis populi moribus, praesertim per turpes imagines, per libros atque ephemerides, quibus religionis pietatisque exercitationes ludibrio exhibentur, precesque ad Dei Sanctorumque cum eo regnantium auxilium implorandum adhibitae irridentur. In scenicis vero spectaculis publica morum honestas, pudor virtusque offenditur, et personae Deo sacrae communi omnium contemptui et irrisioni exponuntur; totque vix credibilia, planeque teterrima fuerunt patrata, atque in dies patrantur contra Ecclesiam, eiusque veneranda iura in illo regno, ubi quamplurimi egregii existunt catholici. Pius IX contra hos omnes impios ac sacrilegos actus vocem attollens, in eorum auctores ac fautores poenis atque censuris a iure ipso statutis animadvertit [2]. At impii non destite-

[1]) Allocut. *Meminit* habita in Concistorio secreto pridie calendas octobris anno 1861.

[1]) Haec omnia ex ordine narrata reperies in Pontificiis allocutionibus. Consule praesertim illam, quae incipit *In Concistoriali oratione* calendis novembris anno 1850 habitam, et aliam, cuius initium *Probe memineritis* quam Pontifex tenuit in Concistorio secreto XI calend. februarii 1855.

[2]) Allocut. *Maximo animi Nostri dolore* habita in Concistorio VI calendas octobris 1859.

runt iniqua agere. Quare haec mala nulla ex parte immutata, sed potius aucta modo deplorat Ecclesia; immo in caeteris Italiae regionibus, quas Gubernium subalpinum in suam redegit potestatem repetita ac dire perpetrata fuerunt. In primisque adversus sacros antistites coepta est persecutio, quo facilius oves gregis dispergerentur. Proh dolor! Neapolitanae Ecclesiae vigilantissimum ac praeclarissimum Archiepiscopum Cardinalem Xystum Riario-Sforza semel atque iterum militari manu comprehensum lacrymantes vidimus, et cum ingenti omnium ordinum luctu ab episcopalibus suis sedibus abreptum, prima vice Genuam, secunda Romam deductum [1], dum gregem suum invadebant lupi rapaces. Cardinalis Archiepiscopus Firmanus, itemque Abellinensis Episcopus procul a suis sedibus Augustae Taurinorum in arcta custodia detinebantur, et in arce Novocomi Episcopus Fodianensis miserrimam agere vitam coactus est. Carcerem quoque et exilium passi sunt Archiepiscopi Surrentinus et Rossanensis a propriis sedibus ambo avulsi, et a gregibus suis vi abesse compulsi. Item, Archiepiscopi Barensis et Rheginus, Cardinalis Carafa Archiepiscopus Beneventanus, aliique quamplurimi Episcopi numero amplius quam sexaginta exulare iussi sunt. Ioanne Baptista Arnaldi, Archiepiscopo Spoletino, vir insigni pietate praedito in arce Spoletina captivo intercluso, nostris ipsis oculis conspeximus in ditione Neapolitana tot alios ecclesiasticos viros suo munere praeclare fungentes quoquo modo divexari, et indicta etiam causa, duro carcere exilioque damnari, atque religiosorum Ordinum alumnos e suis coenobiis violenter exturbari, suisque bonis expoliari, templaque in quibus ipsi divinum servitium peragebant, ab apostatis atque schismaticis sacrilege violari. Immo in moniales quoque saevitum est, quarum similiter et bona proscripta et claustra ipsa, ubi Deo pacifice inserviebant, violata, eorumque fores per summam iniuriam ferro perfractos conspeximus ac deflevimus. Haec autem scelera perpetrant perturbationis ac rebellionis duces et satellites, dum iniqua sane hypocrisi dictitant se velle Ecclesiam sua gaudere libertate. Neque illos pudet a Romano Pontifice postulare, ut iniustis eorum desideriis annuere velit, ne maiora in Ecclesiam damna redundent!

Dum sectarii tam acriter catholicae religioni invident, caeteras falsas religiones, praecipue protestantem, protegunt foventque; hinc scholas instituunt, ad iuventutem iuxta protestantismi placita instruendam, tum templa erigunt, in quibus ministri protestantes publicos coetus agunt, et catholicos alliciunt, ut a fide deficiant. At in Italia, in qua catholicae religionis centrum et caput est, non placita solum, sed ipsum protestantismi nomen populus exhorrescit; et in Neapolitano potissimum regno, in quo ab ipso D. Petri Apostolorum Principis adventu, singulari Dei miserentis providentia, haeresis nunquam potuit radices agere, hactenus irriti prorsus extiterunt omnes protestantium conatus ad cives ab avita patrum suorum fide abalienandos.

8. *Machinationes adversus Romam. Pii IX virtus et constantia*—Dum tot dissidiis, totque sceleribus impietate atque immanitate atrocissimis sectarii Italiam dilacceraverant, non cessabant etiam Romanae urbis quieti invidere, insidiasque struere, conarique ut eam dolo, proditione, seditionibus, vel armis, caeterisve pravis artibus mansueto Pontifici eriperent. At Deus qui almam Vrbem speciali providentia custodiverat, prava ipsorum consilia saepissime dissipavit; atque inter incredibiles innumerasque impiorum hominum circumventiones tantum Pio IX robur infudit, ut suos et Ecclesiae hostes animi sui magnitudine ac fortitudine, mansuetudine, et vigilantia vicerit; dumque illos ob suam impietatem et nequitiam omnes boni abhorrent et execrantur, Pius IX miris suis virtutibus omnium sibi corda devinxit. Suis allocutionibus atque

[1]) Vbi primum Franciscus II postridie nonas septembris 1860, Neapoli relicta, Capuam inter et Caietam se recepit, et postero die Garibaldi Neapolim ingressus est, Neapolitanus Antistes XI calend. octobris ab episcopalibus aedibus abreptus Genuam maritimo itinere perductus est, ibique aliquot diebus moratus, Massiliam extra Italiam perrexit, unde Romam postea petiit. At Clerus populusque Neapolitanus Pastorem suum absentem lugebant, et quotidie expetebant. Hinc subalpini magistratus, ne fervens Neapolitanorum in se odium magis augeretur, Romam desideratissimum Archipraesulem rogatum miserunt, eumque deprecati sunt, ut ad suam sedem reverti vellet. Ita post trium circiter mensium spatium, Archiepiscopus Neapolim rediit. At summa ipsius vigilantia fervensque studium pro gregis sui moribus fideque tuendis assiduos seductorum conatus cassos irritosque reddidit. Quare novum inierunt consilium, ut pastorem ad ovibus separarent, et pridie calendas augusti an. 1861 Centumcellas deduxerunt, unde Romam ipse contendit. De hoc iniusto ac sacrilego in amantissimum Praesulem nostrum scelere Summus Pontifex alte querebatur coram sacro Cardinalium Collegio in cit. sua allocutione *Meminit unusquisque*, quam pridie calend. octobr. an. 1861 in Consistorio secreto habuit.

encyclicis [1] bonos monuit, et in fide ac obedientia erga Apostolicam Sedem firmavit, malos deterruit et condemnavit, eisque ob iniustam Romanae Ecclesiae patrimonii occupationem, excommunicationis poenam inflixit [2]; immo ore suo, quasi tuba sacerdotali, toti orbi personante proclamavit, quod—singulari prorsus divinae Providentiae consilio factum *sit*, ut Romanus Pontifex, quem Christus totius Ecclesiae suae caput centrumque constituit, civilem assequeretur principatum... *seque* civilem Romanae Ecclesiae principatum, eiusque temporales possessiones ac iura, quae ad universum catholicum orbem pertinent, integra, et inviolata constanter tueri et servare velle; immo sanctae Sedis principatus, Beatique Petri patrimonii tutelam ad omnes catholicos pertinere; paratumque esse animam potius ponere, quam hanc Dei, Ecclesiae ac iustitiae causam ullo modo deserere [3]. —

9. *Totius Orbis in Apostolicae Sedis iuribus tuendis consensus*—Ipse quoque Deus, qui est Pater totius consolationis, Pium IX Christi filii sui in terris Vicarium, quem impii ad incitas redigere volebant, triplici potissimum levamine solari dignatus est. Primum, unanimis totius orbis consensus tantum facinus civilem principatum ecclesiae subripiendi quam maxime exhorruit [4]. Non parum sane flagitiosorum hominum molitionibus restitit omnium praesertim episcoporum tum Italiae, tum Galliae, Belgii, Hispaniae, Austriae, Borussiae, Angliae, Hiberniae, Hollandiae, Helvetiae, Lusitaniae; tum Asiae, Africae, Americae, Oceaniae, totius nempe Orbis virtus et fortitudo, qui arctissimo fidei, caritatis et observantiae vinculo Petri cathedrae obstricti, nullisque periculis deterriti, non solum voce, verum etiam scriptis non desinunt Dei, eiusque Ecclesiae, ac Apostolicae Sedis iura unanimi consensione defendere, et impiis hostium conatibus viriliter constanterque obsistere. Quae certe consensio mirandum in modum patuit sacro Pentecostes die anni 1862, cum Pontifex coelestes honores decreturus ss. Martyribus Iaponiensibus, ex omnibus Orbis regionibus episcopos convocavit, qui Romae unanimi voce emiserunt sollemnem illam reclamationem *Ex quo Apostoli*, haecque inter alia edixerunt: « Civilem Sanctae Sedis principatum, ceu quiddam necessarium, ac providente Deo manifeste institutum agnoscimus; nec declarare dubitamus, in praesenti rerum humanarum statu, ipsum hunc principatum civilem pro bono ac libero Ecclesiae animarumve regimine omnino requiri. Oportebat sane totius Ecclesiae caput Romanum Pontificem nulli Principi esse subiectum, imo nullius hospitem; sed in proprio dominio ac regno sedentem suimet iuris esse, et in nobili, tranquilla, et alma libertate catholicam Fidem tueri ac propugnare, totamve regere ac gubernare christianam rempublicam ». Praeterea Pio IX proclamanti, se animam potius velle ponere, quam hanc Dei, Ecclesiae ac iustitiae causam deserere, Episcopi succlamantes ac plaudentes in ipsa memorata reclamatione responderunt, se paratos esse cum ipso et ad carcerem et ad mortem ire, eumque rogarunt, ut in hac constantia ac firmissimo proposito maneret immobilis; et merito. Nam id a Pontifice expectat Christi Ecclesia pro cuius feliciori regimine Romanis Pontificibus civilis principatus fuit attributus, quaeque adeo sensit eiusdem tutelam ad ipsam pertinere, ut olim, Sede Apostolica vacante, gravissimis in angustiis, temporales Romanae Ecclesiae possessiones omnes Constantiensis Concilii Patres, uti ex publicis patet documentis, in unum administrarent; id postulant Christi fideles per omnes terrarum orbis regiones dispersi; qui libere ad Pontificem venire, liberequc conscientiae suae consulere gestiunt; id denique ipsa civilis deposcit societas quae ex Pontificii regiminis subversione sua ipsa nutare sentit fundamenta.

Nec levi solatio Pio IX est ardens illud studium, quo fideles omnes non solum in Italia, sed etiam ex omnibus terrae parti-

---

1) Allocutiones XII calend. iulii et VI calend. octobris 1859; III idus iulii et IX calendas octobris 1860; XVI calend. ianuarii, XV calend. april. nec non pridie calend. octobris 1861; et V idus iunii 1862; Litt. Encycl. XIV calend. iulii 1859, et XIV calend. februarii 1860.

2) Litt. Apostol. *Cum Catholica Ecclesia* VII calend. april. 1860.

3) Encycl. XIV calend. februarii 1860.

4) Cf Collectionem quae edita est Romae sub hoc titulo: *La Sovranità temporale de' Romani Pontefici propugnata nella sua integrità dal suffragio dell' Orbe cattolico regnante Pio IX*; in qua continentur protestationes, quas episcopi ac fideles cuiuscumque gradus ubique terrarum emiserunt pro tuendo temporali Apostolicae Sedis dominio. Nec praetereundum videtur non modo catholicos, sed ipsos protestantes in Anglia, Borussia, aliisque acatholicis regionibus hac in re consensisse. Prae caeteris iuverit heic commemorare non infimi subsellii virum inter protestantes nempe Guizot, qui in suo recentiori opere *L' Église et la societè chrétienne en* 1861, Ecclesiam eiusque civilem principatum acriter defendit.

bus certant, ut suo aere sponte collato quod *stipem* sive *pecuniam divi Petri* (*Obolo di s. Pietro*) appellant, Romani Pontificis omni regni sui parte expoliati, et in angustis rebus versantis indigentiis occurrant. Accedunt munera multiplicia, varia, nobilissima duplici Sibi a Deo concessae potestati spirituali ac regiae relevandae accommo data. Item, totius orbis catholici Episcopatus admirabilis constantia et operositas, quibus sacri Antistites, Petri cathedrae devinctissimi, nullis aerumnis deiecti, Ecclesiae, s. Romanae Sedis, suaque iura fortiter alacriterque propugnant. Adde assiduas illas amoris et firmissimae fidelitatis significationes, ac publicas declarationes, quibus romanus populus in his Italiae totius ac Europae perturbationibus Pium IX atque Apostolicam Sedem prosequi sedulo contendit. Maximam quoque Pio IX laetitiam affert tot haereticorum et schismaticorum conversio, dum tanta in ipsis catholicorum terris a fide et iustitiae semitis defectio conspicitur. Deus Optimus Maximus vitam illi diuturniorem, firmioremque valetudinem largiatur, quod ut fiat communia Ecclesiae vota efflagitant. Detque illi Deus, ut quamprimum optatissimus ille dies illucescat, quo Ecclesiae hostes resipiscentes, et ad officium reductos iterum paterno sinu cum gaudio excipere, et caritate complecti.

10. *Summus Pontifex Immaculatam Virginis Conceptionem catholicis dogmatibus accensere festinat* — Quae in catholico orbe mira semper extitit erga Immaculatum Deiparae Conceptum pietas, perpetuumque ab antiquis temporibus Episcoporum praecipue votum apostolicae Sedi allatum, et Pio IX maximo desiderio repetitum, ut ss. Virginis Conceptus veluti catholicae fidei dogma definiretur, piissimum Pii IX Pontificis erga Deiparam animum induxerunt ad praeclarissimum istud opus enixius arripiendum. Quare ab ipso sui Pontificatus exordio viginti viros ex clero tum saeculari tum regulari theologicarum disciplinarum scientia praestantes selegit, ut quae ad immaculatam Virginis Conceptionem pertinent, accurato examine perpenderent, suamque sententiam scripto exponerent. Atque eadem de causa peculiare S. R. E. Cardinalium Consilium constituit. Deinde notissimis rerum vicibus, ut iam exposuimus, exulare coactus, encyclicas litteras postridie calend. februarii an. 1849 Caietae datas, quarum initium *Vbi primum*, ad omnes Episcopos misit, ut quamprimum clare aperteque suis litteris significarent, quae esset suorum fidelium erga Immaculatum Dei Matris Conceptum pietas, et quid ipsi potissimum Episcopi de eodem Conceptu sentirent, quidve exoptarent, publicis etiam adhibitis ad Deum precibus, ut Sancti sui Spiritus lumen propitius largire vellet.

Commemorati theologi consultores suas de hoc argumento scripserunt sententias, quibus evolventes sacram Scripturam, Patrum testimonia, Traditionem, illustria Ecclesiae summorumque Pontificum in hanc rem facta, et Liturgiam, ac notissimam Tridentinae Synodi declarationem in decreto de peccato originali, Deiparae Conceptum immaculatum veluti catholicae fidei dogma posse definiri adfirmarunt, idque opportunum fore. At vero Summus Pontifex, pro eximia sua sapientia, rei gravitatem optime noscens, omnemque maturitatem adhibere vehementer cupiens, nulli neque curae, neque consilio sibi parcendum esse duxit, ut idem argumentum omni ex parte maiorem in modum quam diligentissime examinaretur. Quocirca post suum in Vrbem reditum specialem constituit procurationem seu *Commissionem* ex nonnullis eorumdem theologorum conflatam. Specialis haec procuratio seu Commissio pluribus habitis sessionibus ea accurate perpendit, quae praesertim ex divinis Litteris, et ex Traditionis, Patrum, sacrorumque Scriptorum, et Ecclesiasticae Liturgiae penu deprompta, valent ad immaculatum Deiparae Virginis Conceptum demonstrandum, omnesque amovendas difficultates. Hinc adhibiti studii elucubravit summam, qua ostendebatur fieri posse, et opportunam esse de immaculato sanctissimae Virginis Conceptu dogmaticam definitionem. Immo quaesitae fuere sententiae peculiaris consilii Cardinalium, qui numero undeviginti in conventu simul congregati, rebus omnibus accuratissime libratis, in sententiam *Commissionis* ire non dubitarunt.

Interim Episcoporum responsa sexcenta et amplius Romam allata sunt, quae Pontificis iussu typis edita fuere. In his responsis Episcopi omnes in eo unanimi consensu conveniunt, ut suam, et proprii Cleri, populique fidelis erga Deiparae immaculatam Conceptionem singularem pietatem testentur et confirment, atque iteratis fervidisque precibus Summum Pontificem obsecrent, ut universalem credentium fidem de tanto Virginis privilegio supremo suo, et Apostolica Sedes iudicio quamprimum definire vellet; seque

omnes irreformabili Sedis Apostolicae iudicio subiicientes declarant, omni observantia esse prosecuturos quidquid Apostolica Sedes decernendum esse censuerit. Ex quibus breviter enarratis quisque vel facile intelligit, quantam diligentiam maturitatemque Summus Pontifex in hac re examinanda impendi voluerit, et quanta fuerit catholici Episcopatus conspiratio et instantia pro definitione Immaculati Conceptus Beatissimae Virginis, et quanto pietatis studio fideles ubicumque terrarum Immaculatum eiusdem Virginis Conceptum prosequerentur.

Praeterea Summus Pontifex calendis augusti 1854 encyclica, quae incipit *Apostolicae nostrae*, pro re tam gravi trium mensium iubilaeum indixit, omnesque Ecclesiae Episcopos hortatus est, ut una cum fidelibus ipsorum curae commissis fervidas clementissimo misericordiarum Patri adhiberent preces, ut Sancti Spiritus lumine Vicarii Christi mentem collustrare vellet, quo de Sanctissimae Dei Genitricis Immaculatae Virginis Mariae Conceptione quamprimum id statuere posset, quod ad maiorem ipsius Dei gloriam, et eiusdem Virginis laudem posset pertinere.

11. *Episcoporum conventus Romae ad definiendum dogma de immaculata B. M. V. conceptione*—Dum pro implorando Spiritus Sancti lumine preces ab universa Ecclesia fiebant, ipsius Pontificis hortatu, eodem anno 1854, advertente Immaculatae Conceptionis festo, Cardinales, Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi numero circiter ducenti ex diversis Catholici orbis partibus Romam adierunt, ubi omnes, exceptis Cardinalibus, qui cum Romano Pontifice seorsim collecti suum de dogmatica definitione suffragium protulerunt, quatuor habitis cum quindecim theologis sessionibus, accurata facta conquisitione in Scripturas et Ecclesiae traditionem de Immaculata B. M. V. Conceptione, uno ore consenserunt, singulare hoc Deiparae privilegium in revelationis deposito reperiri, et dogmaticum decretum sollicitantes de ore Pii IX super cathedram D. Petri sedentis, cuncti exclamarunt: *Petre, doce nos; confirma fratres tuos*. Demum VI idus decembris, recurrente anniversaria de B. M. V. Conceptu festiva celebritate, sacro Cardinalium Collegio, Episcopis, innumerisque Christi fidelibus, qui ex variis Orbis regionibus Romam convenerant, adstantibus, Pius IX in templo Apostolorum Principi sacro, inter Missarum solemnia, apostolicam attollens vocem, divino aspirante Paraclito, sollemne decretum pronuntiavit, ex quo gaudium fuit in coelis, omnesque catholici in orbe terrarum degentes, quam maxima exultaverunt laetitia, nempe definivit: *Doctrinam, quae tenet Beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae Conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Iesu Salvatoris humani generis, ab omni originali labe praeservatam immunem, esse a Deo revelatam, atque iccirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam* [1].

Tum sequenti die advocatis una cum sacro Cardinalium Collegio omnibus Episcopis in Consistorio secreto in Vaticani aede, apposita allocutione, quae incipit *Singulari quadam* omnia fausta, felicia ac salutaria eis precatus est, atque novo robore munivit ad quaerendam commissarum ovium salutem, et Ecclesiae causam in tanta temporum asperitate animose ac fortiter sustinendam adversus serpentes errores. In qua allocutione Cleri catholici laudes recitavit sequentibus verbis: « Immortaliter quidem gaudemus, catholicum Clerum nihil praetermittere, nihil molestiarum defugere, ut officio suo ac muneri cumulate satisfaciat; atque adeo non asperitate et longitudine itineris, non ullo incommodorum metu retardari, quominus regiones pertingat terrarum marisque tractu disiunctissimas, ut efferatas ibi gentes ad humanitatem, et christianae legis disciplinam salubriter instituat; gaudemus pariter Clerum ipsum in teterrimae luis calamitate, quae tot oppida, tot frequentissimas urbes funestavit, adeo alacriter obivisse quaelibet caritatis officia, ut vitam profundere ad salutem proximorum pulcrum sibi ac decorum existimaverit. Quo sane argumento magis constabit, catholica in Ecclesia, quae unice vera est, inextinctum ardere pulcherrimum caritatis ignem, quem Christus venit mittere in terram ut accendatur. Vidimus enim religiosas mulieres in adiuvandis aegris cum Clero certasse, neque mortis adspectu fuisse deterritas, quam pleraeque constantissime oppetiverunt: cuius inusitatae fortitudinis exemplo illi ipsi obstupefacti admiratione sunt, qui a catholica fide dissentiunt ». Tandem IV idus eiusdem mensis extra Vrbem via Ostiensi una cum Cardinalibus et Episcopis ad Sancti Pauli apostoli Basilicam dedicandam perrexit.

---

[1]) Bulla *Ineffabilis Deus*, die 8 decembris 1854.

12. *Canonizatio Martyrum Iaponiensium* — Dum inimicorum turba Romam veluti circumdabat, et insane fremebat, ut almam Vrbem Pontifici eriperet, Pius IX Sanctorum cultum Martyribus Iaponiensibus asserturus, festo Pentecostes an. 1862 Romae convocavit ex omnibus Orbis partibus Episcopos. Hi magna comitante presbyterorum, aliorumque fidelium caterva, Romam profecti sunt, si excipias Italiae Episcopos, qui a subalpino gubernio praecipue in ditione Neapolitana procul a suis sedibus per diversa Italiae loca exulare coacti, Romam quoque adire prohibiti sunt [1]. VI igitur idus Iunii in festo Pentecostes Pius IX magna ex illustri Purpuratorum Patrum et Episcoporum circiter 310 corona circumdatus, Iaponienses Martyres, quorum nomina superius recitavimus, et B. Michaëlem de Sanctis confessorem albo Sanctorum accensuit. Sequenti autem die in Consistorio apud Vaticani aedem, adstantibus una cum Cardinalium Collegio omnibus episcopis, qui Romae convenerant, pronuntiavit allocutionem, quae incipit *Maxima quidem laetitia*, in qua verba fecit de teterrimo bello contra rem catholicam universam ab inimicis Crucis Christi conflato; tum detestatus est audaciam, qua homines scelestissimi legitimae cuiusque proprietatis iura invadere contendunt, et confingunt ius quoddam absurdum nullis circumscriptum limitibus, quo reipublicae statum pollere comminiscuntur, ac omnium iurium originem et fontem esse deblaterant. Loquens vero de insidiis, quas religionis osores Pontificiae ditioni moliti sunt, haec subnexuit: « Nihil dicimus de impia conspiratione, et pravis cuiusque generis molitionibus ac fallaciis, quibus civilem huius Apostolicae Sedis principatum omnino evertere ac destruere volunt. Iuvat potius hac de re commemorare miram prorsus consensionem, qua Vos ipsi una cum aliis Venerabilibus Fratribus universi catholici orbis sacrorum Antistitibus nunquam intermisistis et epistolis ad Nos datis, et pastoralibus litteris ad fideles scriptis huiusmodi fallacias detegere, refutare, ac simul docere, hunc civilem Sanctae Sedis principatum Romano Pontifici fuisse singulari divinae Providentiae consilio datum, illumque necessarium esse, ut idem Romanus Pontifex nulli unquam Principi, aut civili potestati subiectus supremam universi Dominici gregis pascendi regendique potestatem auctoritatemque ab ipso Christo Domino divinitus acceptam per universam Ecclesiam plenissima libertate exercere, ac maiori eiusdem Ecclesiae, et fidelium bono, utilitati et indigentiis consulere possit ». Post allocutionem Pontificis Cardinalis Mattei episcopus Ostiensis, et sacri Cardinalium Collegii Decanus cum aliis episcopis ad Pontificium Thronum accedens reclamationem protulit ab omnibus Episcopis subscriptam, qua suam erga Petri cathedram devotionem ac obedientiam significabant, et in omnibus ei consentientes professi sunt, quae Christi Vicarius approbat vel reprobat, aeque se approbare vel reprobare atque de civili sanctae Sedis principatu ea edixerunt, quae supra retulimus [1].

Hic fuit posterioris Episcoporum conventus exitus.

13. *Nova Religiosa Instituta* — Dum impietatis atque irreligionis furor regulares Ordines dire insectatur, Ecclesia eodem semper spiritu fervens novos alit religiosae vitae cultores, novisque religiosis institutis augetur. Neapoli tertius D. Francisci Ordo in loco, ubi dicitur *La Palma* instauratur, et ad maiorem christianae reipublicae utilitatem mire propagatur; assumpto praesertim munere adolescentes in litteris bonisque moribus instruendi, quos parentibus orbatos in aedes conductas fidelium largitionibus alendos suscipit. Ipso vero Pio IX approbante, quinque religiosa instituta erecta fuerunt: Nempe 1° *Sorores de charitate, filiae Immaculatae Conceptionis* pro educandis puellis indigentibus. Ipsae vota simplicia emittunt sub regimine generalis moderatricis, et Episcoporum, in quorum dioecesibus degunt, iurisdictioni subditae sunt. Earum hospitia et orphanotrophia primum Paderbonae, in Germania, an. 1850, postea Breslaviae, Friburgi, Badis, in Polonia, aliisque locis excitata sunt. 2° *Sorores B. M. V. de Recessu* pro puellis in christiana catechesi instruendis, et ad sacrae Eucharistiae sacramentum disponendis, nec non mulieribus hospitandis, quae trium vel plurium dierum spatio, ea quae sunt spiritus curare exoptent. Simplicibus pauperta-

---

[1]) Memorati Episcopi, qui Romano conventui adesse vetiti sunt, eidem mente et spiritu adhaeserunt. Cum enim ex suis Fratribus Episcopis nonnulli, vel ex ipso Ecclesiae senatu, uti iam commemoravimus, ex hisce regionibus extorres, Romae commorarentur, per literas, quarum initium *Quam bonum*, mandatum ipsis dederunt, ut etiam nomine absentium Episcoporum Neapolis Ecclesiarum vota precesque Romano Pontifici submitterent.

[1]) Cf p. 331.

tis, castitatis et obedientiae votis primum per quinquennium; eo dein elapso in perpetuum se obstringunt. Non modo Parisiis, ubi est primaria earum domus, sed in aliis quoque locis praesertim Lugduni et Monte Pessulano hoc institutum florescit. 3° *Sorores de Sancta Martha*, quae pariter simplicia vota observant sub regimine generalis moderatricis, et proprii Ordinarii iurisdictioni subiiciuntur; puellarum pauperum institutioni, et aegrotantium in propriis domibus curationi vacant. Istae sorores iam sunt numero circiter quadringentae in variis Galliae dioecesibus. 4° *Sorores de Sancto Salvatore* apud pagum Niederbonnensem in dioecesi Argentorati. Praecipuum earum munus est cura aegrotorum in privatis domibus. Erigunt etiam hospitia pro recipiendis senibus et mulieribus indigentibus in locis, ubi nulla extat religiosa sodalitas, quae id opus exerceat. Sunt sub patrocinio D. Alphonsi de Ligorio; verum non sunt um illis confundendae, quae a SSmo Redemptore appellantur. 5° *Sorores B. M. V. de bono auxilio*, quae nunc sunt numero circiter septingentae, invigilant aegrotorum curae in privatis domibus per varias Galliae dioeceses sub regimine generalis moderatricis.

14. *Concordata* — Inter innumeras pene res, quas Pius IX catholicae religionis bono perfecit, extant conventiones, quas cum variis principibus et guberniis sancivit. Quas inter memoratu digna est illa, quam anno 1851 pactus est cum Hispaniae Regina, et quae eodem anno cum Magno Hetruriae Duce inita est, et aliae compositae anno 1852 cum republica Costaricae et cum republica Guatimalae in America septentrionali. Item recensendae sunt quas inivit anno 1857 cum rege Wittembergensi, rursumque cum rege Lusitaniae ; anno 1859 cum Magno Badarum Duce; et anno demum 1862 cum republica Æquatoris in America meridionali. Per haec concordata religiosa et ecclesiastica istarum regionum negotia meliori , qua fieri potuit ratione, composita sunt.

15. *Concordatum Austriacum* — At peculiari memoria digna est conventio, quam anno 1855 idem Pontifex confecit cum Imperatore Austriae Francisco Iosepho I, qua noxiis novitatibus abolitis, quibus proximo elapso saeculo in Austriaco imperio sacra Ecclesiae iura proculcata fuerant, eiusdem Ecclesiae dignitas, auctoritas, doctrina et iura sarta tectaque fuerunt, ac spirituale populorum bonum, qui ad austriacum spectant imperium, maxime procuratum est. Huiusmodi conventio, quam Cardinalis Viale Prelà apud vindobonensem aulam Nuntius Apostolicus, et Ioseph Othmar Rauscher Archiepiscopus Vindobonensis et Imperatoris Austriae *Plenipotentiarus* subscripserunt , 36 articulos continet, quorum haec summa est: Religio Catholica Apostolica Romana in toto Austriae Imperio sarta tecta conservabitur semper cum iis iuribus et praerogativis, quibus frui debet ex Dei ordinatione et canonicis sanctionibus. Episcoporum, cleri et populi mutua cum s. Sede communicatio in rebus spiritualibus, et negotiis ecclesiasticis nulli *placitum regium* obtinendi necessitati suberit, sed prorsus libera erit; sicut etiam libere Episcopi cum Clero et populo communicabunt, et suas de rebus ecclesiasticis instructiones et ordinationes publicabunt. Liberum quoque erit episcopis id omne exercere, quod pro regimine Dioecesium iuxta Ecclesiae disciplinam ipsis competit, uti beneficia minora erigere, convocare et celebrare ad sacrorum canonum normam concilia provincialia et synodos dioecesanas, eorumque acta vulgare, atque alia huiusmodi. Episcopi ex proprii pastoralis officii munere dirigent religiosam iuventutis educationem in omnibus scholis tam publicis, quam privatis; et propriam auctoritatem omnimoda libertate exercebunt, ut libros, Religioni, morumque honestati perniciosos censura perstringant, gubernium vero, ne eiusmodi libri divulgentur, quovis opportuno remedio carebit. Causas ecclesiasticas omnes, utpote ad Ecclesiae forum ipsae unice pertineant, cognoscet iudex Ecclesiasticus. Vt honoretur Domus Dei, sacrorum Templorum immunitas servabitur. Seminaria episcopalia episcopi iuxta sacrorum canonum normam pleno et libero iure gubernabunt et administrabunt. In seligendis episcopis catholica Maiestas vigore privilegii Apostolici antecessoribus suis concessi praesentabit seu nominabit canonice instituendos a s. Sede, adhibito etiam Antistitum in primis comprovincialium consilio. Ecclesia iure suo pollebit novas iusto quovis titulo libere acquirendi possessiones; eiusque proprietas in omnibus inviolabilis erit; atque bonorum ecclesiasticorum administratio apud eos erit, ad quos secundum Canones spectat. Caetera ad personas et res ecclesiasticas pertinentia, quorum nulla in conventionis articulis mentio facta est, dirigentur omnia et administrabuntur iuxta Ecclesiae doctrinam, et eius

vigente disciplinam a s. Sede adprobatam.

16. *Ecclesiae status in Hibernia*—Catholicorum status in Hibernia generatim luctuosus est. Anglicani qui ipsis dominantur, eorum fidei insidiantur, ac praecipue, modo persecutionum metu, modo promissorum spe illos a fide abducere student. Adhaec, paucis abhinc annis extrema accessit egestas, qua Hiberniae populus fame tabescens, teterrima morborum colluvie ex ciborum inopia contracta premebatur. At Pius IX insistens vestigiis decessorum suorum, qui potissimum tempore Guilielmi III et reginae Annae Hiberniae genti suppetias tulerant, ad eius miseriam sublevandam tum propriam pecuniam, tum eam, quae Romae collecta fuerat, impendit; dein VIII calendas aprilis 1847, epistolam encyclicam *Praedecessores nostros* ad omnes episcopos misit, qua eis in memoriam revocans sedulum studium Romanorum Pontificum pro publicis Christiani populi calamitatibus imminuendis[1], illius gentis in catholicae Religionis professione constantiam, et egregia erga Ecclesiam merito laudans, omnes Ecclesiae pastores hortatus est, ut publicis indictis precibus Deum misericordiarum Patrem Hiberniae genti redderent propitium. Denique eleemosynae virtute et uberibus fructibus commendatis ipsos vehementer incitavit, ut eleemosynarum largitiones pro eodem Hibernico populo colligerent. Sic quo acrius est protestantium in Hibernos odium, eo propensior est in eos catholicorum praecipue vero Pastoris universalis caritas. Cuius ardentissimae virtutis specimina maiora in dies evadunt, cum Summus Pontifex, licet omni suo regno expoliatus, tamen media studiosissime exquirat mittendi subsidia ad omnes ubique terrarum gentes, quos vel aquarum inundatione vexatos, vel ab horrendis terremotibus superstites, vel ab ignitis Vesuvianis flammis afflictos noverit.

---

[1]) Id in memorata encyclica declaratur veterum quoque temporum monumentis. Testimonio Eusebii (*Hist. Eccl.* lib. IV, c. 23, edit. Cantabrig.) ubi sermo est de Dionysii Corinthiorum Episcopi epistola ad Soterem Romanum Pontificem, qua dicit, *iam inde a religionis exordio*, solere Romanam Ecclesiam ad Christianos *necessaria vitae subsidia transmittere*; *et hunc modum a Sotere Beato Episcopo adauctum esse.* Idem Eusebius (*Hist. Eccl.* lib. VII, c. 5), commemorat Dionysii Alexandrini Episcopi epistolam ad Stephanum I, Pontificem, qui *ad Syriae provinciam cum Arabia*, *necessaria* subsidia miserat. Est etiam s. Basilii epistola ad s. Damasum Papam, qua refert subsidia a s. Dionysio Pontifice ad Ecclesiam Caesareensem missa. (Tom. III *Opp.* edit. Maurinae, ep. 70)

17. *Ecclesiae status in Anglia et Ecclesiasticae Hierarchiae restitutio* — Maiora in dies incrementa Ecclesia catholica accipit in Anglia. Permulti enim protestantes, praesertim Methodistae ibi ad fidei unitatem redeunt; ideoque catholicorum numerus ita auctus est, ut iam inde ab anno 1840 Gregorius Papa XVI litteris Apostolicis incipientibus *Muneris Apostolici*, nova facta regionum ecclesiastica partitione, quatuor Vicariis Apostolicis iam ab Innocentio Papa XI, litteris Apostolicis *Super Cathedram* anno 1688 constitutis, quatuor alios adiecerit. Sic Angliam totam Vicariis Apostolicis Londinensi, Occidentali, Orientali, Centrali, Walliensi, Lancastriensi, Eboracensi, et Septentrionali cum opportunis facultatibus, et cum Ordinarii locorum propria potestate in spiritualibus gubernandam commisit. Pius IX, Gregorii successor, vel ab ipso sui Pontificatus exordio sibi proposuit opus tam bene coeptum prosequi, et ad fidelium spiritualem utilitatem in eo regno magis quotidie augendam sua impensiora studia revocare. Quapropter universum, ut nunc est, in Anglia rei catholicae statum diligenter considerans, atque animo repetens permagnum catholicorum numerum, qui ibi quotidie amplior evadit, nec non temporum ac rerum adiuncta quae non sinebant diutius Angliae catholicos a Vicariis Apostolicis gubernari; pro certo habuit talem inibi rerum conversionem factam esse; ut ordinarii episcopalis regiminis formam flagitaret. Accessit his, Angliae ipsos Vicarios Apostolicos id a Romano Pontifice communi suffragio petiisse, permultos tam clericos, quam laicos virtute ac genere praestantes viros hoc idem precatos esse, aliosque Angliae catholicos longe plurimos id in votis habuisse. His de causis in Anglia, nempe in ipsa Protestantismi sede, toto Orbe mirante ac plaudente, anno 1850, III calendas octobris, Pius IX ecclesiasticam hierarchiam instituit, litteris apostolicis quarum initium est *Vniversae Ecclesiae*. Sedi Westmonasteriensi metropoliticam dignitatem adtribuit, eique duodecim sedes suffraganeas subiecit, nempe Southwarcensem, Hayulstadensem et Novocastrensem, Beverlacensem, Liverpolitanam, Salfordensem, Salopiensem, Neoportensem seu Meneven, Cliftoniensem, Plymutensem, Nottinghamensem, Birminghamiensem et Northantoniensem. Hinc effectum est, ut iuxta communes Ecclesiae regulas Hierarchia Ordinariorum Episcoporum, qui a sedibus nuncupantur, in inclyto

magnae Britanniae regno refloreret, in quod, ut historiae testantur, christiana religio, vel a primis Ecclesiae saeculis, antequam in Angliam Saxones adventarent, invecta fuit. Iam in sola Anglia an. 1870 numerabantur 1640 presbyteri, 1280 templa catholica, 220 Collegia, et 65 monasteria, in quibus praecipue Benedictini, Dominicani, Iesuitae aliique regulares et sanctimoniales iuventuti erudiendae operam navant. Ibi Catholica Religio ita progreditur, ut Praelatus Capel in recenti oratione adfirmare potuerit, nullam adhuc extare familiam in tota Anglia, cuius aliquod membrum aut amicus ad Ecclesiam catholicam non pertineat, vel aliquam ex eius sanctissimis exercitationibus non profiteantur.

18. *Ecclesiae status in Hollandia, et Ecclesiasticae Hierarchiae restitutio* — Sub Guilielmo II catholicorum conditio in Hollandia mitior evasit, ut iam memoratum est [1]. Hinc magna ex parte ablatis impedimentis illis, quae Religionis Catholicae incolumitati ac prosperitati in Batavorum regionibus valde adversabantur, Gregorius XVI plura sapienter molitus est ad ecclesiasticam iurisdictionem in Hollandia plene instaurandam. Initis igitur an. 1841 negotiationibus de restituenda episcopali hierarchia cogitabat; perpensis tamen temporum adiunctis, opus tunc tempori haud urgendum esse iudicavit, auctisque episcopali charactere Vicariis Apostolicis Brabantiae, aliisque opportune constitutis ad sternendam optatae instaurationi viam, tanti momenti rem opportuniori tempori definiendam remisit. Pius vero IX prae oculis habens praeclara Decessorum suorum exempla, simulque considerans universum in memorato regno rei catholicae statum progressusque, et permagnum catholicorum numerum, nec non fundamentalium legum reformationem, quae a Gubernii moderatoribus inducta est; denique probe noscens benevolum Guilielmi II animum erga illam quoque subditorum suorum partem, qui catholicam profitentur fidem, tempus advenisse reputavit, ut regiminis Ecclesiastici forma in Hollandiae regno ad eum restitui posset modum, quo fideles penes alias gentes fruuntur, apud quas nulla peculiaris adest causa, instituendi vicarios Apostolicos. Tum maxime, cum id enixis iteratisque precibus postularent nedum omnes cuiusvis ordinis et conditionis illarum regionum laici viri, verum etiam Vicarii Apostolici ipsi et Clerus universus. Quapropter Romanus Pontifex sua allocutione habita in consistorio secreto nonis martii 1853, quae incipit *Cum placuerit*, ecclesiasticam in Hollandia provinciam instituit, et quinque episcopales sedes erexit, nempe Vltraiectensem, Harlemensem, Buscoducensem, Bredanam et Ruremundensem, ex quibus Vltraiectensi ius metropoliticum attribuit, caeteras ipsius suffraganeas declaravit. Anno 1865 hisce quinque dioecesibus adnumerabantur 1,280,060 fideles, 1861 presbyteri, exceptis plurimis religiosis familiis, templaque 1070.

19. *Ecclesiae status in Russia et Polonia* — Primis annis imperii Nicolai I in Polonia praesertim catholici dire vexati fuerunt. Ibi enim omnibus insidiis petiti fuerunt, et adacti adhaerere schismati; at ipsi omnia potius mala tolerare maluerunt, quam a fide Catholica et Ecclesiae unitate desciscere. Dura tamen catholicorum sors in Russia eique unito regno Poloniae aliquantulum levata est, cum anno 1845, Imperator Nicolaus Romam profectus est, et Gregorium XVI Romanum Pontificem invisit, qui tam eloquenter eum de misera catholicorum sorte in illis ditionibus degentium allocutus est, ut Nicolaus in ipso colloquio valde fuerit animo commotus, et turbatus e conspectu Gregorii exierit [1]. Hinc persecutio evasit remissior; immo Nicolaus anno 1847 III nonas august conventionem iniit cum Pio IX, qua aliquot Episcopi creati fuerunt pro quibusdam dioecesibus Russiae vel Poloniae, longa viduitate pastoribus destitutis. Post id tempus idem Pontifex nunquam destitit curas suas omnes impendere ad Ecclesiae iura tutanda et catholicorum sortem sublevandam; iamque Alexander II Nicolai filius, qui patrem demortuum in imperio excepit, aequiora consilia meditans erga catholicos sibi subditos, sublatis impedimentis anno 1862 quaesiverat Apostolicum Nuntium, qui, iuxta s. Sedis vota, illorum negotia Romanum Pontificem inter et imperialem aulam curaret. Id Pio IX, qui tantos pro hac re labores sustinuerat, summam laetitiam attulit; sed dum designa-

---

1) P. 217.

1) Hac de re verba faciens Vincentius Gioberti scribit: « Dignitoso e fermo e cristiano fu il suo parlare (*Gregorii nempe*) nell' abboccamento con Nicolò di Russia, e dicesi, che il nuovo Attila sia stato commosso, non altrimenti che l'antico, dalla favella e maestà pontificale »; *Gesuita Moderno*, vol. IV, p. 79, Torino 1845.

tus ab ipso Nuntius in Russiam proficisci festinaret, nova exorta impedimenta illius iter detinerunt. Quamobrem Pius IX decimo calendas maii 1863, dum Polonia turbarum fluctibus fervebat, datis epistolis ad Alexandrum II Russicum Imperatorem, eiusmodi turbationes ex damnis Religioni illatis tanquam e suo fonte exoriri, demonstrabat, eumque deprecabatur, ut pro Poloniae pace ac tranquillitate, catholicae Religionis iniuriis finem imponeret.

Ast totius catholicae Ecclesiae moerore prorsus contrarium evenit, cum Russorum Autocrates hac arrepta occasione funditus evertendi in suis ditionibus Jesu Christi fidem, sacros Antistites multosque presbyteros ac praestantiores laicos in longinquas amandavit regiones, pluresque etiam in carcerem detrusit ac dire necavit. Dioeceses aliquas (Podlachiens. et Cameneciens.) proprio arbitrio extinxit, Antistitesque ab ipsis violenter abripens, et Canonicorum Collegia, Consistoria ac Seminaria dispersit. De medio pene sustulit Regularium Coenobia, omnibus suis bonis spoliavit Ecclesiam, et omnino contendit religionem catholicam illis regionibus novae constitutioni a gubernii nutu prorsus pendenti submittere. Petropoli Colegium instituit, ecclesiasticum catholicum romanum nuncupatum, cui petitiones omnes etiam ad fidei et conscientiae negotia spectantes, quae a Russico imperio ad Apostolicam Sedem mittuntur, earumque responsiones et rescripta primum transmittendae sunt; catholicam Varsaviensem Academiam delevit aliaque mala innumera intulit, a Pontifice in suis allocutionibus diebus IV cal. novembr. 1866 et VII cal. iul. 1869 atque encyclicis litteris II cal. august. 1864 ad Episc. Poloniae et Russiarum Imperii, nec non XVI cal. nov. 1867 ad universum orbem datis, deplorata [1].

Attamen, neglectis SS. P. N. iustis admonitionibus, spretoque moerore, quo Pastorum viduitas plures Dioeceses affecit, Russicum Gubernium pergit catholicam insectari Ecclesiam, et a reliquis fere omnibus sedibus suos, vi etiam adhibita, eiicere Episcopos, eosque in exilium pellere, propterea quod Christi hic in terris vocem ac mandata, prout debent, audire et exequi volunt; nec sinit eosdem Antistites ab illis imperii finibus egredi etiamsi maxima Ecclesiae utilitas id omnino postulet. Ac magis in dies omni modo impedit, quominus illi fideles cum Apostolica Sede libere communicare queant [1].

Poloniam etiam in sacris *russificare* omnique morum corruptione catholicos pervertere conantur, ablata sancti Evangelii praeconibus dicendi libertate; in mixtis matrimoniis prolem religione orthodoxa instituendam esse genitores promittere coguntur. Quinimo pecunia pro canonizatione B. Josaphat Nuncevict collecta fisco addicta est, et quo martyres pro Iesu Christi fide coli nequeant, eiusdem Sancti et divi Fabiani corpora rapiuntur.

Tum Pontifex ferventissimis humillimisque precibus misericordiarum Patrem orare et obsecrare non desistit, ut populi Russorum Imperatori subiecti religionis catholicae cultum exercere libere valeant. Christi Filii sui in terris Vicarii vota Deus frustrari non sinat.

—

[1]) Iussu eiusdem SSmi Dni Nostri Romae prodiit die 15 novembr. 1866, ex Secretaria Status liber cui titulus: *Esposizione documentata sulle costanti cure del Sommo Pontefice Pio IX a riparo de'mali che soffre la Chiesa cattolica ne'dominii di Russia e Polonia.*

[1]) Ephemerides per id tempus celebres narrarunt Pio Papae IX hanc agendi rationem conquerenti Oratorem russicum (*Ministri Plenipotentiarii* apud s. Sedem vicem fungentem) respondisse, *Cattolicismo è sinonimo di rivoluzione.* Qua indignatus responsione, Summus Pontifex illico Ministrum dimisisset. Hic paulo post profectus est Roma et tota *Legatio* sequuta est illum.

INDEX

CAPITVM QVAE IN HOC II TOMO EVOLVVNTVR

EPOCHA NONA, AB INITIO SCHISMATIS OCCIDENTIS VSQVE AD FINEM IMPERII GRAECI, AN. 1453

EPOCHA DECIMA, AB EXCIDIO IMPERII GRAECI VSQVE AD INITIA LVTHERI, AN. 1517

EPOCHA VNDECIMA, AB INITIIS LVTHERI VSQVE AD IANSENISTARVM EXORDIA, AN. 1517-1640

EPOCHA DVODECIMA, A LITIBVS IANSENIANIS VSQVE AD PVBLICAM RERVM IN GALLIIS SVBVERSIONEM, AN. 1640-1789

FINIS INDICIS TOMI SECVNDI

INDEX

RERVM PRAECIPVARVM, QVAE IN HOC COMPENDIO HISTORIAE ECCLESIASTICAE CONTINENTVR *

A

*) Primus numerus I indicat tomum, alter 1 paginam.

B

D

E

F

H

I

K

L

N

O

P

Q

R

S

T

FINIS

Nihil obstat
NVNTIVS SIGNORIELLO
Censor Theologus

Imprimatur
LEOPOLDVS CAN. RVGGIERO

